This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 08156035 5

EX LIBRIS
RALPH MARCUS

BWHK
L35.B84

Collected wks. Lit

C. CORNELII

TACITI

OPERA.



13. KALEND. APRILES,

1812.

C. CORNELII

TACITI

OPERA,

RECOGNOVIT, EMENDAVIT,

SUPPLEMENTIS EXPLEVIT,

NOTIS, DISSERTATIONIBUS,

ILLUSTRAVIT,

GABRIEL BROTIER.

EDITIO NOVA ET AUCTIOR.

VOL. IV.

Londini:

CURANTE ET IMPRIMENTE

ABRAHAMO JOANNE VALPY, A. M.

COLLEGII PEMB. OXON. NUPERRIME SOCIO.

VENEUNT APUD LUNN, LONDINENSEM; ET BIBLIOPOLAS

OXONIENSES, CANTABRIGIENSES, EDINENSES,

ET DUBLINIENSES.

Ralph Marcus

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
919721A
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
R 1937 L

Gift of
Dr. Ralph Nevens
10.15.36

NEW YORK
PUBLIC

C. CORNELII

T A C I T I

DE SITU, MORIBUS, ET POPULIS GERMANIÆ

LIBELLUS.

VOL. IV.

NEW YORK PUBLIC LIBRARY

BREVIARIUM

LIBELLI

DE SITU, MORIBUS, ET POPULIS GERMANIÆ.

1. Germaniæ situs. 2. Incolæ. Nominis origo. 3. Carmina: barditus: variæque antiquitates. 4. Corporum habitus. 5. Soli natura. 6. Germanorum arma. 7. Reges, duces, sacerdotes. 8. Fœminarum constantia et veneratio. 9. Dii, Mercurius, Hercules, Mars, Isis. Simulacra nulla. 10. Auspicia, sortes: ex equis, è captivis præsagia. 11. Consultationes publicæ et conventus. 12. Pœnæ. Jus. 13. Scutum, framea juvenibus data. Principum comites: eorum virtus et fama. 14. Gentis bellica studia. 15. Pacis artes, venatio et otium. Collata principibus munera. 16. Vicorum, domorumque forma. Specus, suffugium hiemi, et receptaculum frugi-

bus. 17. Hominum, fœminarumque vestitus. 18. Severa matrimonia. Dos à marito data. 19. Adulterii pœna, maritis permissa. 20. Liberorum educatio. Successionis leges. 21. Patris, propinqui amicitiæ inimicitiæque susceptæ. Homicidiorum pretia. Hospitalitas. 22. Victus: ebrietas: rixæ: in conviviis consultationes. 23. Potus, cibi. 24. Juventæ ludicrum. Aleæ furor. 25. Servi, libertini. 26. Agrorum cultus et partitio. Anni tempora. 27. Funera. Hæc hactenus in commune. 28. Singularum gentium instituta. Galli, olim validi, in Germaniam transgressi. Helvetii, Boii, Gallica gens. Avariscorum, Osorum incertum genus. Treveri, Nervii, Germanicæ originis populi, ut et Vangiones, Triboci, Nemetes, Ubii. 29. Batavi, Cattorum proles. Mattiacorum gens. Decumates agri. 30. Catti, militari disciplinâ præcipui. 32. Usipii, Tencteri, equitatu præstantes. 33. Bructerorum sedes à Chamavis et Angrivariis occupatæ. 34. Dulgibini. Chasuari. Frisii majores et minores. 35. Chauci, pacis studiosi. 36. Cherusci et Fosi, à Cattis victi. 37. Cimbrorum parva civitas, gloria ingens. 38. Suevorum mores. 39. Semnonum religio. 40. Langobardi. Reudigni. Aviones. Angli. Varini. Eudoses. Suardones. Nuithones. Herthi, seu Terræ matris, commune sacrum. 41. Hermunduri. 42. Narisci. Marcomanni.

Quadi. 43. Marsigni. Gothini. Osi. Burii. Lygiorum civitates. Arii. Helvecones. Manimi. Elysii. Naharvali. Alcis numen. Gothones. 44. Suionum civitates. 45. Mare pigrum. Æstii succinum legunt. Sitones, quibus fœmina imperat. 46. Peucini. Venedi. Fenni. Eorum feritas et paupertas. Hominum monstra, Hellusii, Oxiones.

Libellum hunc scripsit Tacitus

A. U. C.	J. C.	
DCCCLI.	98.	Coss. { M. Cocceio Nervâ Aug. IV, M. Ulpio Trajano Cæsare II.

C. CORNELII

T A C I T I

DE SITU, MORIBUS, ET POPULIS GERMANIÆ

L I B E L L U S.[1]

1. GERMANIA omnis[2] à Gallis[3] Rætisque[4] et Pannoniis, Rheno et Danubio fluminibus, à Sarmatis Dacisque, mutuo metu, aut montibus[5] separatur. Cetera Oceanus ambit,

[1] *Libellus.* Libellum hunc, meditandum potiùs, quàm legendum, paulo fusiùs sum expositurus, quòd in eo juris nostri politici fontes lateant. Verè enim dixit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix* xxx. 19. *Il est impossible d'entrer un peu avant dans notre droit politique, si l'on ne connoît parfaitement les loix et les mœurs des peuples Germains.* Brevis quidem est libellus, sed alto Taciti ingenio et immensâ rerum copiâ plenus; quem paucis, sed egregiè, laudavit idem Cl. de Montesquieu, loc. cit. cap. 2. *Tacite fait un ouvrage exprès sur les mœurs des Germains: il est court, cet ouvrage; mais c'est l'ouvrage de Tacite, qui abrégeoit tout, parce qu'il voyoit tout.*

[2] *Germania omnis.* Germania, de quâ nunc agitur, est Transrhenana. Ad Occasum Rheno, ad Meridiem Danubio, ad Orientem Vistulâ, Sarmatiâ Daciâque, ad Septemtrionem Oceano terminatur. Occidentem versùs prætenduntur Galli, versùs Meridiem Rœti et Pannonii, versùs Orientem Sarmatæ et Daci; cetera versùs Septemtrionem ambit Oceanus, latos sinus, *the gulphs of Bothnia and Finland*, complectens.

[3] *Gallis.* Galliâ Belgicâ, quæ superiorem inferioremque Germaniam cis Rhenum continebat.

[4] *Rætisque.* Malè vulgò *Rætiis.* Hæc de populis, non de regionibus sunt intelligenda. Vide not. et emend. ad cap. 1. Rœti latissimè patebant, easque regiones occupabant, quas nunc dicimus, *the country of the Grisons, part of Suabia and Bavaria.*

[5] *Aut montibus.* Montibus Sarmaticis, nunc *the mountains of Hungary;* et, ubi non erant montes, mutuo metu bellicosorum populorum.

latos sinus, et insularum immensa spatia[1] complectens, nuper cognitis[2] quibusdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Ræticarum Alpium[3] inaccesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu, in Occidentem versùs, septemtrionali Oceano miscetur. Danubius, molli et clementer edito montis Abnobæ[4] jugo effusus, plures populos adit, donec in Pónticum mare[5] sex meatibus erumpat: septimum enim os paludibus hauritur.

[1] *Immensa spatia.* Incompertâ Romanis hâc terrarum parte, Scandinaviam, *Scandinavia*, et Eningiam, *Finland*, insulas esse falsò existimabant, ut opportuniùs dicetur infra cap. 44.

[2] *Nuper cognitis.* Verè *nuper cognitis.* Locum hunc egregiè illustrat Plautii Æliani monumentum, quod edidi supra vol. III. p. 512. in not. et emend. ad Hist. IV. 53. Ibi memoratur Plautius, prætor Mœsiæ, qui *plura quàm centum millia ex numero Transdanubianorum ad præstanda tributa cum conjugibus ac liberis et principibus aut regibus suis transduxit; motum orientem Sarmatarum compressit; ignotos antè aut infensos populo Romano reges signa Romana adoraturos in ripam quam tuebatur perduxit; regibus Bastarnarum et Rhoxolanorum filios*, regibus *Dacorum fratres captos aut hostibus ereptos remisit; ab* aliquibus *eorum obsides accepit, per* quæ *pacem provinciæ et confirmavit et protulit.* Adde Domitiani bella, quibus fortè reges aliquot innotuere.

[3] *Ræticarum Alpium.* Nunc *the mountains of the Grisons.* Mons verò, cujus vertice Rhenus oritur, hodie dicitur *Vogelberg.* Vide Cl. Marsili, *Danubius Pannonico-Mysicus*, vol. VI. tabul. 4. Quomodò Rhenus in Oceanum effundatur dictum est supra Annal. II. 6.

[4] *Montis Abnobæ.* Mons ille Germanis nunc dicitur *Schwartzwald.* Hìc, diu ignoratam, Danubii originem feliciter detexit illustr. Comes Marsili, anno 1702. Vide eruditum ejus opus jam laudatum, vol. VI. p. 4. Danubii origo à *Doneschingen* perperam anteà ducebatur. Agathemerus, II. 4. ait Danubium à suis fontibus ad Vindobonam, *Vienna*, dici; Istrum verò à Vindobonâ ad Pontum Euxinum appellari. At Plinius, IV. 12. sect. 24. *unde primùm Illyricum alluit* Istrum vocari scribit.

[5] *In Ponticum mare.* Rem hactenus inauditam prodidit literis Constantinopoli scriptis anno 1713 unus è Missionariis Societatis Jesu: scilicet fluenta Danubii per mare Ponticum ad Mediterraneum usque, proprio colore distincta, ita devolvi, ut naves ex Ægeo mari, in Propontidem, nisi adverso fluminis impetu, sese pleno alveo exonerantis, transfretare non possint. Hoc nos docuit Cl. Homannus *Danubii Tabulâ novissimâ.* Quædam tamen, haud absimilia, jam prodiderat Plinius, IV. 12. sect. 24. *singula*, inquit, Istri *ora tanta sunt, ut prodatur in quadraginta millia passuum longitudinis vinci mare, dulcemque intelligi haustum.*

2. Ipsos Germanos indigenas[1] crediderim, minimèque aliarum gentium adventibus et hospitiis[2] mixtos: quia nec terrâ olim,[3] sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quærebant; et immensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus[4] raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porrò, præter periculum horridi et ignoti maris, Asiâ, aut Africâ, aut Italiâ relictâ, Germaniam peteret?[5] informem terris, asperam cœlo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. Celebrant carminibus antiquis[6] (quod unum apud illos

[1] *Indigenas.* Indigenæ, et quasi è terrâ prognati, veteribus scriptoribus dicti sunt populi omnes, quorum origo eos latebat. Nostram superioremque ætatem meliora docuit major eruditionis copia, facilior frequentiorque peregrinationum usus, ac maximè linguarum notitia. Iis subsidiis aperta mundi commercia. Eruditis omnibus jam compertum Scythicam esse Germanorum originem. Ipsaque *Germania* Scythiæ *contermina,* Plin. VIII. 15.

[2] *Adventibus et hospitiis.* Aliter et verè ipse Tacitus infra cap. 28 et 43. Gallos, Gothinos, et Osos, advenas atque hospites memorat. His tamen adventibus et hospitiis minimè mixtos fuisse Germanos, censent eruditi Germani: vim imperii penes eos semper fuisse: alienigenas verò precariò tantùm habitâsse.

[3] *Nec terrâ olim.* Immo primùm terrâ, deinde classibus, sed serò, et cùm artes adolevissent, mutatæ hominum sedes.

[4] *Adversus Oceanus.* Benè quidem. Nec antiquitùs tantùm, sed, vigente etiam imperio Romano, adversus Oceanus raris navibus adibatur, ob exiguam rei nauticæ scientiam. Drusus, pater Claudii Imperatoris, *Oceanum Septemtrionalem primus Romanorum ducum navigavit,* Sueton. in Claud. 1. Quantum autem discriminis, violentiâ Oceani, adierit Germanicus, vidimus supra Annal. II. 23.

[5] *Germaniam peteret.* Nondum satis valida ratio. Rudes barbarique homines tutas potiùs, quàm lætas, sedes quæsiere. Inde loca horrida, quæ vix habitari posse crederemus, à nonnullis antehabita. Fateor, gratissimæ sunt Asiæ, Africæ, Italiæque sedes. At neque statim florentes fuere, sed lentè, vigentibus imperiis, et adulto luxu. Prætereà nec illæta Germania, nec suis caret commodis: immo viris virtutique aptissima. Adde non statim relictas sedes lætissimas, ut tristiores occuparentur: sed, ut in Germaniâ, de quâ nunc agitur, immorer, Asia, hominibus fœta, primùm in Scythiam effusa: Scythia in conterminam Germaniam: ac si quid decessit voluptati, accrevit humanitati, ut toto hoc libro demonstrabitur.

[6] *Carminibus antiquis.* Omnibus retro seculis, et apud barbaras omnes gentes, ut ex Americæ populis nobis adhuc compertum, idem fuit carminum usus, eadem utilitas. Carolus Magnus, teste Eginhardo, in ejus vitâ, cap. 29. *Barbara et antiquissima carmina, quibus veterum regum actus et bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit.*

memoriæ et annalium genus est) "Tuistonem[1] Deum, "terrâ editum, et filium Mannum, originem gentis condi- "toresque. Manno tres filios adsignant, è quorum nomi- "nibus proximi Oceano Ingævones, medii Hermiones, "ceteri Istævones vocentur." Quidam autem,[2] licentiâ vetustatis, "plures Deo ortos, pluresque gentis appellatio- "nes, Marsos, Gambrivios,[3] Suevos, Vandalios"[4] adfirmant: "eaque vera et antiqua[5] nomina. Ceterùm Germa- "niæ vocabulum recens,[6] et nuper additum: quoniam,

[1] *Tuistonem.* De Tuistone ejusque filio Manno vide not. et emend. ad cap. 2.

[2] *Quidam autem.* Duas inter illas sententias mediam protulit, et quinque gentium capita recenset Plinius, IV. 14. *Germanorum genera quinque. Vindili, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingævones, quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Chaucorum gentes. Proximi autem Rheno, Istævones, quorum pars Cimbri mediterranei. Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Catti, Cherusci. Quinta pars Peucini, Basternæ, supra dictis contermini Dacis.* De singulis hisce populis opportuniùs suis locis dicetur.

[3] *Gambrivios.* Eos unus Tacitus, et hoc tantùm loco, memorat. Nempe Marsorum et Gambriviorum diu nomina periere.

[4] *Vandalios.* Iidem sunt, quos Plinius, supra cit. *Vindilos* appellat. Vandalii, seu Vandali, Galliam, Hispaniam, Africam, Italiam terruere; at tandem in Africâ excisi sunt. Unum superest Suevorum nomen.

[5] *Vera et antiqua.* Marsi, Gambrivii, Suevi, Vandalii sunt vera et antiqua nomina. Contra verò Ingævones, Hermiones, Istævones, fabulosa, nec tam populorum, quàm locorum sitûsque vocabula. Nempe Ingævones sunt juxta eruditos Germanos, *die Innvohner*, id est, versùs mare interius habitantes. Istævones, *die Vestvohner*, versùs occidentem habitantes. Hermiones, *die Herrumvohner*, in medio habitantes. Unde fortè nec Hermiones, nec Herminones, sed Hermivones, sunt dicendi.

[6] *Germaniæ vocabulum recens.* Primò fuere tantùm nomina populorum; posteà fuere et virtutis cognomina: sic dicti sunt Germani, id est, viri bellicosi, ut mox explicabitur. Ab illo cognomine, terra ipsa appellata est Germania. Quod Germaniæ vocabulum recens, et nuper additum. Germanorum autem nomen jam pridem auditum, ut constat ex Fastis Capitolinis, apud Cl. Piranesi, *Lapides Capitolini*, p. 42. M. CLAVDIVS M. F. M. N. MARCELLVS. AN. DXXXI. COS. DE. GALLEIS. INSVBRIBVS. ET. GERMAN. K. MART. ISQVE. SPOLIA. OPIMA. RETTVLIT. DVCE. HOSTIVM. VIRDVMARO. AD. CLASTIDIVM. INTERFECTO. Galli Insubres, eorumque socii, mercedeve conducti, Germani, cæsi sunt ad Clastidium, nunc *Chiastezzo, in the Milanese*, A. U. C. 531. juxta Fastos Capitolinos, A. C. 222.

" qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint,[1] ac " nunc Tungri, tunc Germani[2] vocati sint: ita nationis " nomen, non gentis, evaluisse paulatim, ut omnes, primùm " à victore, ob metum, mox à seipsis invento nomine, " *Germani* vocarentur." " Fuisse apud eos et Herculem"[3] memorant; primumque omnium virorum fortium[4] lturi in prælia canunt.

3. SUNT illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem *Barditum* vocant,[5] accendunt animos, futuræque pugnæ

[1] *Gallos expulerint.* Inde cùm de Belgis quæreret Julius Cæsar, Bell. Gall. II. 4. *reperiebat plerosque Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumque antiquitùs trànsductos propter loci fertilitatem ibi consedisse: Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse.*

[2] *Nunc Tungri, tunc Germani.* Rem egregiè illustrat Julius Cæsar Bell. Gall. loc. cit. docetque primos, qui Rhenum transgressi sunt, fuisse *Condrusos, Eburones, Cæresos, Pæmanos, qui uno nomine Germani appellantur.* Germanus, id est, *Wehr mann*, armorum vir. Vetus enim et frequens *W* in *G* mutatio. Primò nomen hoc fuit nationis victricis Cisrhenanæ, non verò totius gentis Transrhenanæ: sed paulatim evaluit; et Transrhenani omnes nomen, quod victor ob metum incutiendum repererat, ipsi usurpavere, reputantes idem nominis ob bellicæ gloriæ claritudinem sibi deberi. Tungrorum olim magnum fuit nomen; extatque adhuc veteris gloriæ memoria in eâ locorum amplitudine. [Observandum autem est eumdem esse Tungrorum locum, quem Franci, duce Pharamundo, primùm occupavere, quem posteà Clodoveus Magnus armis recepit. Et hæc sunt Francici nostri regni incunabula.]

[3] *Et Herculem.* Nulla extitit bellicosa gens, quæ Herculem, id est, virum, stupendâ vi grandibusque factis insignem, non habuerit; eoque non superbierit. De Hercule Germanico jam dictum Annal. II. 16. not. sup. Sunt quoque eruditi viri, qui existiment colonıarum duces ab Asiâ profectos, ut diversas Europæ regiones occuparent, vulgò vocitatos fuisse Hercules.

[4] *Virorum fortium.* Sic supra Annal. II. 88. de Arminio dictum, *canturque adhuc barbaras apud gentes.*

[5] *Barditum vocant.* Sunt qui *barritum* mallent: at *barrire* elephantorum est, quos ne noverant quidem Germani. *Bardire* verò cervorum est, quos sæpissimè audiebant continuòque venabantur tum Germani, tum Galli, apud quos celeberrimus fuit barditus. Inde vates, qui hoc modulo utebantur, dicti sunt bardi. De quibus egregiè Lucanus, I. 447.

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremtos
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina bardi,

Vide not. et emend. ad cap. 3. Canadensibus quoque populis sua sunt

fortunam ipso cantu augurantur: terrent enim, trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam voces illæ, quàm virtutis concentus, videntur: adfectatur præcipuè asperitas soni, et fractum murmur, objectis ad os scutis, quò plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterùm et "Ulixem" quidam opinantur, "longo illo et fabuloso errore[1] in hunc "Oceanum delatum, adîsse Germaniæ terras, Asciburgi- "umque,[2] quod, in ripâ Rheni situm, hodieque incolitur,[3] "ab illo constitutum, nominatumque ΑΣΚΙΠΥΡΓΙΟΝ. "Aram quinetiam Ulixi consecratam, adjecto Laertæ patris "nomine, eodem loco, olim repertam: monumentaque, "et tumulos quosdam, Græcis literis inscriptos,[4] in confi- "nio Germaniæ Rætiæque adhuc extare:" quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem.

4. Ipse eorum opinionibus accedo, qui "Germaniæ "populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, "propriam, et sinceram, et tantùm sui similem gentem "extitisse" arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus:[5]

carmina, cuique genti, cuique etiam familiæ propria. Vide P. de Charlevoix, *Journal historique d'un voyage de l'Amérique.* Lettre XIV. p. 217.

[1] *Fabuloso errore.* Benè quidem. Hâc tamen fabulâ, multi, ut laudem scientiæ quærerent, populorum origines historiarumque initia corrupere.

[2] *Asciburgiumque.* Asciburgium, nunc *Asburg, in the province Meurs.*

[3] *Incolitur.* Ibi erant hiberna alæ, ut vidimus supra Hist. IV. 33. Ibi Cluverii ætate reperta antiquitatis Romanæ rudera.

[4] *Græcis literis inscriptos.* Neque ita mirum; cùm à Græcis ad Gallos, Germanosque literæ devenerint. Quâ de re plura vide in not. et emend. ad cap. 3.

[5] *Idem omnibus.* Pariter Juvenalis Satyr. XIII. 164.

Cærula quis stupuit Germani lumina? flavam
Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.

truces et cœrulei oculi, rutilæ comæ,[1] magna corpora,[2] et tantùm ad impetum valida: laboris atque operum non eadem patientia: minimèque sitim æstumque tolerare, frigora atque inediam cœlo solove adsueverunt.

5. TERRA, etsi aliquantò specie differt, in universum tamen aut sylvis horrida, aut paludibus fœda: humidior, quà Gallias, ventosior, quà Noricum ac Pannoniam[3] aspicit: satis ferax, frugiferarum arborum impatiens,[4] pecorum fœcunda, sed plerumque improcera:[5] ne armentis quidem

[1] *Rutilæ comæ.* Inde Seneca, *de irâ*, III. 26. *Iniquus autem est, qui commune vitium singulis objecit. Non est Æthiopis inter suos insignitus color: nec rufus crinis, et coactus in nodum apud Germanos: utrumque decet.* Rutilatos arte crines videbimus infra in Supplemento Annal. VIII. 38.

[2] *Magna corpora.* Sic Annal. I. 64. Germanorum *procera membra;* et Hist. V. 18. *immensa corpora.* Videtur Germanorum plurimos tunc saltem sex pedibus altos fuisse. Eâ proceritate adhuc valebant ætate Sidonii Apollinaris. Inde, inter victores Germanos positus, excusat, quòd senipedes versus non scribat. Libr. XII. carm. 12. vers. 10.

Spernit senipedem stylum Thalia,
Ex quo septipedes videt patronos.

Fortè et ipse senipes, id est, quinque pedibus, et sex circiter unciis. Pes enim Romanus æquat fermè pedis nostri uncias undecim. Contra verò Germani septipedes erant, id est, alti pedes sex et uncias ferè quinque. Sidonius, VIII. Epist. 9. memorat adhuc Burgundiones septipedes. Ob hanc Germanorum proceritatem, Varro, I. *Hebdomadum* dixisse videtur summum adolescendi humani corporis septem pedes. *Cuncto mortalium generi minorem in dies fieri* mensuram observat Plinius, VII. 16. [Quod non ita certum est. Superiore enim et hoc nostro seculo vidimus homines, qui erant septem, octo etiam, et ampliùs pedes alti.]

[3] *Noricum ac Pannoniam. Bavaria and Austria.*

[4] *Impatiens.* Tunc enim acriora, longioraque erant frigora, cùm terra sylvis horreret. Sic apud Canadenses populos, in Americâ, cœlum solumque mitescere cœperunt, cùm immensa sylvarum spatia incensa sunt. Adde Germanos ne frugiferas quidem arbores coluisse, solasque segetes terræ imperâsse, ut dicetur infra cap. 26.

[5] *Plerumque improcera.* Id jam observatum supra Annal. IV. 72. At cur magna hominum corpora, pecorum improcera. Causa, ni fallor, quòd homines validis exercitiis, vitâ liberrimâ, et omnibus curis vacuâ, copiosis pinguibusque cibis, largo potu in magnitudinem excrescerent. Contra pecora pluviis, frigore, gelu diu rigida minuerentur, sine eâ frontis gloriâ, quæ adeò vividè emicat in iis omnibus locis, ubi serenum sudumque est cœlum. Mutato posteà Germaniæ

suus honor, aut gloria frontis: numero gaudent: eæque solæ et gratissimæ opes sunt. Argentum et aurum propitii an irati Dii negaverint, dubito. Nec tamen adfirmaverim[1] nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est? possessione et usu haud perinde adficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in aliâ vilitate,[2] quàm quæ humo finguntur: quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt, atque eligunt: interiores simpliciùs et antiquiùs permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem, et diu notam, Serratos, Bigatosque.[3] Argentum quoque magis, quàm aurum sequun-

cultu, mutata quoque pecorum forma, et fuere proceriora. Pecora autem sunt oves, capræ, boves, jumenta, &c. Armenta maximè boves. Vide Digest. Lib. XXXII. de legatis et fideicommissis 3. leg. 81. et Lib. L. Tit. 16. de verborum significatione, leg. 89.

[1] *Nec tamen adfirmaverim.* Meritò quidem. Nam ipse Tacitus, cùm posteà Annales scriberet, prodit Annal. XI. 20. Curtium Rufum in agro Mattiaco reclusisse specus, *quærendis venis argenti*, tenuemque fuisse fructum. Nunc verò compertum inter cetera metalla nonnullas auri argentique fodinas in Germaniâ reperiri. Rariores sunt auri fodinæ: extant tamen, et in quibus non fulvum modò, sed album quoque aurum invenitur. Vide Balbinum, *Miscellanea Historica regni Bohemiæ*, Vol. I. p. 37. 40 et seq.

[2] *Non in alid vilitate.* Id est, pari vilitate; seu æquè vilia, et iisdem usibus, ac quæ humo finguntur.

[3] *Serratos, Bigatosque.* Interiores Germani simpliciter agebant, et, ut mos barbaris omnibus, permutatione utebantur. Rheni autem et Danubii ripis proximi, ob usum commerciorum, aurum et argentum in pretio habebant: formas quasdam Romanæ pecuniæ agnoscebant, atque eligebant. Pecuniam probabant veterem et diu notam, serratos maximè et bigatos denarios. Quâ in re se cautissimos præbebant, more barbarorum, qui falli se semper opinantur. Nam invalescentibus apud Romanos vitiis, corrupta fuerat moneta. *Livius Drusus in tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit*, Plin. XXXIII. 3. *Miscuit denario triumvir Antonius ferrum. Miscentur æra falsæ monetæ: alii è pondere subtrahunt—igitur ars facta denarios probare*, Plin. XXXIII. 9. Germani, ne his fraudibus deciperentur, pecuniam probabant veterem et diu notam; eligebant maximè denarios serratos, id est, quorum margines in modum serræ erant incisi: sic enim apparebat sincerine nummi et solido argento, an adulterini, intus ferro

tur,[1] nullâ affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

6. Ne ferrum quidem superest,[2] sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis, aut majoribus lanceis[3] utuntur: hastas, vel ipsorum vocabulo *frameas* gerunt,[4] angusto et brevi ferro, sed ita acri, et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominùs vel eminùs pugnent:[5] et

æreve pleni, et extra argenti bracteâ obtecti, quales olim multos vidi in Museo Collegii Ludovici *Magni*. Eligebant quoque bigatos *denarios*. Eorum nominis originem docet Plinius, xxxiii. 3. *Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ: et inde bigati quadrigatique dicti*, Bigati autem erant optimo argento, et Imperatorum denariis ponderosiores. Ideo à barbaris eligebantur. Hic est hujusce loci sensus, quem mirum in modum vexabant interpretes, rati *serratos* dici nummos, quibus serræ forma erat impressa, quales nunquam extitere in Romanâ pecuniâ; aut serrâ, coronâve, cinctos, ne arroderentur diminuerenturve, cujus usum non novere Romani. Serratorum, bigatorum, quadrigatorumque nummorum magna copia fuit in Museo Collegii Ludovici Magni.

[1] *Quàm aurum sequuntur*. Sic quoque Romani, et, ut puto, primùm eâdem, quâ barbari, ratione; deinde usu et consuetudine. Plin. xxxiii. 3. sect. 15. *Equidem miror populum Romanum victis gentibus in tributo semper argentum imperitâsse, non aurum: sicut Carthagini cum Hannibale victæ argenti pondo annua in quinquaginta annos, nihil auri.*

[2] *Superest*. Abundabat quidem in terræ visceribus; at, ut inde extraheretur, et igne molliretur, barbaris neque patientia, neque industria, neque necessitas. Potior eorum virtus, semperque obvia. Prætereà utebantur lapideis armis, quorum copia maxima in Germanorum sepulcris reperitur, ut videre est apud eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis*, Vol. i. p. 892. ubi eorum imagines exhibet.

[3] *Majoribus lanceis*. Ob ferri penuriam, ac fortè etiam ob difficilem usum, rarò utebantur majoribus lanceis. Inde in Annalium Historiarumque libris, ubi tot prælia Germanorum vidimus, numquam majores lanceæ, sed prælongæ hastæ, quibus sanè infixa erat framea, memorantur.

[4] *Frameas gerunt*. Frameas dictas fuisse à cuspide, quæ *pfriem*, vel *priem* appellatur, observat Dithmarus. Germanica autem regis Childerici framea in ejus tumulo reperta est. Imaginem vide apud eruditum Chifletium, *Anastasis Childerici, Francorum regis*, p. 218. Posteà cùm ferrum abundaret, Germani gladiis præcipuè usi sunt: at variandis equorum gyris fuere semper inhabiles. Vide not. et emend. ad cap. 6.

[5] *Pugnent*. Quibus tamen, quòd enormes essent, impediebantur, si inter sylvas virgultave esset pug-

eques equidem scuto frameâque contentus est: pedites et missilia[1] spargunt, plura singuli, atque in immensum vibrant: nudi, aut sagulo[2] leves: nulla cultûs jactatio: scuta tantùm[3] lectissimis coloribus distinguunt: paucis loricæ:[4] vix uni alterive cassis, aut galea.[5] Equi non formâ, non velocitate conspicui: sed nec variare gyros, in morem nostrum,[6] docentur. In rectum, aut uno flexu

nandum, ut vidimus supra Annal. II. 14. Alioquin hastæ illæ ingentes ad vulnera facienda, quamvis procul, aptissimæ. Vide Annal. I. 64.

[1] *Missilia.* Licèt valdè mutata sit pugnandi ratio, manent tamen nobis veterum Germanorum arma. Ut iis, ita nobis sunt duo gladiorum genera: alii acuti, *swords;* alii sine acumine, *sabres;* majores lanceæ, *halberts;* hastæ, seu frameæ, *long pikes;* missilia, *battle axes.* Sic et Canadensibus populis suum est missile, *a bludgeon.* Prætereà reperiuntur in veterum Germanorum sepulcris globuli lapidei perforati, quos sanè, alligatis funibus, ejaculabantur. Eorum imagines vide apud eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis.* Vol. I. p. 892.

[2] *Sagulo.* De sago infra cap. 17. Cùm pugnabant, *majore sui parte nudi* erant, teste Cæsare apud Dionem, XXXVIII. p. 89. Γυμνοὶ τὸ πλεῖστον εἰσί.

[3] *Scuta tantùm.* Scuta Germanorum *immensa,* id est, magnitudine corporis, supra Annal. II. 14. lectissimis coloribus fucata. Hæc prima virtutis, deinde nobilitatis, insignia; inde, labentibus seculis, Heraldicæ artis origo. Privatorum scuta coloribus tantùm distincta, principes ad decus, et ad tutamentum, (nam difficiliùs penetrabantur) animalium effigies scutis addebant.

[4] *Paucis loricæ.* Vide supra Annal. II. 14. Cimbrorum habitum paulo aliter describit Plutarchus in Mario, p. 420. *Galeas,* inquit, *gerebant, quæ erant in belluarum rictus aliasque insuitatas figuras formatæ, et alatis cristis, ut altiores viderentur, fastigiatæ. Loricis ferreis erant ornati; candidis micabant scutis. Singulis erat telum bipenne; et, pede collato, ingentibus gravibusque utebantur gladiis.* At hæc arma in itinere fuere comparata, ut observat eruditus Eccardus, *de Orig. German.* p. 78. Inde Holsatici tumuli ejus temporis, parum æris, ferrum nullum habent. In iis reperiuntur acumina hastarum lapidea, et gladiorum loco cunei, quos vulgus *lapides ceraunios* appellat.

[5] *Cassis, aut galea.* Isidorus, XVIII. 14. *Cassis de laminâ est: galea de corio.* Igitur ferrea fuit cassis, coriacea galea.

[6] *In morem nostrum.* Optimumque Romanorum morem, quem versibus, cedro dignis, expressit Virgilius, Georgic. III. 182.

Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati; tractuque gementem
Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantes:
Tum magis atque magis blandis gaudere magistri

dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo posterior sit. In universum æstimanti, plus penes peditem roboris: eoque mixti præliantur,[1] aptâ et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis[2] sunt: idque ipsum inter suos vocantur: et quod primò numerus fuit, jam nomen et honor est. Acies per cuneos[3]

Laudibus, et plause sonitum cervicis amare:
Atque hæc jam primo depulsus ab ubere matris
Audent, inque vicem dat mollibus ora capistris
Invalidus, et jamque tremens, et jam inscius æri.
At, tribus exactis, ubi quarta accesserit æstas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina cursu,
Sitque laboranti similis; tum cursibus auras
Provocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix summâ vestigia ponat arenâ.

Quomodò autem milites Romani equos insilire, desilire docerentur tradit Vegetius, I. 18. sed pro more suo jejunè.

[1] *Mixti præliantur.* Quem præliandi morem egregiè describit Julius Cæsar, Bell. Gall. I. 48. *Genus hoc erat pugnæ, quo se Germani exercuerant. Equitum millia erant sex: totidem numero pedites velocissimi, ac fortissimi, quos ex omni copiâ singuli singulos, suæ salutis causâ, delegerant. Cùm his in præliis versabantur, ad hos se equites recipiebant; hi, si quid erat durius, concurrebant. Si qui, graviore vulnere accepto, equo decciderant, circumsistebant; si quò erat longiùs progrediendum, aut celeriùs recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum sublevati, cursum æquarent.*

[2] *Centeni ex singulis pagis.* Ut hæc intelligantur, observandum Germanos divisos fuisse in populos, populos in pagos, pagos in vicos. Germani appellavere pagos suos *Gowen*. Sic adhuc Helvetii in pagos, *Cantons*, dividuntur. Vici autem dicebantur *Hunderte*. Inde originem sumsere Anglorum Hundredæ. Centeni ex singulis pagis legebantur: et quod primò numerus fuit, jam nomen et honor est. Nempe, auctore erudito Dithmaro, vocabantur *die hunderte*, seu centeni. Plures à magnis populis fuisse lectos videtur ex Julio Cæsare, Bell. Gall. IV. 1. *Suevorum gens est longè maxima, et bellicosissima Germanorum omnium. Ii centum pagos habere dicuntur; ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi causâ, suis ex finibus educunt. Reliqui domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio, neque usus belli intermittitur.* Armati legebantur heribanno, seu exercitûs edicto. Inde apud nos adhuc manet vox *Arriereban*.

[3] *Per cuneos.* Vegetius, III. 19. *Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ juncta cum acie primò angustior, deinde latior procedit, et adversariorum ordines rumpit: quia à pluribus in unum locum tela mittuntur. Quam rem milites nominant caput porcinum.* Acies, sic composita, trianguli, pyramidisve speciem referebat, cujus pars angustior hostem versùs dirigebatur. Cùm plures gentes in eodem exer-

componitur. Cedere loco,[1] dummodò rursus instes, consilii quàm formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis prœliis referunt.[2] Scutum reliquisse præcipuum flagitium:[3] nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas: multique superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt.

7. Reges ex nobilitate; duces ex virtute[4] sumunt.

gitu essent, singulæ propriis cuneis componebantur, ut vidimus supra Hist. IV. 16. De cuneo, quem dicimus *a wedge*, vide Cl. de Sigrais, *Mémoires de l'Acad. Roy. des Inscrip.* Vol. XXV. p. 440 et seq.

[1] *Cedere loco.* Exemplum vide supra Annal. II. 11.

[2] *Referunt.* Sanè ut eos patriis sepulcris conderent.

[3] *Præcipuum flagitium.* Id quoque immeritò objicere summa erat injuria. Inde in lege Salicâ, Tit. XXXIII. 5. *Si quis homo ingenuus alio improperaverit, quòd scutum suum jactâsset, et fugâ lapsus fuisset, et non potuerit udprobare.* MALB. AVSTRAPO, DC *den. qui faciunt sol. XV. Angl. 9l. culpabilis judicetur.* Cùm ad explicandum illustrandumque hunc Taciti librum sæpe laudanda sit lex Salica, satis sit hìc prœmonuisse apud Romanos semper citari legem materiamque legis; sic legem ambitûs, majestatis, peculatûs, repetundarum dici: haud aliter apud Germanos citari judicium et materiam judicii. Itaque MALB. seu malbergium, idem est ac judicium. *Austrappen* significat *fugere.* MALB. AVSTRAPO est *judicium de fugitivis.* Vide eruditum Eccardum in not. ad Legem Salicam.

[4] *Duces ex virtute.* Reges, regno; duces bello prœerant. Ex his Germanorum ducibus originem apud Gallos habuisse Majores domûs, meritò sensit Cl. de Vertot, *Mémoires de l' Acad. Roy. des Inscrip.* Vol. II. p. 627. Vide et Cl. de Montesq. *Esprit des Loix*, XXXI. 4. Si reges virtute æquè, ac nobilitate præstabant, imperatoriam illam dignitatem obtinebant. Plures autem reges ducesve vulgò in bella convenichant: tum præstantior imperabat, et communem in bello obtinebat magistratum, qui nullus erat in pace. Inde Julius Cæsar, Bell. Gall. VI. 22. *In pace nullus est communis magistratus.* Impositus autem scuto, et sustinentium humeris vibratus, dux eligebatur; ut dictum est supra Hist. IV. 15. Apud bellicosam gentem idem regibus factitatum, ut videre est apud Gregorium Turonensem, II. 40. *Plaudentes tam parmis, quàm vocibus, eum,* Clodovechum, *clypeo evectum super se regem constituunt.* Apertiùs autem Vitiges, Gothorum rex, apud Cassiodorum, *Variarum*, Lib. X. Ep. 31. *Indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more majorum, scuto supposito, regalem nobis contulisse, præstante Deo, dignitatem. Ut honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant. Non enim in cubilibus angustis, sed in campis latè patentibus electum me esse noveritis: nec inter blandientium de-*

Nec regibus infinita, aut libera[1] potestas: et duces exemplo potiùs quàm imperio: si promti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt. Ceterùm, neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem, nisi sacerdotibus permissum:[2] non quasi in pœnam, nec ducis jussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt: effigiesque, et signa quædam,[3] detracta lucis, in prælium ferunt. Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ et propinquitates: et in proximo pignora:[4] unde fœminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare, aut exigere plagas[5] pavent. Cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

licata colloquia, sed, tubis concrepantibus, sum quæsitus; ut tali fremitu concitatus desiderio virtutis ingenitæ regem sibi martium Gcticus (seu *Gothicus*) *populus inveniret.*

[1] *Infinita, aut libera.* Inde ambiorix, Eburonum, gentis Germanicæ, rex, profitebatur *sua esse ejusmodi imperia, ut non minùs haberet in se juris multitudo, quàm ipse in multitudinem*, Jul. Cæsar, Bell. Gall. v. 27. Si Germanorum Canadensiumque principum potestatem conferas, eamdem omnino reperies. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XVIII. p. 268.

[2] *Nisi sacerdotibus permissum.* Ita ut tamen vitæ necisque potestas maneret penes magistratum, de quo Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI. 23. *Cùm bellum civitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus qui ei bello præsint, ut vitæ necisque habeant potestatem, deliguntur.* Pœna sacerdotibus commissa, ut imperantibus minùs foret invidiæ, punientibus plus reverentiæ.

[3] *Effigiesque, et signa quædam.* Effigies ferarum, ut vidimus supra Hist. IV. 22. quas insigne religionis et tutelam habebant, ut dicetur infra cap. 45. Signa quoque, hostibus capta, quæ, in lucis, Diis patriis suspendebantur. Vide Annal. I. 59. Ut Germani, sic et Canadenses populi Deos suos, quos vocant *Manitous* in bellum prœliumque ferunt. Vide P. de Charlevoix, *Journal Historique d'un voyage de l'Amérique, Lettres* XIV et XV. p. 223 et 236.

[4] *In proximo pignora.* Talem exercitûs ordinem vidimus supra Hist. IV. 18. Ita et apud Britannos in Annal. XIV. 34. Vide quoque Julium Cæsarem, Bell. Gall. I. 51.

[5] *Exigere plagas.* Et expostulare, si ignavi illæsique redîssent, aut indecora vulnera accepissent.

8. MEMORIÆ proditur quasdam acies, inclinatas jam et labantes, à fœminis restitutas, constantiâ precum, et objectu pectorum,[1] et monstratâ cominùs captivitate,[2] quam longè impatientiùs fœminarum suarum nomine[3] timent: adeò, ut efficaciùs obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur.[4] Inesse quinetiam sanctum aliquid, et providum putant: nec aut consilia earum[5] aspernantur, aut responsa negligunt.[6] Vidimus, sub divo Vespasiano, Veledam,[7] diu apud plerosque numinis loco habitam.[8] Sed et olim Auriniam, et compluris[9] alias venerati sunt, non adulatione, nec tamquam facerent Deas.[10]

[1] *Objectu pectorum.* Non modò objiciebant pectora, ne mariti filiive fugerent; sed et ipsæ, desperatis rebus, pugnabant. Hanc fœminarum ferociam expertus est Marius, ut notabitur infra cap. 37. et cùm M. Aurelius Marcomannos, Quados, ceterosque socios Germanos vicisset, *inter cadavera barbarorum, corpora mulierum armata reperta sunt.* Ἐν μέντοι τοῖς νεκροῖς τῶν βαρβάρων, καὶ γυναικῶν σώματα ἀπλισμένα εὑρέθη. Dio, LXXI. p. 802.

[2] *Captivitate.* Sic in acie Arioviſti fœminæ, paſſis crinibus, et ſlentes, orabant ſuos milites, ne ſe in ſervitutem Romanis traderent. Cæsar. Bell. Gall. I. 51.

[3] *Fœminarum suarum nomine.* Quàm suâ ipsorum causâ, ut mox dicetur.

[4] *Imperantur.* Huc fortè spectant, quæ habet Suetonius in Aug. XXI. *A quibusdam novum genus obsidum fœminas exigere* tentavit: *quod negligere marium pignora sentiebat.*

[5] *Nec aut consilia earum.* Eadem de Celtarum fœminis vide apud Plutarchum, *de Virtutibus mulierum*, Vol. II. p. 246. Par quoque Canadensium fœminarum auctoritas. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XIII. p. 208. et *Lettre* XVIII. p. 269.

[6] *Responsa negligunt.* Suffragatur Julius Cæsar, Bell. Gall. I. 50. *Cùm ex captivis quæreret Cæsar, quam ob rem Ariovistus prælio non decertaret? hanc reperiebat causam, quòd apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familias eorum sortibus et vaticinationibus declararent, utrùm prælio committi ex usu esset, nec ne: eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam contendissent.* Quâ autem crudelitate apud Cimbros vaticinarentur illæ fœminæ, vide in not. et emend. ad cap. 8.

[7] *Veledam.* De quâ vide supra Hist. IV. 61 et 65.

[8] *Numinis loco habitam.* Sed posteà captivam. Adeò incerta vel fatidicarum sors! De eâ Statius, Sylv. I. 4. v. 90.

Non vacat Arctoas acies, Rhenumque rebellem,
Captivæque preces Veledæ, et (quæ maxima nuper
Gloria) depositam Dacis pereuntibus urbem
Pandere.

Cùm Rutilius Gallicus Veledam cepisset, fortè Romam ducta est; indeque Tacitus dixit: *Vidimus sub divo Vespasiano Veledam.*

[9] *Compluris.* Antiquè pro *complures.*

[10] *Deas.* Nempe cùm viveret

9. DEORUM[1] maximè Mercurium[2] colunt, cui certis

Aurinia, nondum invaluerat superstitio quæ eas fecit Deas. Inde Tacitus, Hist. IV. 61. *Vetere apud Germanos more, quo plerasque fœminarum fatidicas, et, augescente superstitione, arbitrentur Deas.* Plura vide apud eruditum Keyslerum, *Antiquitates Septentrionales*, in Dissertat. de Mulieribus Fatidicis, p. 456 et seq. Effigiem fœminæ fatidicæ apud Gothos exhibet Columna Theodosiana, quam vide in Cl. Banduri *Imperio Orientali*. Posteà verò tam immodicè fœminas illas fecere Deas, ut inter monumenta Germanica passim occurrant aræ Inscriptionesque positæ MATRIBVS vel MATRONIS SVEBIS, seu Suevis, TREVERIS, AVFANIS, &c. Unicum tantùm exemplum proferam è Grutero, p. 90. n. 10.

IN H. D. D.
DIS. DEAB. Q. OMNIB.
MATRIBVS. VAP
THIABVS. ET GENIO
LOCI. SACRVM. C.
TAVRICIVS. B-F. COS. PRO SE
ET. SVIS. V. S. L. M.
POSVIT. ET. DEDI.

Id est: *In honorem divinæ domûs, Diis, Deabusque omnibus, matribus Vaphtiabus et Genio loci sacrum Caius Tauricius, beneficiarius consulis, pro se et suis votum solvens lubens meritò posuit et dedit, &c.*

[1] *Deorum.* A Tacito dissentire videtur Julius Cæsar, Bell. Gall. VII. 21. *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, et quorum opibus apertè juvantur, Solem et Vulcanum et Lunam: reliquos ne famâ quidem acceperunt.* Distingue tempora; et summa erit Cæsarem inter ac Tacitum consensio. Cæsaris ætate suos, et barbaris ferè omnibus familiares, Deos habuere Germani Solem, Lunam et Vulcanum, id est, ignem, quem sive è silice elicerent, sive velocissimo duorum lignorum affrictu, ut Canadensibus barbaris adhuc mos est, excitarent, sive calidas aquas, quæ in regione occurrunt, spectarent, sive inter tonitrua stridentem audirent, admirari pariter ac venerari cœpere. Posteà Gallorum et Romanorum contactu, Mercurium, Herculem, Martem accepere. Eorum cultus ætate Taciti vigebat. Cùm per Germaniam iter facerem plurima Neptuni monumenta reperi: alia aliorum Deorum occurrunt. Scilicet, labentibus annis, Neptunus, ceteraque Deorum caterva, in Germaniam venêre.

[2] *Mercurium.* Eadem sanè fuit apud Germanos, quàm apud Gallos, Mercurii cultûs causa. De Gallis Julius Cæsar, Bell. Gall. VI. 17. *Deum maximè Mercurium colunt, hujus sunt plurima simulacra; hunc omnium inventorem artium ferunt; hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur.* Inde cùm olim in civitate Aquensi, nunc *Baden*, celebrarentur commercia, atque hàc iter esset in Helvetios, præcipua ibi fuit Mercurii veneratio in monte lucoque prope *Baden*. Quem locum cùm adissem, ut ibi Mercurii monumentum inspicerem, reperi veterem lapidem, quem votivum fuisse puto, cui rudis imago Mercurii insculpta; undequaque longèque disjecti in-

diebus, humanis quoque hostiis[1] litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus[2] placant: pars Suevorum et Isidi sacrificat.[3] Unde causa et origo peregrino sacro, parùm comperi, nisi quòd signum ipsum in modum liburnæ figuratum, docet advectam religionem.[4] Ceterùm,

gentes lapides jacebant: aras fuisse, et antiquissimæ religionis, cùm humanæ hostiæ litarentur, monumenta, arbitror. Hæc cùm cernerem, animum subibat Lucanus, III. 399.

Lucus erat, longo numquam violatus ab ævo.
. . . . . .
. . . . . .
Hic barbara ritu
Sacra Deûm, structæ diris feralibus aræ,
Omnisque humanis lustratu cruoribus arbos.

[1] *Humanis quoque hostiis.* Inde Lucanus, I. 444.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus.

Teutates est Mercurius; Hesus, Mars.

[2] *Concessis animalibus.* Herculi quoque et Marti humanis hostiis litatum fuisse crediderim. De Marte constat, saltem flagrantibus bellis. Sic enim Annal. XIII. 57. *Victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur.* Procopius quoque, Bell. Goth. Lib. II. homines Marti mactatos memorat. At ut Germani Scythicâ sunt origine, ita quoque multùm Scythicæ religionis retinuere. Hæc igitur, si lubet, confer cum iis quæ de Scythis habet Herodotus, IV. 59 et seq. p. 240 et 241.

[3] *Isidi sacrificat.* Asiam Europamque pervagata est religio Ægyptiaca. Repertæ in Germaniâ Inscriptiones non modò ISIDI, sed et I. O. M. SERAPIDI. Multa alia Ægyptiacorum sacrorum apud Germanos monumenta exhibet eruditus Schoepflinus, *Alsat. Illust.* Vol. I. p. 499. Cultum autem Isidis in liburnam figuratæ illustrat Cl. Muratori, *Thesaur. Inscript.* Vol. I. p. 25. Ibi videre est Deam CLATRAM, quæ eadem est ac Isis. Dextrâ sistrum et serpentem tenet; sinistrâ, mensuram Nili crescentis: supra caput calathum gerit: retro est liburna. Cùm Germani Deos in humani oris speciem non adsimularent, Isidem, figuratam in liburnam, venerati sunt Suevi. Ipsos autem, qui Albim, Danubiumque accolerent, à mercatoribus Romanisve edoctos, Isidem, navigantium Deam, coluisse minimè mirum est. Sacrum illud pervulgatum, ac maximè agebatur mense Martio, cùm renovaretur navigatio. Inde in Kalendario vetere. III. Nonas Martii. ISIDIS NAVIGIUM. Vegetius, V. 9. memorat hunc *natalem, ut ita dicam, navigationis, qui solemni certamine, publicoque spectaculo multarum gentium celebratur.* Qui plura volet de cultu Isidis apud Suevos, adeat Cl. de Fontenu, qui duas hoc de argumento dissertationes edidit, *Mém. de l'Acad. Roy. des Inscrip.* Vol. V. p. 63 et seq.

[4] *Advectam religionem.* Ut Romani in veteribus suis nummis æreis, qui extant plurimi, Saturni adventum puppi testati sunt, sic aliæ gentes ad se advectas religiones liburnâ in nummis suis expressâ sæpe declaravere.

nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem adsimulare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur:[1] lucos ac nemora[2] consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud,[3] quod solâ reverentiâ vident.

10. AUSPICIA, sortesque, ut qui maximè, observant.[4] Sortium consuetudo simplex: virgam,[5] frugiferæ arbori decisam, in surculos amputant, eosque, notis quibusdam discretos, super candidam vestem temerè ac fortuitò spargunt: mox, si publicè consuletur,[6] sacerdos civitatis, sin privatim, ipse paterfamiliæ,[7] precatus Deos, cœlumque

[1] *Arbitrantur.* Posteà non arbitrati sunt, templaque et statuas Deis suis posuere. In nummo Postumi, quem publicavit eruditus Sirmondus in not. ad Apollin. Sidon. VIII. 11. videre est templum, in cujus vestibulo stat Hercules, cum epigraphe HERC. DEVSONIENSI. Id est, *Herculi Deusoniensi*, qui Deusene, trans Rhenum, colebatur. Immo *templum Tanfanæ* memoratur supra Annal. I. 51. Vide infra cap. 44. in not. templum Suionum.

[2] *Lucos ac nemora.* Sylvam Herculi sacram vidimus supra Annal. II. 12. Lucum Baduhennæ, Annal. IV. 73. nemus sacrum, Hist. IV. 14. Sylvas, religione vacuas, voluptatique redditas gratulatur Claudianus, de laudibus Stiliconis, I. 228.

Ut procul Hercyniæ per vasta silentia sylvæ
Venari tutò liceat, lucosque vetustâ
Religione truces, et robora numinis instar
Barbarici, nostræ feriant impunè secures.

[3] *Secretum illud.* De quo Seneca, Ep. XLI. *Si tibi occurrit vetustis arboribus, et solitam altitudinem egressis, frequens lucus, et conspectum cæli densitate ramorum aliorum alios protegentium submovens; illa proceritas sylvæ, et secretum loci, et admiratio umbræ, in aperto tam densæ atque continuæ, fidem tibi numinis facit.* Breviter Plinius, XII. 1. *Lucos atque in iis silentia ipsa adoramus.*

[4] *Observant.* Id barbaris omnibus familiare; quibus, quò minor prudentia, eò major superstitio.

[5] *Virgam.* Præsagas quoque virgas apud Scythas memorat Herodotus, IV. 67. p. 242. apud Alanos Ammianus Marcellinus, XXXI. 2. Germanorum divinationem illustrat Rugianorum usus, de quo Saxo Grammaticus, Historiæ Danicæ Lib. XIV. p. 288. Rugiani, Balthici maris accolæ, *tribus ligni particulis, parte alterâ albis, alterâ nigris, in gremium sortium loco conjectis, candidis prospera, furvis adversa signabant.* Sortem illam et surculos, quos *tenos* vocabant, memorat lex Frisionum, Tit. XIV. leg. 1. Alia adhuc et antiquissima hujus divinationis vestigia vide apud Ezechielem, XXI. 21. et Osee. IV. 13.

[6] *Consuletur.* Meliùs, *si publicè consultatur*, ut volebat Muretus.

[7] *Paterfamiliæ.* Etiam matres familias consultavisse patet ex loco Cæsaris, Bell. Gall. I. 50. quem attuli supra cap. 8.

suspiciens, ter singulos tollit, sublatos, secundùm impressam antè notam, interpretatur. Si prohibuerunt, nulla, de eâdem re, in eumdem diem, consultatio: sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hìc notum, avium[1] voces, volatusque interrogare. Proprium gentis,[2] equorum quoque præsagia ac monitus experiri: publicè aluntur iisdem nemoribus[3] ac lucis, candidi, et nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos, ac rex, vel princeps civitatis, comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides, non solùm apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros Deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, quâ gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis, cum quâ bellum est, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt:[4] victoria hujus, vel illius, pro præjudicio accipitur.

11. De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur.[5] Coeunt, nisi

[1] *Avium.* Inde in Concilio Leptinensi, nunc *Lestines*, A.J.C. 743. celebrato, in indiculo superstitionum, quæ prohibentur, agitur *de auguriis vel avium, vel equorum, vel boum stercoribus, vel sternutatione.* Hartzeim, *Concilia Germaniæ*, Vol. I. p. 51.

[2] *Proprium gentis.* Proprium quoque Persarum, qui, teste Herodoto, III. n. 85 et 86. Darium, hinnitu equi regem declaratum salutàrunt. Memorat quoque lib. I. n. 189. in exercitu Cyri equos sacros et candidos. Fugatum Xerxem anteibant equi sacri et sacer currus, *ἵπποι οἱ ἱροὶ, καὶ τὸ ἅρμα τὸ ἱρὸν*, Herodot. VII. n. 55. Causam religionis docet Justinus, I. 10. *Nam et solem Persæ unum Deum esse credunt, et equos eidem sacratos ferunt.* Rugianorum quoque sacerdos auspicia ex equo candido sumebat, ut videre est apud Saxonem Grammaticum, loc. cit.

[3] *Iisdem nemoribus.* Sacris nemoribus ac lucis.

[4] *Committunt.* Inde singularia certamina, *duels*, ferociæ ac superstitionis monumenta, diu tamen tamquam Dei judicium habita. Quâ de re multa habet Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XXVIII. 17.

[5] *Pertractentur.* Insignem hunc locum et in arte politicâ summum tractat Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, VI. 11. Tale libertatis et auctoritatis temperamentum Ger-

quid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, cùm aut inchoatur luna,[1] aut impletur: nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt.[2] Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant.[3] Sic constituunt, sic condicunt:[4] nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quòd non simul, nec ut jussi conveniunt, sed et alter, et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ut turbæ placuit,[5] considunt armati.[6] Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi jus est, imperatur. Mox rex, vel princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est,[7] audiuntur, auctoritate suadendi magis, quàm jubendi potestate. Si displicuit

manicis in sylvis fuisse repertum miratur: et Anglos inde hausisse politicam imperii sui formam docet. Illam à Tacito expressam laudatamque jam vidimus supra Annal. IV. 33.

[1] *Inchoatur luna.* De novâ lunâ vide Julium Cæsarem, Bell. Gall. I. 50. laudatum supra cap. 8.

[2] *Credunt.* Adeò antiqua et apud omnes populos pervulgata lunaris potestatis fama, quæ ne in hâc quidem literarum luce penitus ex hominum animis exolevit! Quàm insanæ vires lunæ tribuerentur, vide apud Plinium, II. 99.

[3] *Noctium computant.* Hoc primævæ antiquitatis monumentum. Nec à diebus, sed à noctibus cœpta tempora, Genes. I. 5. Galli, ut ceteri barbari, id obliti, *se omnes à Dite patre prognatos prædicant, idque à Druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt, et dies natales, et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur*, Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI. 18.

[4] *Sic condicunt.* Cùm tempus, quo quid faciendum constituunt; quo in jus veniendum condicunt; non tot dies, sed tot noctes, constituunt condicuntve. Sic in Lege Salicâ, Tit. XLVIII. *inter decem noctes.* Tit. L. *in noctes* XL. et alibi passim *noctes* pro *dies* usurpantur.

[5] *Ut turbæ placuit*, Meliùs, *ut turba placuit.* Id est, satis numerosa visa est. Vide not. et emend. ad cap. 11.

[6] *Considunt armati.* Medioque in campo. Horum adhuc conciliorum manent vestigia immensis lapidibus conspicua. Vide Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Dannemarck*, p. 102 et seq. Huc quoque referendum videtur Britannicum *Stonehenge*, jam memoratum, Ann. XIV. cap. 37. not. sup.

[7] *Facundia est.* Magna est apud barbaros eloquentiæ vis. Inde de Canadensibus populis P. Creuxius, *Historia Canadensis*, p. 69. *Quibus est dicendi vis à naturâ concessa, dominantur nimirum, præsuntque ceteris, pluribus, paucioribusve, ut cujusque major minorve est eloquentia.*

sententia, fremitu aspernantur: sin placuit, frameas concutiunt.[1] Honoratissimum assensûs genus est, armis laudare.

12. LICET apud concilium accusare quoque, et discrimen capitis intendere. Distinctio pœnarum ex delicto: proditores[2] et transfugas arboribus suspendunt:[3] ignavos, et imbelles,[4] et corpore infames,[5] cœno ac palude, injectâ insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquàm scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia

[1] *Frameas concutiunt.* Hoc armorum sono Civilis orationem approbatam vidimus supra Hist. IV. 15.

[2] *Proditores.* Sic Tassilo, dux Bajoariæ, *Bavaria*, proditionis reus, à Francis, Bajoariis, Langobardis, Saxonibus, et reliquis in concilio præsentibus, capite damnatus est. Sed Caroli Magni clementiâ, accisis crinibus et veste monasticâ indutus, in monasterium trusus est. Vide eruditum Eccardum, *De Rebus Franciæ Orientalis*, Vol. I. p. 725.

[3] *Arboribus suspendunt.* Ut ibi vitam finirent. Unde si deponerentur, gravis erat pœna. Vide not. et emend. ad cap. 12.

[4] *Ignavos et imbelles.* Vidimus supra cap. 6. infra quoque videbimus cap. 14 et 31. ignavos et imbelles vixisse, sed squalidos et probrosos, ùt tales homines decet. Qui sunt ergò ignavi illi et imbelles, quorum flagitium capitale est? Existimaverim eos esse, qui, dato militiæ nomine, ad bellum non proficiscerentur. Vide Julium Cæsarem, Bell. Gall. VI. 22. Postèa edixit Imperator Clotharius in lege Langobardorum, lib. III. Tit. XIII. Leg. 1. *Quicumque liber homo à Comite suo fuerit admonitus, aut ministris ejus, ad patriam defendendam, et ire neglexerit, et exercitus supervenerit ad istius regni vastationem, vel ad contrarietatem fidelium nostrorum, capitalisubjaceat sententiæ.* Illud crimen adhuc summum est apud Canadenses barbaros. Vide P. de Charlevoix, *Journal Historique d'un voyage dans l'Amérique*, *Lettre* XIV. p. 217. Porrò cùm proditorum, transfugarum, ignavorum et imbellium odiosissima essent scelera flagitiave, inde, si immeritò objicerentur, atrocia erant convitia. Huc spectat Lex Salica, Tit. XXXIII. *de Convitiis*, leg. 3. *Si quis alterum concacatum aut vulpeculam vocaverit*, 120. *den. qui faciunt sol.* 3. *Angl.* 1*l.* 16*s. culpabilis judicetur*, leg. 4. *Si quis alterum leporem clamaverit*, 240. *den. qui faciunt solid.* 6. *Angl.* 3*l.* 12*s. culpabilis judicetur.*

[5] *Corpore infames.* Flagitium illud apud Germanos adeò fuit pudendum, ut vel ejus nomen viro objecisse gravissimè plecteretur. In lege Salicâ, Tit. XXXIII. *de Convitiis.* leg. 1. *Si quis alterum cinnitum vocaret*, MALB. QVINTVO, 600. *den. qui faciunt sol.* 15. *Angl.* 9*l. culpabilis judicetur.*

abscondi.[1] Sed et levioribus delictis,[2] pro modo, pœna: equorum pecorumque numero[3] convicti multantur: pars multæ[4] regi, vel civitati, pars ipsi qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis et principes,[5] qui jura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comitès, consilium simul et auctoritas, adsunt.

[1] *Flagitia abscondi.* Egregiè dictum. Flagitia enim vel pœnâ discuntur. Publicâ autem famâ crescit horror scelerum. Turpia sunt flagitia, iniqua scelera. Inde Livius, XXXIX. 16. *Minùs tamen esset, si flagitiis tantùm effœminati forent (ipsorum magnâ ex parte dedecus erat) à façinoribus manus, mentem fraudibus abstinuissent.* In lege Burgundionum, Tit. XXXIV. leg. 1. *Si qua mulier maritum suum, cui legitimè juncta est, dimiserit, necetur in luto.*

[2] *Levioribus delictis.* Ne ita levia tamen delicta credideris. Iis enim annumerantur homicidia, adulteria, furta, aliaque id genus plurima, ut constat ex Germanorum legibus ipsoque Tacito infra cap. 21. Verùm ut cognoscantur quænam essent illæ delictorum pœnæ, proponenda sunt exempla, quæ vide in not. et emend. ad cap. 12.

[3] *Pecorumque numero.* Eæ tunc solæ opes, ut dictum supra cap. 5. Posteà accessit argenti aurique copia. Inde in lege Salicâ pœnæ omnes pecuniariæ sunt. Mansit tamen pecorum usus, ut patet ex lege Saxonum, Tit. XVIII. *Solidus est duplex: unus habet duos tremisses, id est, bos* 12 *mensium, vel ovis cum agno: alter solidus tres tremisses, id est, bos* 16 *mensium. Majori solido aliæ compositiones, minori homicidia componuntur.* Ibidem, apud Westfalaios et Angrarios et Ostfalaios *solidus est, secalis sceffila* 30. *ordei* 40. *avenæ* 60. —*quadrimis* (meliùs *quadrimus*) *bos, duo solidi: duo boves, quibus arari potest, quinque solidi: bos bonus tres solidi: vacca cum vitulo, solidi duo et semis.* Plura adhuc, et apud Germanorum mores intelligendos præstantissima docebunt leges Ripuariorum, quas vide in not. et emend. ad cap. 12. Solidus autem Saxonicus duorum tremissium valebat circiter *Angl. 7s. 6d.* Solidus trium tremissium valebat circiter *Angl.* 11*s.*

[4] *Pars multæ.* Multa illa passim in lege Salicâ appellatur *fredum*, id est, *pax*, solveretur regi vel civitati, quasi tutoribus firmatoribusque pacis ac securitatis publicæ. Hâc de re egregiè disseruit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XXX. 20. At idem Cl. Scriptor, loc. cit. cap. 19. opinatur Germanos adhuc fuisse in statu naturæ tempore Taciti. Cui vix assentiar. Ubi enim reges, ubi civitates, ubi freda, seu multæ, quæ regi, vel civitati, ubi Widrigilda, id est, certæ compositiones, quæ ipsi qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvantur, ibi desiit status naturæ, ibi dominantur leges, ibi vigent legum imperia.

[5] *Et principes.* Paucis explicandæ civilis Germanorum οἰκονομίας. Erant divisi in *populos*. Alii regnabantur, ibi *reges:* aliis placuit civitas, quæ prima est rei-

13. NIHIL autem neque publicæ neque privatæ rei, nisi armati agunt.[1] Sed arma sumere non antè cuiquam moris, quàm civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto frameâque juvenem ornant:[2] hæc apud illos togâ,[3] hic primus

publicæ forma, ibi *principes*. *Reges* regno, *principes* civitati præerant. Tum in regnis, tum in civitatibus rem militarem regebant *duces*. *Populi* autem dividebantur in *pagos*. Sic Semnones centum pagis habitabantur, ut dicetur infra cap. 39. Helvionum gens quingentis pagis incolebat, Plin. IV. 13. Singulis *pagis* unus erat princeps, aut potiùs comes, qui jura reddebat. *Pagi*, ut notatum est supra cap. 6. p. 13. subdividebantur in *Vicos*, seu Hundredas, quæ centenæ centuriæve dicebantur, quòd centum villas continerent. In unoquoque vico unus erat ex plebe comes, aut potiùs centenus, qui et centenarius appellatus est. Coram centeno centenariove minores causæ dirimebantur. Coram comite causæ omnes tam majores, quàm minores, cognoscebantur ac judicabantur. Inde in lege Alamannorum, Tit. XXXVI. leg. 1. *Conventus secundùm antiquam consuetudinem fiat in omni centenâ coram comite, aut suo Misso, et coram centenario ipsum placitum fiat.* Et in Capitularibus Caroli Magni et Ludovici Imperatoris, III. 79. *Ut pullus homo in placito centenarii neque ad mortem, neque ad libertatem suam amittendam, vel ad res reddendas, vel mancipia judicetur; sed ista in præsentiâ comitis, vel Missorum nostrorum, judicentur.* Penes illos comites et centenarios consilium erat et auctoritas, ut patet. Centeni autem à Tacito dicti sunt *Comites* ex usu Romanorum, apud quos honorum nomina erant Cæsar, Legatus Cæsaris, et comites legati. Vide Digest. lib. I. Tit. 22. *de Officio Adsessorum.* leg. 4. Tempora autem conventuum placitorumque ita determinat lex Alamannorum, Tit. XXXVI. leg. 2. *Ipsum placitum fiat de sabbato in sabbatum, aut quali die comes, aut centenarius voluerit, à septem in septem noctes, quandò pax parva est in provinciâ: quandò autem melior est, pòst* XIIII. *noctes fiat conventus in omni centenâ, sicut superiùs diximus.* Sub dio, loco paulo editiore, ulmo, quercu, aliâve densâ arbore obumbrante, conventus celebrabantur.

[1] *Armati agunt.* Ipsique judices armati. Inde in Lege Salicâ, Tit. XLVII. leg. 1. *In ipso Mallo,* id est, placito, seu conventu judiciali, *scutum habere debent.* Morem illum retinuere populi omnes Germanicæ originis. Apud eos decoris et urbanitatis est in publicum non prodire, nisi gladio accinctos. Contra verò Romani tantùm in bello armati.

[2] *Juvenem ornant.* Hæc Equestris nobilitatis, avorum nostrorum memoriâ celebratissimæ initia. Filii regum à regibus exteris arma accepisse videntur. Inde cùm Audoin, Gepidorum victor, à Langobardis incitaretur, ut cum filio suo Alboin, victoriæ participe, pranderet, id negavit: *scitis enim, inquit, non esse apud nos consuetudinem, ut regis filius cum patre prandeat, nisi priùs à rege gentis exteræ arma suscipiat.* Warnefridus, *de Gestis Langobard.* I. 23.

[3] *Toga.* Ut toga, de quâ dictum

juventæ honos: ante hoc domûs pars[1] videntur, mox reipublicæ. Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, principis dignationem[2] etiam adolescentulis adsignant. Ceteri robustioribus[3] ac jampridem probatis aggregantur: nec rubor inter comites[4] aspici. Gradus quinetiam et ipse comitatus habet, judicio ejus, quem sectantur: magnaque et comitum æmulatio, quibus primus apud principem suum locus; et principum, cui plurimi et acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ vires,[5] magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello præsidium. Nec solùm in suâ gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationibus, et muneribus ornantur, et ipsâ plerumque famâ bella profligant.[6]

Annal. XII. 41. Romanæ juventæ primus honos, sic scutum frameaque prima Germanicæ juventutis decora. Quæ assecuti videntur duodecimo aut quintodecimo ætatis anno. Interim nullis educationis deliciis fracti, ut videbimus infra cap. 20. ad bellicam virtutem adolescebant, seque civitatibus approbabant. Inde Seneca, Ep. XXXVI. *Si in Germaniâ natus esset, protinus puer tenerum hastile libraret.* Idem Seneca, de Irâ, I. 11. *Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturque: quorum unica illis cura est, in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magnâ ex parte non tegumenta corporum provisa sunt; non suffugia adversùs perpetuum cæli rigorem.* Plura vide infra cap. 24.

[1] *Domûs pars.* A servis non discreti. Vide infra cap. 19.

[2] *Principis dignationem.* Principis dignitatem. Sic apud Livium, II. 16. *Appius inter Patres lectus, haud ita multò post in principum dignationem pervenit.* Id est, inter principes cives Romanos habitus est, ut rectè explicat Pichena.

[3] *Ceteri robustioribus.* Vide not. et emend. ad cap. 13.

[4] *Inter comites.* Tanta apud Germanos illorum comitum fuit existimatio, ut si occiderentur læderenturve, triplo major, quàm pro ceteris ingenuis hominibus solvenda esset compositio, ut videbimus infra in not. et emend. ad cap. 21. ubi de homicidiorum pretio dicemus.

[5] *Hæc dignitas, hæ vires.* Hunc locum caputque sequens fermè integrum mirâ brevitate et elegantiâ vertit Cl. de Montesquieu, *Esprit de Loix*, XXX. 3. Illustri exemplo Gallicam linguam latinæ Cornelianæque brevitati non esse imparem. Vide not. et emend. ad cap. 13.

[6] *Profligant.* Pænè conficiunt. De verbo *profligare* dictum supra

14. Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci; turpe comitatui, virtutem principis non adæquare. Jam verò infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo[1] ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus adsignare, præcipuum sacramentum est. Principes pro victoriâ pugnant: comites pro principe. Si civitas, in quâ orti sunt, longâ pace et otio torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt; quia et ingrata genti quies, et faciliùs inter ancipitia clarescunt, magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare: exigunt enim[2] principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam.[3] Nam epulæ, et quamquam incomti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. Materia munificentiæ per bella, et raptus. Nec arare terram, aut expectare annum,[4] tam facilè persuaseris, quàm vocare hostes[5] et vulnera mereri: pigrum quinimmo et iners videtur sudore adquirere, quod possis sanguine parare.

15. Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus,[6]

Hist. II. 4. Diu apud nos viguit hæc comitum dignitas, hæc fama. Resurgat in ephebeo militari, *military college*.

[1] *Superstitem principi suo.* Inde cùm Chonodomarus, Alamannorum rex, à Romanis fuisset captus, *comites ejus ducenti numero, et tres amici junctissimi, flagitium arbitrati post regem vivere, vel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos.* Ammian. Marcell. XVI. 13.

[2] *Exigunt enim.* Inde originem juris clientelaris non immeritò repetit Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XXX. 3. Tunc quidem bellator princeps, bellatrici nobilitati equum, frameam, cibos dabat. Deinde, ortâ cupiditate, data pecunia, demum prædia, quæ primùm beneficia tantùm fuere, posteà hereditaria: tunc dicta sunt *Fiefs*.

[3] *Frameam.* De quâ supra cap. 6.

[4] *Expectare annum.* Ut colligantur fruges.

[5] *Vocare hostes.* Id est, provocare. Sic Virgilius, Georg. IV. 76.

Maghisque vocant clamoribus hostem.

Nempe provocant, ut explicat Servius.

[6] *Non multum venatibus.* Lipsius, Ernestus, Menage, aliique

plus per otium transigunt, dediti somno, ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegatâ domûs, et penatium, et agrorum curâ fœminis senibusque, et infirmissimo cuique ex familiâ, ipsi hebent:[1] mirâ diversitate[2] naturæ, cùm iidem homines sic ament inertiam, et oderint quietem. Mos est civitatibus, ultro ac viritim[3] conferre principibus, vel armentorum,[4] vel frugum,[5] quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus[6] subvenit. Gaudent

multi eruditi viri, deletam volunt particulam *non*. Certè rectè omitteretur. Idem tamen sensus, seu retinetur, seu omittitur. Plus enim temporis per otium transigunt, quàm venatibus. Paucis mensibus venantur: reliquum anni somno ciboque datum. Hæc adhuc Canadensium populorum vita. Oratoriè magis, quàm verè, Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI. 21. Germanorum *vita omnis in venationibus et in studiis rei militaris consistit.*

[1] *Ipsi hebent.* Egregiè dictum. Nec in Canadensium sylvis aliter vivitur. Id graphicè expressit P. Creuxius, *Historia Canadensis*, p. 65. *Si iter venationemque exceperis, humi sedent, aut in latus alterum incumbunt; stare ipsis pro carnificinâ: crura illico intumescere causantur.* Causam hujus inertiæ jam supra attulerat idem scriptor, p. 57. *Extra venationem bellaque, quidquid laborum ærumnarumque vitam quotidianam exercitam habet, totum ferè id in miseras fœminas viri rejiciunt, tamquam contra decorum sit quidquam à se hujuscemodi ministeriorum attingi.*

[2] *Mirâ diversitate.* Immo naturæ omnino consonâ. Apud barbaros extrema sunt omnia: pax, bellum; motus, inertia; amor, odium. Nihil moderati. Causa est, quòd impetu magis, quàm ratione, regantur.

[3] *Ultro ac viritim.* Hæc tributorum primordia. At tunc collationes fiebant sponte ultroque ac sine ullâ necessitate. Fiscorum initia vidimus supra cap. 12. cùm *pars multæ regi, vel civitati*, exsolveretur. Vectigalium usus, docuere Romani, qui ea à Germanis exigebant. Vide supra Hist. IV. 65.

[4] *Vel armentorum.* Sic posteà, cùm vigerent tributa, jussi sunt Saxones regibus nostris Clothario I. et Pipino annuum tributum quingentos boves vaccasque solvere. Vide eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis*, Vol. I. p. 84 et 480.

[5] *Vel frugum.* Atque etiam multo pòst tributa melle, frugibus, et alio quolibet terræ proventu soluta sunt. Vide eruditum Eccardum, ibid. p. 392.

[6] *Neccssitatibus.* Ad sumtus belli, aliasque necessitates, atque in primis ad publicorum conviviorum impensas. Inde præter *Steora*, seu tributa annua, *Osterstuopha*, seu Paschalia pocula, cùm publicus conventus esset proximus, regibus nostris persolvebantur. *Eccardus*, ibid. Diu viguit ille usus. Apud majores nostros, cùm eorum filii ad equestrem nobilitatem evehebantur, subditi populi munera offerebant. Novis

præcipuè finitimarum gentium donis, quæ non modò à singulis, sed publicè mittuntur: electi equi, magna arma, phaleræ, torquesque.[1] Jam et pecuniam accipere docuimus.[2]

16. NULLAS Germanorum populis urbes habitari,[3] satis notum est: ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis et cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat,[4] sive adversùs casus ignis[5] remedium, sive inscitiâ ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum usus: materiâ[6] ad omnia utuntur informi, et citra speciem, aut delectationem. Quædam loca diligentiùs illinunt terrâ,[7]

nostris regibus munera adhuc offerimus, quæ pro suâ humanitate et liberalitate remisit beneficentissimus rex LUDOVICUS XVI. Vide in Append. Chronol. not. inf.

[1] *Phaleræ, torquesque.* Hæc militaria dona, virtutisque bellicæ insignia. Erant et phaleræ, quibus ornabantur equi. Vide Sidon. Apol. Epist. IV. 20.

[2] *Docuimus.* Pessimo quidem instituto, et quod in Romani imperii ruinam cessit. Germani enim, teste Herodiano, lib. VI. p. 139. pecuniæ sunt avidi, et semper auro pacem Romanis cauponabantur. *Τύτῳ γὰρ (χρημάτων) μάλιστα Γερμανοὶ πείθονται, φιλάργυροί τε ὄντες καὶ τὴν εἰρήνην αἰεὶ πρὸς Ῥωμαίους χρυσίῳ καπηλεύοντες.*

[3] *Urbes habitari.* Diuque mansit hic usus. Nam ne unius quidem urbis memoria apud Ammianum Marcellinum, qui bella Romanorum in Germaniâ descripsit. Itaque non urbium, sed vicorum sunt nomina, quæ habet Ptolemæus, II. 11. Germanis ne fuere quidem oppida, licet aliter scripserit Julius Cæsar. Vide Cluverium, *Germ. Antiq.* I. 13. p. 104.

[4] *Spatio circumdat.* Illud spatium, domui circumjectum, et sepibus cinctum, fuit celebratissima illa terra Salica, quæ erat virilis, non muliebris, sextûs hereditas. Sed hâc de re plura in not. et emend. ad cap. 20. ubi de successionis legibus apud Germanos agetur. Vide et Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XVIII. 22.

[5] *Adversùs casus ignis.* Et pace quidem, magisque adhuc bello, metuendos. *Ferventes* enim *fusili ex argillâ glandes fundis, et fervefacta jacula in casas*, quæ stramentis erant tectæ, jacere noverant, ut accipimus ex Julio Cæsare, Bell. Gall. V. 42. Canadenses populi, Germanis incautiores, casas parùm separant; ideoque incendiis sæpe obnoxii.

[6] *Materiâ.* Lignis informibus utebantur.

[7] *Illinunt terrâ.* Terram illam sanè è suis montibus effodiebant. Fortè etiam è Britanniâ advectam usurpabant. Anno 1647. in insulâ

in purâ ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent et subterraneos specus[1] aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt: et si quandò hostis advenit, aperta populatur: abdita autem et defossa, aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quòd quærenda sunt.

17. TEGUMEN omnibus sagum,[2] fibulâ, aut, si desit, spinâ consertum.[3] Cetera intecti,[4] totos dies juxta focum atque ignem[5] agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ ac Parthi,[6] sed

Walcheren, in Zelandiâ, reperta sunt plurima monumenta Deæ Nehalenniæ posita. Inter votivas Inscriptiones una extat: OB MERCES RITE CONSERVATAS M. SECVND. SILVANVS NEGOTTOR (id est, *negotiator*) CRETARIVS BRITANNICIANVS V. S. L. M. Id est, *votum solvit lubens meritò*.

[1] *Subterraneos specus.* Sic quoque de Sarmatis Mela, II. 1. *Ob sæva hiemis admodùm assiduæ, demersis in humum sedibus, specus aut suffossa habitant.* Kircherus, ætate suâ, cùm Germania per quadraginta ferè annos bellis conflagravit, vidit Germanos quamplurimos, qui se cum pecoribus, armentis, ceterisque facultatibus in altissimorum montium antra reciperent. De his aliisque subterraneis specubus multa et curiosa habet Kircherus, *Mundus Subterraneus*, VIII. 3. p. 100.

[2] *Sagum.* Pallium quoddam quadrum fuit sagum, dictus quoque *rheno*. Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI. 21. *Pellibus, aut parvis rhenonum tegumentis utuntur; magnâ corporis parte nudâ.* Et Isidorus, XIX. 23. *Rhenones, sunt velamina humerorum et pectoris usque ad umbilicum, atque intortis villis adeò hispida, ut imbres respuant.* Mela, III. 3. *Viri sagis velantur, aut libris arborum, quamvis sæpè hieme.* Hæc fortè pauperum tegumenta. Si de Germanorum vestibus plura volueris, adi eruditum Pelloutier, *Histoire des Celtes*, II. 6.

[3] *Spinâ consertum.* Sic Virg. Æneid. III. 593.

Consertum tegmen spinis.

[4] *Cetera intecti.* Viri mulieresque ita intecti. Vide Julium Cæsarem, Bell. Gall. VI. 21.

[5] *Juxta focum atque ignem.* Et sanè inter fumi vortices. Sic vivunt Canadenses populi. Ingentes ignes in stramineis eorum casis ardent. Supernè quidem imminet magnum foramen, quod noctu adversùs imbrium nivisque casus claudunt. Tanta verò fumi nubes, ut, ni longa esset adsuetudo, et in terrâ ubi levior est aer, recubarent, penitus suffocarentur.

[6] *Parthi.* Fluitantem hanc Sarmatarum ac Parthorum vestem nummi plurimi exprimunt. Sar-

strictâ [1] et singulos artus exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripæ negligenter,[2] ulteriores exquisitiùs, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras,[3] et detracta velamina spargunt maculis[4] pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare[5] gignit. Nec alius fœminis quàm viris habitus, nisi quòd fœminæ sæpiùs lineis amictibus[6] velantur, eosque purpurâ[7] variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos:[8] sed et proxima pars pectoris patet.

matarum laxitatem imitati sunt Cisrhenani Vangiones ac Batavi. Lucanus, I. 430.

Et qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis
Vangiones, Batavique truces.

[1] *Strictâ.* Quam exprimit Apollin. Sidon. Carm. v. 244.

Strictiùs assutæ vestes procera coercent
Membra virûm: patet his altato tegmine poplex.

Idem Sidon. Epist. IV. 20. comites Sigismeris describit: *Quorum pedes, perone setoso, talos adusque vinciebantur. Genua, crura, suræque sine tegmine. Præter hoc vestis alta, stricta, versicolor, vix appropinquans exertis poplitibus. Manicæ sola brachiorum principia velantes. Viridantia saga limbis marginata puniceis, penduli ex humero gladii, balteis super currentibus, strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus.*

[2] *Negligenter.* Rheni ac Danubii ripæ proximi negligenter, ac sine delectu, ferarum pelles gestabant, quòd commerciorum facilitate aliæ vestes, alii cultus placerent. Ulteriores verò, Oceani ac Baltici maris accolæ, quibus nullus per commercia cultus, exquisitiùs pellibus utebantur.

[3] *Eligunt feras.* Quibus molliora, nitidioraque velamina.

[4] *Spargunt maculis.* Varietate colorum lætantur omnes barbari. Inde Germani pelles suas maculis spargebant, et è diversarum belluarum pellibus diversas lacinias adsuebant, ut major esset varietas. Nos quoque, licèt elegantiùs, nivea murium Ponticorum vellera, *Ermineis*, nigris agnorum maculis spargimus.

[5] *Exterior oceanus, atque ignotum mare.* Oceanus Septemtrionalis ac mare pigrum, *the Frozen Ocean*, de quo dicetur infra cap. 45. Sic adhuc Septemtrionales populi, *people of Greenland*, barbaræ veterum Germanorum reliquiæ, trichecorum, spinacum, *lamentines*, *sea-dogs*, pellibus vestiuntur.

[6] *Lineis amictibus.* Idem testatur Plinius, XIX. 1. *vela texunt—et Transrhenani hostes: nec pulchriorem aliam vestem eorum fœminæ norere.*

[7] *Purpurâ.* Haud sanè exquisitâ illâ purpurâ, quâ fulgebant proceres Romani; sed aliâ vulgari, de quâ Plinius, XVI. 18. *Item vaccinia—Galliæ etiam purpuræ tingendæ causâ ad servitiorum vestes.*

[8] *Ac lacertos.* Lacerti, pars brachiorum humeris proxima.

18. QUAMQUAM severa illic matrimonia:[1] nec ullam morum partem magis laudaveris:[2] nam prope soli barbarorum[3] singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodùm paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem[4] plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito,[5] sed uxori maritus offert. Intersunt parentes et propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus nova nupta comatur; sed boves, et frœnatum equum, et scutum cum frameâ gladioque. In hæc munera[6] uxor accipitur, atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales Deos[7] arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prælio passuram ausuramque: hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data

[1] *Matrimonia.* Et inde severæ illæ leges, quæ extant in lege Salicâ, quarum præcipuas vide in not. et emend. ad cap. 18.

[2] *Magis laudaveris.* Quanto pars illa morum apud Germanos fuit laudabilior, tanto apud Romanos, teste Juvenali, Satyr. VI. pejor, et in dies corruptior. Unde Salvianus, *de Gubernatione Dei*, Lib. VII. *Esse inter Gothos non licet scortatorem Gothum: soli inter eos, præjudicio nationis ac nominis, permittuntur impuri esse Romani—Impudicitiam nos diligimus, Gothi execrantur: puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen atque discrimen est, apud nos decus—Omne impuritatis scelus, omnis impudicitiæ turpitudo à Romanis admittitur, et à barbaris vindicatur.* Ibidem Vandalorum pudicitiam laudat.

[3] *Prope soli barbarorum.* Inter Canadenses populos eadem temperantia apud Hurones reperta. P. de Charlevoix, *Journal Historique d'un Voyage dans l'Amerique, Lettre* XIX. p. 283.

[4] *Ob nobilitatem.* Sic Ariovisto duæ fuere uxores, Jul. Cæsar, Bell. Gall. I. 53. Aliis plures. Tantoque diutiùs duravit hæc licentia, quòd in eâ erat et opulentiæ argumentum, et nobilitatis insigne. Vide Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XVIII. 25.

[5] *Non uxor marito.* Cùm de hâc dote nuptiisque, in quibus haud minor Martis pompa, quàm Veneris fuit, plura sint dicenda, vide not. et emend. ad cap. 18.

[6] *Munera.* Alia sunt Canadensium munera et viliora; sed quibus uxores quoque laborum admoneantur. P. de Charlevoix, ibid. p. 286.

[7] *Conjugales Deos.* Hæc arcana sacra in Neronis nuptiis vidimus supra Annal. XV. 37.

arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum: accipere se, quæ liberis inviolata[1] ac digna reddat, quæ nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant.

19. Ergo septâ pudicitiâ[2] agunt, nullis spectaculorum inlecebris,[3] nullis conviviorum inritationibus corruptæ. Literarum secreta[4] viri pariter ac fœminæ ignorant. Paucissima in tam numerosâ gente adulteria, quorum pœna præsens, et maritis permissa.[5] Accisis crinibus,[6] nudatam, coram propinquis, expellit domo maritus, ac per omnem

[1] *Liberis inviolata.* Benè quidem; et sic in lege Saxonum, Tit. VII. *de Dote. Ostfalai et Angrarii volunt, si fœmina filiis genuerit, habeat dotem, quam in nuptiis accepit, quamdiu vivit, filiisque dimittat.*

[2] *Septâ pudicitiâ.* Sic fermè Livius, III. 44. *Postquàm omnia pudore septa animadverterat.*

[3] *Spectaculorum inlecebris.* Seneca, Epist. VII. *Nihil verò est tam damnosum bonis moribus, quàm in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem faciliùs vitia surrepunt. Quid me existimas dicere? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior.*

[4] *Literarum secreta.* Literas quidem noverant, ut patet ex Marobodui et Adgandestrii epistolis, Annal. II. 63 et 88. At amatoria et furtiva literarum secreta viri pariter ac fœminæ ignorabant. Præterea rarissimus fuit literarum usus apud rudem bellicosamque gentem. Ea rusticitas diu obtinuit. Inde, ut annalibus nostris compertum, non modò plebs, sed et nobiles viri, et militaris gloriâ præstantissimi, ut illustrissimus du Guesclin, aliique plurimi, nec scribere, ne legere quidem noverant.

[5] *Maritis permissa.* Atque ita quidem lex Wisigothorum, Lib. III. Tit. IV. *de Adulteriis*, leg. 3. *Si cujuslibet uxor adulterium fecerit, et deprehensa non fuerit, ante judicem competentibus et indiciis maritus accuset. Quod si mulieris adulterium manifestè patuerit, adulter et adultera secundùm superioris legis ordinem ipsi tradantur: ut quod de eis facere voluerit, in ejus proprio consistat arbitrio.* leg. 4. *Si adulterum cum adulterâ maritus vel sponsus occiderit, pro homicidâ non teneatur.* Lex autem Burgundionum, Tit. LXVIII. leg. 1. *Si adulterantes inventi fuerint, et vir ille occidatur et fœmina.* leg. 2. *Nam hoc observandum est, ut aut utrumque occidat: aut si unum occiderit, pretium ipsius solvat, sub eâ traditione pretii, quæ est prioribus legibus constituta.*

[6] *Accisis crinibus.* Apud Germanos multum decus in crinibus. Ideo accisi crines ob scelus, pœna; sine crimine, injuria fuit. Vide Legem Salicam, Tit. XXVIII. *de Homicidiis parvulorum*, leg. 2 et 3. et legem Burgundionum, in additamento primo, Tit. V. *De his, qui mulieribus corruptis crines in curte suâ capulaverint.* Id est, *amputaverint.*

vicum verbere agit:[1] publicatæ enim[2] pudicitiæ nulla venia: non formâ, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet: nec corrumpere et corrumpi, seculum vocatur.[3] Meliùs quidem adhuc eæ civitates,[4] in quibus tantùm virgines nubunt,[5] et cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum quo modo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium[6] ament. Numerum liberorum

[1] *Verbere agit.* Apud Saxones ipsæ fœminæ erant violatæ pudicitiæ vindices, teste S. Bonifacio, Archiepiscopo Moguntino, in Epistolâ ad Ethelbaldum, Anglorum regem. *In antiquâ Saxoniâ*, nunc *Westphalia, si virgo paternam domum cum adulterio commaculaverit, vel si mulier maritata, fracto fœdere matrimonii, adulterium perpetraverit, aliquandò cogunt eam propriâ manu per laqueum suspensam vitam finire, et super bustum illius incensæ et concrematæ corruptorem ejus suspendunt: aliquandò congregato exercitu fœmineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt; virgis cædentes et vestimenta ei abscindentes juxta cingulum et cultellis suis totum corpus ejus secantes et pungentes, minutis vulneribus cruentatam et laceratam de villâ in villam mittant, et occurrunt semper novæ flagellatrices, zelo pudicitiæ adductæ, usque dum eam aut mortuam, aut vix vivam derelinquant; ut ceteræ timorem adulterandi et luxuriandi habeant.* Vide Michaelem Alfordum, *Annales Ecclesiæ Anglo-Saxonicæ*, Vol. II. p. 569. et Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis*, Vol. I. p. 472.

[2] *Publicatæ enim.* Veriùs, *publicatæ etiam*; ut id ad innuptas pertineat.

[3] *Seculum vocatur.* Primum vitiis pudor est et infamia; mox gliscunt audacia: demum mores fiunt; tum, profligatâ pudicitiâ, vivere, seculum vocatur.

[4] *Eæ civitates.* Tales videntur fuisse Cimbrorum civitates, ut conjicere licet ex Valerio Maximo, VI. 1. n. 3. Extern. *Teutonum conjuges Marium victorem orârunt, ut ab eo virginibus Vestalibus dono mitterentur, affirmantes æquè se, atque illas virilis concubitûs expertes futuras, eâque re non impetratâ, laqueis sibi, nocte proximâ, spiritum eripuerunt.* Vide jam dicta supra cap. 8. not. sup.

[5] *Virgines nubunt.* Contra verò apud Romanos in immensam licentiam trahebantur leges. Quod de Thelesinâ adulterâ queritur Martialis, VI. 7.

Julia lex populis ex quo, Faustine, renata est,
Atque intrare domos jussa pudicitia est:
Aut minùs, aut certè non plus tricesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quæ nubit toties, non nubit; adultera lege est.
Offendor mœchâ simpliciore minùs.

De eodem argumento multa passim occurrunt, maximè apud Martialem et Juvenalem.

[6] *Tamquam matrimonium.* Sic, vel extincto marito, superstes ma-

finire,[1] aut quemquam ex agnatis[2] necare, flagitium habetur: plusque ibi boni mores valent,[3] quàm alibi bonæ leges.

nebat matrimonii fides, pro quâ apud nonnullas gentes erat moriendum. Unde S. Bonifacius in Epist. cit. *Winedi, quod fœdissimum et deterrimum genus hominum, tam magno zelo matrimonium mutuo amore observant, ut mulier viro proprio mortuo, vivere recuset: et laudabilis mulier inter illos esse judicatur, quæ propriâ manu sibi mortem attulit, ut in unâ struc pariter ardeat cum viro suo.* De Herulis idem habet Procopius, Bell. Gothic. Lib. II. Canadenses populi aliter suam in matrimonium observantiam testantur. Primo enim nuptiarum anno castè vivunt, et si qua mulier hoc temporis spatio gravida videtur, ab omnibus irridetur. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XIX. p. 286. Sic matrimonium ipsi barbari coluere, ut omnem libidinis suspicionem amotam vellent.

[1] *Finire.* At nihil Romæ frequentiùs, maximè apud divites fœminas, quæ partûs discrimina horrebant. Unde Juvenalis, VI. 593.

Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit.

[2] *Quemquam ex agnatis. Adgnati* dicuntur, qui *sunt per patrem cognati ex eâdem familiâ.* Digest. Lib. XXVI. Tit. 4. leg. 7. et Lib. XXXVIII. Tit. 10. leg. 10. n. 2. Prætereà apud Romanos, *adoptio non jus sanguinis, sed jus adgnationis adfert.* Digest. Lib. I. Tit. 7. de Adoptionibus. leg. 23. Porrò cùm apud Germanos vigeret adoptio, flagitium sanè apud eos fuit non modò ex liberis, cognatis, sed et ex adoptatis quemquam necare.

[3] *Boni mores valent.* Haud aliter de Scythis Justinus, II. 2. *Justitia, gentis ingeniis culta, non legibus.* Apud Germanos plus boni mores valebant, quàm apud Romanos bonæ leges, de quibus dictum supra Annal. III. 25 et 26. Quàm audacter autem eæ leges spernerentur sæpissimè queruntur Patres, ac maximè Minucius Felix, in Octavio, cap. 30. *Vos enim video procreatos filios nunc feris et avibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere elidere: sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, et parricidium faciant antequàm pariant.* Adeò malum illud Romæ inoleverat, ut ipse Plinius, XXIX. 4. sect. 37. atrocium excuset, *quoniam aliquarum fœcunditas plena liberis tali veniâ indiget.* Meliùs Wisigothi, in hanc corruptelam fortè contactu Romanorum tracti, id scelus severissimis pœnis coercuere. Sic enim lex Wisigothorum, Lib. VI. Tit. 3. leg. 1. *Si quis mulieri prægnanti potionem ad avorsum aut pro necando infante dederit, occidatur: et mulier, quæ potionem ad avorsum facere quæsivit, si ancilla est, 200. flagella suscipiat; si ingenua, careat dignitate personæ, et cui jusserimus servitura tradatur.* Vide et ibid. legem 7.

30. In omni domo nudi ac sordidi,[1] in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit,[2] nec ancillis ac nutricibus[3] delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora,[4] in eâdem humo degunt, donec ætas[5] separet ingenuos, virtus agnoscat.[6] Sera juvenum Venus;[7]

[1] *Nudi ac sordidi.* Ita quoque Mela, III. 3. *Maximo frigore nudi agunt antequàm puberes, et longissima apud eos pueritia.* Vide et Senecam laudatum supra cap. 13. not. sup. Apud Germanos autem, ut et apud Canadenses existimaverim pueros, à lacte depulsos, sibi penitus fuisse permissos, ut, quales eos natura finxerat, adolescerent. De Canadensibus vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XIX. p. 288.

[2] *Uberibus alit.* Hodieque apud Canadenses populos sua quemque mater per tres annos alit. Inde hi artus, validaque corpora. P. Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XIX. p. 288.

[3] *Ancillis ac nutricibus.* Romana institutio virtusque periit, ubi primùm nati infantes Græculis ancillis nutricibusque delegati. Vide infra Dialog. de Orat. XXIX.

[4] *Inter eadem pecora.* Hic mos barbaris. Vide supra Annal. IV. 49.

[5] *Donec ætas.* Illa ætas primùm videtur fuisse annus duodecimus. Tunc enim puer legibus obnoxius, ut patet ex Lege Salicâ, Tit. XXVIII. *de Homicidiis parvulorum*, Leg. 6. *Si quis puer infra duodecim annorum aliquam culpam commiserit, fredus ei non requiratur.* De fredo dictum supra Germ. cap. 12. not. sup. Deinde illa ætas fuit annus quintusdecimus. Sic enim in Lege Ripuariorum, Tit. LXXXI. *Ut parvulus non respondeat ante quindecim annos.* Leg. unic. *Si quis homo Ripuarius defunctus fuerit, vel interfectus, et filium reliquerit, usque ad quintumdecimum annum plenum nec causam prosequatur, nec in judicio interpellatus responsum reddat. Quindecimo autem anno aut ipse respondeat aut defensorem eligat. Similiter et filia.* Nec aliter lex Burgundionum, Tit. LXXXVII. *de Minorum contractibus*, Leg. 1. *Minorum ætati ita credidimus consulendum, ut ante* XV. *ætatis annos eis nec libertare*, (id est, libertate donare) *nec vendere, nec donare liceat.* Hæc ergò fuit majorum ætas. Posteà serior fuit, cùm graviora fuere arma. Vide Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XVIII. 26.

[6] *Virtus agnoscat.* Egregiè dictum. Nec aliter majorum annos militari virtute definivit Theodoricus, rex, apud Cassiodorum, *Variarum*, Ep. I. 38. *Juvenes nostri, qui ad exercitum probantur idonei, indignum est ut ad vitam suam disponendam dicantur infirmi: et putentur domum suam non regere, qui creduntur bella posse tractare. Gothis ætatem legitimam virtus facit. Et qui valet hostem confodere, ab omni se jam debet vitio vindicare.*

[7] *Sera juvenum Venus.* Hæc illustrat Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI. 21. *Qui diutissimè impuberes permanserant, maximam inter suos ferunt laudem, hoc ali staturam, ali*

eoque inexhausta pubertas: nec virgines festinantur; eadem juventa, similis proceritas: pares validæque[1] miscentur: ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis[2] idem apud avunculum, qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt; tamquam ii, et animum firmiùs, et domum latiùs teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi:[3] et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo major adfinium numerus, tanto gratiosior senectus: nec ulla orbitatis pretia.[4]

vires, nervosque confirmari putant. Intrà annum verò vigesimum fœminæ notitiam habuisse in turpissimis habent rebus.

[1] *Pares validæque.* Pares ætate, conditione, viribusque miscentur. Ubi enim inæqualis erat conditio, multabantur. Lex Alamannorum, Tit. LVII. Leg. unic. *Si autem duæ sorores absque fratre relictæ post mortem patris fuerint, et ad ipsas hereditas paterna pertingat, et una nupserit sibi coæquali libero, alia autem nupserit aut colono regis, aut colono Ecclesiæ: illa quæ illi libero nupsit sibi coæquali, teneat terram patris earum. Res enim alias æqualiter dividant. Illa enim quæ illi colono nupsit, non intret in portionem terræ, quia sibi coæquali non nupsit.* Aliter imminebat pœna. In Lege Salicâ, Tit. XXIX. Leg. 5. *Si quis Francus alienam ancillam sibi publicè junxerit, ipse cum eâ in servitute permaneat.* In Lege Longobardorum, Libr. II. Tit. 9. Leg. 2. *Si servus liberam mulierem aut puellam ausus fuerit sibi conjugio sociare, animæ suæ incurrat periculum: et illam, quæ servo fuerit consentiens, habeant parentes potestatem occidendi, aut foris provinciam transvendendi, et de rebus ipsius mulieris, faciendi quod voluerint. Et si parentes ejus infra anni spatium hoc facere distulerint, tunc liceat gastaldio,* (id est, comiti) *regis, aut actori, aut sculdasio* (id est, judici), *ipsam in curtem,* (id est, in cortem) *regis ducere, et intrà pensiles ancillas constituere.* Vide et Legem Frisionum. Tit. 6.

[2] *Sororum filiis.* Inde in nostrâ historiâ, Merovingiis regibus tanta in suas sorores earumque liberos studia, tanta pro iis suscepta bella. Quod jam observatum Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XVIII. 22.

[3] *Sui cuique liberi.* Verè quidem. At apud bellicosam gentem terra salica ad lanceam, seu ad filios, non verò ad fusum, seu ad filias, pertinebat. De his ergò successionis legibus fusiùs erit dicendum in not. et emend. ad cap. 20.

[4] *Orbitatis pretia.* Quæ erant Romæ maxima. Vide supra Annal. III. 25.

21. SUSCIPERE tam inimicitias,[1] seu patris, seu propinqui, quàm amicitias necesse est: nec implacabiles[2] durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero,[3] recipitque satisfactionem universa domus: utiliter in publicum; quia periculosiores sunt inimicitiæ juxta libertatem. Convictibus et hospitiis[4] non alia gens effusiùs indulget.[5] Quemcumque mortalium arcere tecto, nefas habetur:[6] pro fortunâ quisque apparatis epulis exci-

[1] *Suscipere tam inimicitias.* Sic apud veteres populos consultum ne impunitate gliscerent injuriæ. Inde *illi* ultores sanguinis, quos videre est etiam apud Moysen, num. XXXV. 19 et seq. Legibus quoque Romanis statutum, Cod. Libr. VI. Tit. XXXV. *de his, quibus, ut indignis, hereditates auferuntur.* leg. 1. *Heredes, quos necem testatoris inultam omisisse constiterit, fructus integros cogantur reddere.*

[2] *Nec implacabiles.* Apud bellatricem gentem et in cædes ultro ruentem, sapientissimè provisum, ut ira placabilis foret, et ipsa homicidia, non morte, sed pretio, luerentur, totaque interfecti domus reciperet satisfactionem. Sic enim nemo infensus, nemo ad ultionem intentus manet. At ne paupertate cresceret interfectoribus audacia, optimè adhuc consultum primò, ut homicida quantum haberet solveret; deinde, ut de reliquo satisfacere teneretur tota interfectoris domus. Quâ certè re vix quidquam utilius in publica commoda excogitari potuit, cùm, quanto major est libertas, tanto periculosiores sint inimicitiæ. Quibus autem cærimoniis satisfaciendi necessitas in interfectoris domum transiret vide in not. et emend. ad cap. 21. Simul de satisfactione apud Canadenses populos dicetur. Quâ in re ipsos Germanos vicere.

[3] *Pecorum numero.* Idem vidimus et illustravimus supra cap. 12.

[4] *Hospitiis.* Optimum institutum, ut à nostris moribus nunc alienum, sic hodieque Canadensibus barbaris familiare. De hujus discriminis causâ vide not. et emend. ad cap. 21.

[5] *Effusiùs indulget.* Aurei primævique hominum mores, quorum memoria apud barbaros ac maximè Canadenses adhuc viget. Hâc de re plura habet *P. Lafitau, Mœurs des Sauvages Amériquains,* vol. II. p. 88 et seq.

[6] *Nefas habetur.* Sic quoque Julius Cæsar, Bell. Gall. VI. 23. *Hospites violare, fas non putant, qui quâque de causâ ad eos venerunt, ab injuriâ prohibent, sanctosque habent: iis omnium domus patent, victusque communicatur.* Mela, III. 3. *Jus in viribus habent, adeò ut ne latrocinii quidem pudeat, tantùm hospitibus boni, mitesque supplicibus.* In lege Burgundionum, Tit. XXXVIII. leg. 1. *Quicumque hospiti venienti tectum aut focum negaverit, trium solidorum, Angl. 1l. 16s. inlatione mulctetur.* At hospitium virtuti, non sceleri, datum. Rectè enim lex Salica, Tit. XVII. *de Expoliationibus,* leg. 2. *Si quis hominem mortuum exfodierit et expoliaverit,* MALB. THVRNICHALT. IIII M. *qui faciunt solid. c. Angl. 60l. cul-*

pit. Cùm defecere,[1] qui modò hospes fuerat, monstrator hospitii et comes, proximam domum non invitati adeunt: nec interest: pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris: et poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus: sed nec data imputant,[2] nec acceptis obligantur.

22. VICTUS inter hospites comis. Statim è somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, sæpiùs calidâ,[3] ut apud quos plurimùm hyems occupat. Lauti, cibum capiunt: separatæ singulis sedes, et sua cuique mensa.[4] Tum ad negotia, nec minùs sæpe ad convivia procedunt armati.[5] Diem noctemque continuare potando, nulli probrum. Crebræ, ut inter vinolentos rixæ, rarò conviciis, sæpiùs cæde et vulneribus[6] transiguntur. Sed et de reconciliandis invicem inimicis, et jungendis adfinitatibus, et adsciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis

pabilis judicetur. leg. 3. *Et posteà parentes defuncti judicem rogare debent, ut inter homines non habitet auctor sceleris; et qui ei hospitium dederit, antequàm parentibus satisfaciat,* DC. *den. qui faciunt solid.* 15. *Angl.* 9*l. culpabilis judicetur.*

[1] *Cùm defecere.* Cùm defecere epulæ, vel cùm nihil epularum supersit ei, qui hospitem receperat.

[2] *Nec data imputant.* Nec acceptis obligantur. En barbarorum mores; en vita. Ipsis unum votum, una cogitatio, LIBERTAS.

[3] *Sæpiùs calidâ.* Canadensibus populis iisque regionibus, quas gravius urit frigus, sunt et hypocausta, *Angl. stoves.*

[4] *Sua cuique mensa.* Separatæ sedes, sua cuique mensa, id ex veteri populorum usu, et cùm vorax erat hominum genus. Idem passim reperire est apud Homerum ceterosque qui antiquos mores descripsere.

[5] *Procedunt armati.* De hoc usu jam dictum supra cap. 13.

[6] *Cæde et vulneribus.* Cruentam quoque et feralem Canadensium ebrietatem exprimit P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* VIII. p. 142. Apud Germanos severè coercitam hanc conviviorum feritatem reperimus in Lege Salicâ, Tit. XLVI. *De Homicidiis in convivio factis.* leg. 1. *Si in convivio, ubi quatuor aut quinque fuerint homines, unus ex ipsis interfectus fuerit, ille qui remanet* (id est, *illi qui remanent*) *aut unum convictum reddant, aut omnes mortis illius compositionem collectent, quæ lex usque ad septem, qui fuerint in convivio illo, convenit observare.*

consultant:[1] tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris, licentiâ joci. Ergò detecta et nuda omnium mens, posterâ die retractatur;[2] et salva utriusque temporis ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt.

23. POTUI humor[3] ex hordeo aut frumento, in quamdam similitudinem vini corruptus. Proximi ripæ et vinum mercantur. Cibi simplices: agrestia poma, recens fera,[4] aut lac concretum.[5] Sine apparatu, sine blandimen-

[1] *Consultant.* Talem consultationem vide supra Hist. IV. 14. Nec alii Canadensibus populis mores. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XIV. p. 217.

[2] *Posterâ die retractatur.* Posterâ die retractantur, id est, rursus perpenduntur hesterna consilia. Sic salva est utriusque temporis ratio: nam in utroque tempore sua inest utilitas. Nempe deliberant, dum fingere nesciunt; constituunt, dum errare non possunt. Eadem omnino de Persis narrat Herodotus I. p. 63. et Suidas in ἄπρ πιῶν.

[3] *Potui humor.* Potum illum Cerevisiam, *small beer*, vocamus. De quo Plinius, XIV. 22. *Est et Occidentis populis sua ebrietas fruge madidâ—Ægyptus quoque è fruge sibi potus similes excogitavit: nullâque in parte mundi cessat ebrietas: meros quippe hauriunt tales succos, nec diluendo, ut vina mitigant. At Hercules illic tellus fruges parere videbatur. Heu, mira vitiorum solertia! inventum est quemadmodùm aqua quoque inebriaret.*

[4] *Recens fera.* Idem habet Mela, III. 3. *Victu ita asperi incultique ut crudâ etiam carne vescantur, aut recenti, aut cùm rigentem in ipsis pecudum ferarumque coriis manibus pedibusque subigendo renovârunt.* Panis usu, carnisque coctæ, et dulcedine vini, in mollissimo Italiæ tractu, mitigatam Cimbrorum feritatem scribit Florus, III. 3.

[5] *Lac concretum.* Quod ne accipias de caseo, licèt auctore Julio Cæsare, Bell. Gall. VI. 22. *major pars victûs eorum lacte, et caseo, et carne constitit.* Plinius, qui Germanorum mores penitus noverat, accuratior. *Mirum*, inquit, *barbaras gentes, quæ lacte vivunt, ignorare aut spernere tot seculis casei dotem, densantes id alioquin in acorem jucundum et pingue butyrum: spuma, id est, lactis, concretiorque, quàm quod serum vocatur. Non omittendum in eo olei vim esse, et barbaros omnes infantesque nostros ita ungi.* Plin. XI. 41. Lac ergò concretum, de quo Tacitus, butyrum est, Germanorum cibus et unguentum, ut videre est apud Apollin. Sidon. Carm. XII. 1.

tis[1] expellunt famem. Adversùs sitim, non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati,[2] suggerendo quantum concupiscunt, haud minùs facilè vitiis, quàm armis, vincentur.[3]

24. Genus spectaculorum unum, atque in omni cœtu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se, atque infestas frameas, saltu jaciunt.[4] Exercitatio artem paravit, ars decorem: non in quæstum tamen, aut mercedem:[5] quamvis audacis lasciviæ pretium est, voluptas spectantium.[6] Aleam (quod mirere) sobrii inter seria exercent, tantâ lucrandi perdendive temeritate,[7] ut, cùm

Quid me, et si valeam, parare carmen
Fescenninicolæ jubes Diones
Inter orinigeras situm catervas,
Et Germanica verba sustinentem,
Laudantem tetrico subinde vultu,
Quod Burgundio cantat esculentus,
Infundens acido comum butyro!
. . . . . .
Felicemque libet vocare nasum
Cui non allia sordidæque cepæ
Ructant mane novo decem apparatus.

[1] *Sine apparatu, sine blandimentis.* Contrà Romæ tanta erat populatio morum, tanta luxuria, ut parùm esset in gulas condi maria terrasque, nisi nova in dies excogitarentur gulæ irritamenta. *Coqui triumphorum pretiis* parabantur. *Nullusque prope jam mortalis æstimatur pluris, quàm qui peritissimè censum domini mergit.* Plin. IX. 17.

[2] *Si indulseris ebrietati.* Vitium illud barbarorum omnium commune, quod neque cruentis cædibus, neque mortibus præproperis emendatur. Janus Taddæus ad hunc Taciti locum illustrandum scripsit libellum *de Germanorum veterum aviditate bibendi*, in quo non tam Germanos purgat, quàm ceteros populos accusat.

[3] *Armis vincentur.* Sic nefariè suggestâ *vitæ-aquâ*, ut loquuntur. tot peremta Canadensium millia, Quod P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* VIII. p. 141. aliique multi queruntur.

[4] *Saltu jaciunt.* Quo de lusu Apollinaris Sidonius Carm. V. vers. 246.

Excussisse citas vastum per inane bipennes,
Et plagæ præcisse locum, clypeosque rotari,
Ludus et intortas præcedere saltibus hastas,
Inque hostem venisse prius. Puerilibus annis
Est belli maturus amor.

[5] *Aut mercedem.* Immensæ verò Romanorum in ludis impensæ. Immania histrionum pretia; et, vel vigente republicâ, Roscius III D annua, *Angl.* 4166*l.* 13*s.* 4*d.* meritâsse proditur. Plin. VII. 39. Excessere hæc pretia, luxuriante sub Principibus Româ.

[6] *Voluptas spectantium.* Et ut civitatibus se adprobarent, ut vidimus supra cap. 13.

[7] *Temeritate.* De hâc barbarorum pervicaciâ pervulgatum exemplum protulit D. Ambrosius, in Tobiam, cap. XI. *Ferunt Hunnorum populos*, Scythicam gentem ut et Germanos, *omnibus bellum*

omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate et de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit: quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. Ea est in re pravâ pervicacia: ipsi fidem vocant,[1] Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriæ exsolvant.

25. CETERIS servis, non, in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis,[2] utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono,[3] injungit: et servus hactenus

inferre nationibus, fœneratoribus tamen, iis qui è ludo fœnerantur, esse subjectos, et cùm sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul et arma portare, et plures suis, quàm hostilibus ictibus interire. In victoriâ suâ captivos fieri, et spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non noverint. Ideo numquam belli studia deponere, quod victi aleæ ludo, cùm totius prædæ munus amiserint, ludendi subsidia requirunt bellandi periculo. Frequenter autem tanto ardore rapi, ut cùm ea, quæ sola magna æstimant, arma victus tradiderit, ad unum aleæ jactum vitam suam potestati vel victoris, vel fœneratoris, addicat. Denique constat, quòd quidam, et Imperatori Romano cognitus, in fide pretium servitutis, quod sibi tali sorte superatus intulerat, suppliciis imperatæ mortis exsolverit. Quo furore, ipso quoque libertatis periculo, talis suis, *the game of cockal*, ludant Canadenses populi, memorant P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XVII. p. 261. et P. Lafitau, *Mœurs des Sauvages Amériquains*, vol. II. p. 340.

[1] *Fidem vocant.* Hæc est fides, quâ semper viguit, semperque vigebit alea. Verè enim D. Ambrosius, loc. cit. *Habet et alea suas leges, quas fori jura non solvant, Notatur (si credi potest) infamiâ, qui putaverit renitendum, et infamium sententia graviùs, quàm censura judicialis inurit opprobrium.* Hanc fidem retinemus; et inde nobis *debts of honor.*

[2] *Per familiam ministeriis.* Vidimus Annal. XIV. 43. Pedanium Secundum, qui in unâ domo ipsâque in urbe quadringentos servos haberet. Divisa inter eos ministeria, aut potiùs ministeriorum nomina, quæ passim occurrunt in veteribus Inscriptionibus, ac maximè apud Cll. Piranesi, Gori, ceterosque qui sepulcralia Romanorum monumenta illustravere. Hæc familia urbana. Alia erat in agris familia rustica: ibi nova ministeria, nova nomina; in quibus plus quidem utilitatis, plurimum adhuc luxûs.

[3] *Ut colono.* Colonum Anglicè dicimus, *a farmer.* At in Germaniâ colonus erat servus.

paret.[1] Cetera domûs officia uxor ac liberi[2] exsequuntur. Verberare servum ac vinculis et opere coercere, rarum. Occidere solent, non disciplinâ et severitate, sed impetu et irâ, ut inimicum, nisi quòd impunè.[3] Libertini[4] non multum supra servos sunt, rarò aliquod momentum in domo, numquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus, quæ regnantur.[5] Ibi enim et super ingenuos et super nobiles[6]

[1] *Hactenus paret.* Licèt servus apud Germanos suam sedem habeat, suos penates regat, paret tamen domino, nec habet libertatem: hactenus servus est. Tales fuere apud nos ante quatuor secula, quos servos, *slaves*, dicebamus. Postèà Germani, Romanos imitati, servos habuere, deterioris conditionis; tunc penes eos mansit servorum nomen. Servi verò, ut ita dicam, coloni, dicti sunt Lidi. Hoc servorum discrimen patet ex Lege Salicâ, Tit. XXX. et ex Lege Frisionum, Tit. XV.

[2] *Uxor ac liberi.* Ac proinde non indigebant servorum ministeriis.

[3] *Impunè.* Non impunè inimicum occidebant, siquidem homicidium numero pecorum lueretur. Suum verò servum occidere impunè erat. Sed si quis alienum servum occideret, tunc solvendum erat servi domino pretium. Inde in Lege Salicâ, Tit. XI. leg. 2. *Si quis alienum servum furaverit, aut occiderit, aut venderit, aut ingenuum dimiserit, et ei fuerit adprobatum,* MALB. THEV. TEXACA, 1400 *den. qui faciunt sol.* 35. *Angl.* 21*l. culpabilis judicetur, excepto capitale et delaturâ. De ancillâ verò solidos* 30. *Angl.* 18*l.* Capitale, verò dicitur, *capital, the price of any thing.* Delatura, *the expenses of law.*

[4] *Libertini.* Servi, si manumitterentur, libertatem adipiscebantur, et nuncupabantur liberti. Ordo illorum hominum, libertinorum dicebatur, non verò libertorum, ut rectè observat Cl. Ernestus. Cùm invaluit pecuniæ usus, servi manumittebantur, excusso ex eorum manu coram rege, vel civitate, denario. Unde homines isti *denariati* appellati sunt. Apud Germanos non multùm supra servos erant: et si sine liberis mors eis obvenisset, eorum hereditas ad fiscum pertinebat, ut docet Lex Ripuariorum, Tit. LVII. leg. 4. *Si autem homo denariatus absque liberis discesserit, non alium nisi fiscum nostrum heredem relinquat.*

[5] *Quæ regnantur.* Apud Germanorum gentes, quæ regnabantur, vitiis regum abutebantur liberti, ut sibi potentiam struerent. Quâ structâ, super ingenuos, et super nobiles ascendebant. Quanto enim humilius fuit hoc hominum genus, tanto est superbius. Eamdem, aut potiùs, ob imperii magnitudinem, immensam libertorum libidinem sub Imperatoribus Claudio, Nerone, Galbâ vidimus. Vide et Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XV. 9.

[6] *Ingenuos et super nobiles.* Hìc videmus quatuor conditionum discrimina: nobiles nempe, ingenuos, libertinos, servos. Nobiles genere, dignitate, muneribus præcellebant. Ingenui origine stirpeque liberi, atque etiam, cùm postèà exige-

ascendunt: apud ceteros, impares libertini [1] libertatis argumentum sunt.

26. Fœnus agitare,[2] et in usuras extendere, ignotum: ideoque magis servatur, quàm si vetitum esset. Agri, pro numero cultorum, ab universis per vices occupantur,[3] quos mox inter se secundùm dignationem partiuntur: facilitatem partiendi camporum spatia præstant. Arva per annos mutant; et superest ager:[4] nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant, et prata separent,[5] et hortos rigent: sola terræ seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hyems, et ver, et æstas intellectum ac voca-

bantur tributa, à tributis immunes. Vide Gregorium Turonensem, VII. 15. Libertini, qui, priùs servi, fuerant manumissi: nondum tamen erant ingenui, sed libertini tantum, et libertinitatis obsequiis devincti. Servi autem, licèt coloni, cùm non essent sui juris, sed alienæ potestatis verè serviebant. Cùm invaluit lidorum nomen, tunc fuere apud Germanos duo genera servorum. Quæ essent nobilium, ingenuorum, lidorum. Servorum pretia docebimus in not. et emend. ad cap. 25.

[1] *Impares libertini.* Apud ceteros populos, qui in Germaniâ non regnabantur, libertini erant infra ingenuos ac nobiles; quod certissimum libertatis argumentum.

[2] *Fœnus agitare.* Contra *vetus Urbi fœnebre malum, et seditionum discordiarumque creberrima causa;* ut vidimus supra Annal. VI. 16.

[3] *Per vices occupantur.* Potiùs *per vicos occupantur;* id enim innuit rerum series: ita quoque placitum Grotio, Conringio, Menagio, aliisque eruditis viris. De hoc Germanorum usu multa habet Julius Cæsar, Bell. Gall. VI. 21. *Agriculturæ non student, majorque pars victûs eorum lacte, et caseo, et carne consistit; neque quisquam agri modum certum aut fines proprios habet, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui unà coierunt, quantum eis et quo loco visum est attribuunt agri, atque anno pòst alio transire cogunt. Ejus rei multas afferunt causas: ne assiduâ consuetudine capti studium belli gerendi agriculturâ commutent: ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant: ne accuratiùs, ad frigora atque æstus vitandos, ædificent: ne qua oriatur pecuniæ cupiditas, quâ ex re factiones dissensionesque nascuntur: ut animi æquitate plebem contineant, cùm suas quisque opes cum potentissimis æquari videat.*

[4] *Superest ager.* Talem agrum *Anglicè* dicimus *fallow-land.*

[5] *Prata separent.* Fœcundiora enim sunt prata, si separentur, quàm si pateant, ac sint promiscua.

bula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur.[1]

27. FUNERUM nulla ambitio:[2] id solùm observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis[3] crementur. Struem rogi nec vestibus, nec odoribus cumulant:[4] sua cuique arma, quorumdam igni et equus adjicitur.[5] Sepulcrum cespes erigit.[6] Monumentorum arduum et operosum honorem,[7] ut gravem defunctis, aspernantur. Lamenta ac lacrymas citò,

[1] *Bona ignorantur.* Cùm pomaria non consererent Germani, messibus contenti, fructiferum autumnum ignorabant. Nunc quidem omnes autumni fructus novit Germania: manet tamen veteris memoriæ monumentum: neque ullum adhuc nomen autumni proprium: communi vocabulo appellatur *Herbst*, id est, messis, quam unam noverant veteres Germani. Videtur autem primos mortalium duas tantùm anni tempestates, æstatem et hiemem, observâsse. Unde Moses in Genesi, VIII. 22. *Æstas et hyems, nox et dies.* Deinde tres, ac demum quatuor anni tempestates distinxere.

[2] *Nulla ambitio.* Contra apud Romanos maxima. C. Cæcilius Claudius Isidorus *funerari se jussit HS XI. Angl.* 9166*l.* 18*s.* 4*d.* Plinius, XXXIII. 10. Hæc adhuc privati funera, et ante imperii luxum. At *periti rerum asseverant* Arabiam *non ferre tantum* odorum *annuo fœtu, quantum Nero princeps novissimo Poppææ suæ die concremaverit.* Plin. XII. 18.

[3] *Certis lignis.* Quibus lignis ignotum. Divinare haud vacat.

[4] *Cumulant.* Ut mos fuit apud Romanos, qui funebrem Orientis magnificentiam æmulati sunt. Sic Cornelia in funeribus Pompeii Magni apud Lucanum, IX. 175.

Collegit vestes, miserique insignia Magni,
Armaque et impressas auro, quas gesserat olim
Exuvias, pictasque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.

Vide et apud Plutarchum in Syllâ, p. 475. illata in Syllæ funere decem et ducenta fercula odorum, et grandia Syllæ ejusque lictoris simulacra è thure et cinnamomo.

[5] *Equus adjicitur.* Sic in sepulcro Childerici, Francorum regis, reperta ejus arma, framea, gladius: inventum quoque equi ejus caput, et solea, fibulæ præterea phaleræque aureæ: quæ omnia vide apud eruditos Joan. Jac. Chifflctium, *Anastasis Childerici regis*, p. 96. 219 et seq. ac Montfaucon, *les Monuments de la Monarchie Françoise*, Vol. I. p. 10 et seq. Pars magna adhuc extat Parisiis in Cimelio Regio. Præter jam memorata corpusque Childerici, reperta adhuc calvaria una, quæ fortè fuit ejus equisonis. Sic enim de Scythis, Germanorum auctoribus, prodit Herodotus, IV. 71.

[6] *Cespes erigit.* Tumulum cespite exstructum jam vidimus supra Annal. I. 62. Maximos quoque è cespite tumulos regibus suis Scythas erexisse memorat Herodotus, loc. cit.

[7] *Operosum honorem.* Molium illarum rudera extant adhuc Romæ

dolorem et tristitiam tardè ponunt. Fœminis lugere honestum est: viris meminisse.[1]

28. Hæc in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta, ritusque, quatenus differant, quæ nationes è Germaniâ in Gallias commigraverint, expediam. Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum divus Julius tradit:[2] eòque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quominùs, ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc, et nullâ regnorum potentiâ divisas? Igitur inter Hercyniam sylvam, Rhenumque et Mœnum amnes, Helvetii,[3] ulteriora Boii,[4] Gallica utraque gens, tenuere. Manet

in Cestii, Augusti, Hadriani monumentis, aliisque plurimis, quæ passim et maximè in viâ Appiâ occurrunt.

[1] *Viris meminisse.* Id quoque apud Canadenses populos vulgatum: *Lacrymæ viros dedecent.* Et ad bellum profecturi, suos tantùm ita alloquuntur: *Sit nostri memoria.* Fœminæ autem viros, liberos, per annum integrum lugent, eosque hoc toto tempore continuis ejulatibus mane, vespere, medio die, domi, foris vocant. Vide P. de Chalevoix, loc. cit. *Lettre* XXVI. p. 376.

[2] *Divus Julius tradit.* Jul. Cæsar, Bell. Gall. VI. 24. *Fuit antè tempus, cùm Germanos Galli virtute superarent, et ultro bella inferrent; ac, propter hominum multitudinem agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent. Itaque ea, quæ fertilissima sunt, Germaniæ loca circùm Hercyniam sylvam, quam Eratostheni et quibusdam Græcis famâ notam esse video, quam illi Orciniam appellant, Volcæ Tectosages occupârunt, atque ibi consederunt. Quæ gens ad hoc tempus iis sedibus se continet, summamque habet justitiæ et bellicæ laudis opinionem: nuncque in eâdem inopiâ, egestate, patientiâ, quâ Germani permanent; eodem victu et cultu corporis utuntur.*

[3] *Helvetii.* Helvetii, *the Swiss,* latiùs olim, quàm nunc, Lugdunum versùs habitavere. Prætereà in Germaniam ingressi, eam tenuere inter Rhenum Mœnumque amnes Hercyniamque sylvam, *the Rhine, the Mein, and the forest of Hartz.*

[4] *Ulteriora Boii.* Boii, Gallica gens et Helvetiis contermina, ut patet ex Strabone, IV. p. 206. et Julio Cæsare, Bell. Gall. I. 29. Victi à Cæsare sedem illam ab Æduis accepere, quam nunc dicitur *Bourbonnois.* Antè in Germaniam profecti, et ultra Mœnum provecti Hercyniam Sylvam tenuere. Manet adhuc eorum nomen in Boiemi nomine, *Bohemia.*

adhuc *Boiemi* nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus.[1] Sed utrùm Aravisci[2] in Pannoniam ab Osis,[3] Germanorum natione, an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cùm eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, incertum est: quia pari olim inopiâ ac libertate, eadem utriusque ripæ bona malaque erant. Treveri et Nervii circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis, à similitudine et inertiâ Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. Ne Ubii[4] quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint, ac libentiùs *Agrippinenses* conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim, et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent,[5] non ut custodirentur.

Quo tempore Helvetii Boiique Germaniam penetraverint, haud ita compertum. Id tamen videtur contigisse, cùm Tarquinius Priscus Romæ regnaret. Tunc enim Ambigatus, rex Biturigum, *Berry*. Sigovesum, sororis filium, in saltus Hercynios misit, ut prægravante turbâ regnum exoneraret. Livius, v. 33 et seq. Alia fuit Boiorum in Italiam expeditio, sed infelicior, Plin. III. 15. Vide quæ dixi supra, cùm dissererem in veteres Gallorum glorias.

[1] *Mutatis cultoribus.* Augusti temporibus, Boii è Boiemo à Marcomannis pulsi, in Noricum concessere; et eorum de nomine dicta est Bojoaria, nunc *Bavaria*.

[2] *Aravisci.* Ptolemæo quoque, II. 16. memorati. Hungariæ inferioris partem tenebant. A Plinio, III. 25. dicti videntur *Eravisci*, si valet eruditi Harduini conjectura.

[3] *Osis.* Litem dirimere videtur Tacitus infra cap. 43. eosque Pannonicâ linguâ, aut potiùs dialecto, et tributorum patientiâ coarguit non esse Germanos. Marcomannis Quadisque ulteriores erant; partemque septemtrionalem Transdanubianæ Hungariæ occupabant: fortè protensi Silesiam usque, ubi *Ossen, in the Duchy of Oels*, locus salinis et arte vitrariâ nobilis. Osos tamen Germanos esse contendit eruditus Pelloutier, *Histoire des Celtes*, I. 15. p. 184. Sed non ita probabiliter.

[4] *Ubii.* Ubii, *the Diocese of Cologne.* Eos, Cattis exosos, et in partes Romanorum pronos, è Germaniâ in Gallias transgressos, in fidem recepit Marcus Agrippa, A. U. C. 717. Strabo, Lib. IV. p. 194. Apud eos nata Agrippina, mater Neronis, Claudii uxor, in eorum oppidum veteranos coloniamque deduci impetravit; cui nomen inditum ex vocabulo ipsius, ut vidimus supra Annal. XII. 27.

[5] *Ut arcerent.* Super ipsam Rheni ripam Ubios collocavit

29. OMNIUM harum gentium virtute præcipui Batavi,[1] non multùm ex ripâ, sed insulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, et seditione domesticâ, in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honos, et antiquæ societatis[2] insigne: nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus[3] atterit: exemti oneribus et collationibus,[4] et tantùm in usum præliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur.[5] Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens.[6] Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, ultraque veteres terminos, imperii reverentiam. Ita sede finibusque[7] in suâ ripâ,[8] mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batavis, nisi quòd ipso adhuc terræ suæ solo et cœlo[9]

Agrippa, ut Germanos arcerent, non ut ipsi custodirentur, experimento fidei satis probati.

[1] *Batavi.* Batavi non modò insulam Rheni amnis, sed aliquid ex ripâ, ubi aliquot Batavorum oppida, coluere. De his dictum supra Hist. IV. 12. et Hist. V. 19.

[2] *Antiquæ societatis.* Unde Batavi dicti sunt *fratres et amici populi Romani*, ut ex vetere lapide monuimus supra Annal. XI. 25. not. sup.

[3] *Publicanus.* De publicanis dictum supra Annal. XIII. 50.

[4] *Oneribus et collationibus.* Onera, collationes, *services, contributions.*

[5] *Reservantur.* Vide supra Hist. IV. 12.

[6] *Mattiacorum gens.* Mattiaci terras illas obtinuere, quas nunc dicimus *Hesse, Isenburg, and Fulda.* Ibi Mattium, *Marpurg*, de quo supra Annal. I. 56. et Mattiaci fontes, nunc *Wis-baden, near Mentz.* De Mattiaco agro dictum Annal. XI. 20.

[7] *Finibusque.* Variis Germaniæ populis sui erant fines, quos solitudine defendebant. Id enim enixè curabant, *ut circa ipsos, quæ* jacebant, *vasta* forent, Mela, III. 3. Quod quoque testatur Julius Cæsar, Bell. Gall. IV. 3. *Publicè maximam putant esse laudem, quàm latissimè à suis finibus vacare agros: hâc re significari magnum numerum civitatum suam vim sustinere non potuisse. Itaque unâ ex parte à Suevis circiter millia passuum* 600 (emendandum 60 meritò monuere viri eruditi) *agri vacare dicuntur.* et VI. 23. *Civitatibus maxima laus est, quàm latissimas circùm se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope se audere consistere; simul hoc se fore tutiores arbitrantur, repentinæ incursionis timore sublato.*

[8] *In suâ ripâ.* Usque ad Rheni ripam diffusi Mattiaci, maximè cùm Ubii cis Rhenum fuere transgressi.

[9] *Solo et cœlo.* Apud Batavos humidum cœlum solumque; contra apud Mattiacos siccum, unde

acriùs animantur. Non numeraverim inter Germaniæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui Decumates agros[1] exercent. Levissimus quisque Gallorum, et inopiâ audax, dubiæ possessionis solum occupavere. Mox limite acto,[2] promotisque præsidiis, sinus imperii, et pars provinciæ habentur.

30. ULTRA hos Catti[3] initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis, ut ceteræ civitates, in quas Germania patescit: durant siquidem colles, paulatim rarescunt: et Cattos suos saltus Hercynius[4] pro-

Mattiaci acriùs animabantur, pro solitâ locorum animorumque cognatione.

[1] *Decumates agros.* Decumates agri, nunc *Suabia.* Cùm, sub finem imperii Cæsaris Augusti, Marcomanni, relictis suis sedibus Rheno proximis, in Boiemum migrâssent, vacua eorum loca ex Gallis, Rauracis scilicet et Sequanis, levissimus quisque occupavere. Agri illi Decumates inde dicti videntur, quòd incolæ, Germanorum incursionibus obnoxii, ut in Romanorum fidem reciperentur, proventuum decimam solverint. Eos vallo munivit Hadrianus. Vallum Neostadio, *Neustat*, oppido ad Danubium haud procul Almoni, *Altmühl*, fluvii ostiis sito, ad fluvium Nicrum, *the Necker*, versùs oppidum Wimpinam, *Wimpfen*, per sexaginta leucarum Francicarum spatia continuatum. De Decumatibus agris, valloque, quod iis prætendebatur, plura vide apud eruditum Schoepflin, *Alsatia illustrata*, Vol. I. p. 174, 241 et seq.

[2] *Limite acto.* Cùm Decumates agri in Romanorum fidem fuissent recepti, tunc ultra Rhenum actus est limes imperii, promotaque præsidia; et agri Decumates habiti sunt tamquam sinus imperii, et pars provinciæ, Germaniæ scilicet superioris.

[3] *Ultra hos Catti.* Ultra Decumates agros Catti, quorum amplissima sedes inter Rhenum, Mœnum, Salamque fluvios et sylvam Bacenim. Observandum, quod eruditi viri sæpe jam monuere, ea, quæ Julius Cæsar, Florus, Ptolemæus, de Suevis dixere, de Cattis esse intelligenda. Eruditus Leibnitius, *Scriptores Brunsvicenses*, Vol. I. p. 10. putat Cattos dictos esse à felibus, acerrimo animali quod ab aliis *Catte*, ab aliis *Hesse* nuncupatur.

[4] *Saltus Hercynius.* De sylvâ Hercyniâ jam dictum supra Ann. II. 45. Quæ verò hujus sylvæ tunc fuerit facies scribit Plinius, Germaniæ oculatus testis, XVI. 2. *Hercyniæ sylvæ roborum vastitas intacta ævis, et congenita mundo, prope immortali sorte miracula excedit. Ut alia omittantur fide caritura, constat attolli colles occursantium inter se radicum repercussu: aut ubi secuta tellus non sit, arcus ad ramos usque, et ipsos inter se rixantes, curvari portarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant.*

sequitur simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus,[1] minax vultus, et major animi vigor. Multum (ut inter Germanos) rationis ac solertiæ: præponere electos, audire præpositos, nôsse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem,[2] vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ[3] concessum, plus reponere in duce,[4] quàm in exercitu. Omne robur in pedite, quem super arma ferramentis[5] quoque et copiis onerant. Alios ad prælium[6] ire videas, Cattos ad bellum: rari excursus et fortuita pugna.[7] Equestrium sanè virium id proprium, citò parare victoriam, citò cedere. Velocitas juxta formidinem,[8] cunctatio propior constantiæ est.

31. Et aliis Germanorum populis usurpatum rarâ et privatâ cujusque audentiâ, apud Cattos in consensum vertit,[9] ut primùm adoleverint, crinem barbamque[10] summittere,

[1] *Stricti artus.* Artus nervis validi; unde Vegetius, I. 6. *Sit ergò adolescens Martio operi deputandus, vigilantibus oculis, erectâ cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modicus, exilior cruribus, suris et pedibus non superfluâ carne distentis, sed nervorum duritiâ collectis.*

[2] *Disponere diem.* Disponere diem ad prælia: vallare noctem contra incursus. Contra solitum barbaris latitare diu, noctu adsultare, ut occultarentur insidiæ, majorque ingrueret terror. Si per noctem nihil molirentur, tunc nullâ lege, nullo ordine, somno ingluvieque oppressi jacebant.

[3] *Ratione disciplinæ.* Ratione usuque disciplinæ militaris acceptum.

[4] *In duce.* Optimè Florus, II. 18. *Tanti exercitus, quanti Imperator.*

[5] *Ferramentis.* Ferramentis ad opus, copiis ad victum peditem onerabant.

[6] *Ad prælium.* Alios videas ire ad prælium, unico impetu conficiendùm; Cattos, ad bellum arte, disciplinâ, tempore, administrandum. Prælium, *a combat;* bellum, *war.*

[7] *Fortuita pugna.* Apud Cattos rari erant excursus, rara quoque pugna fortuita.

[8] *Formidinem.* Quò quis timidior, eò velocior. Qui cunctatur, constantior est.

[9] *Vertit.* Id est, versum est. Sic Quintus Curtius, IV. 6. *Ira deinde vertit in rabiem.*

[10] *Crinem barbamque.* Sic privatâ audentiâ crinem barbamque summisit Civilis, ut vidimus supra Hist. IV. 61. Sic apud Paulum Warnefridum, Hist. Langobard.

nec, nisi hoste cæso, exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia, revelant frontem, seque "tum demum pretia nascendi[1] retulisse, dignosque "patriâ ac parentibus" ferunt. Ignavis et imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper anulum[2] (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se cæde hostis absolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent insignes,[3] et hostibus simul suisque monstrati: omnium penes hos initia pugnarum: hæc prima semper acies, visu nova. Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura; prout ad quemque venêre, aluntur: prodigi alieni, contemtores sui: donec exsanguis senectus tam duræ virtuti impares faciat.[4]

xii, 7. *Sex millia Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt se, neque barbam, neque capillos incisuros, nisi se de hostibus Suevis ulciscerentur.* Recentior memoria Gulielmi Lumeii ex comitibus à Marcâ, qui se obstrinxit voto *non positurum se antè capillum, quàm Egmontii atque Hornani mortem ultus esset.* Strada, de Bello Belgico, Libr. VII. p. 344.

[1] *Pretia nascendi.* Egregiè dictum. In tot tantasque miserias mortale genus nascitur, ut unicum nascendi pretium sit virtus. Singulare autem et atrox fuit apud Canadenses populos illius Iroquæi, *Iroquois*, dictum, qui cùm patrem suum diverso in exercitu offendisset, eum jugulaturus, restitit, et ait: Vitam quam a te semel accepi, tibi hodie reddo. Noli aliàs occurrere. Nihil tibi jam debeo. Vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XXI. p. 309.

[2] *Ferreum insuper anulum.* Servitutis, ut videtur, insigne. Institutum illud Cattorum multi posteà, sed amatoriè magis, quàm militariter, imitati sunt. Sic anno 1414. Joannes, dux Borbonius, ut dominæ suæ gratificaretur, cum sexdecim equitibus nobilibusque vovit se et equites singulis diebus dominicis per duos annos sinistrâ in tibiâ aureum anulum gestaturos, nobiles argenteum, donec parem equitum nobiliumque, quibuscum concertarent, numerum reperissent. Vide Cl. de Vertot, *Mémoires de l'Acad. Roy. des Inscrip.* vol. II. p 595.

[3] *Canent insignes.* Multis jam cædibus insignes canent, anulum ferreum gestantes, torvoque habitu, ut se novarum semper cædium avidos probent.

[4] *Impares faciat.* Ii sunt Catti, qui quinquaginta et centum circiter post annis cum Cheruscorum cis Visurgim reliquiis, cum Attuariis, Sicambris, Chamavis, Bructeris, Chaucis, Francicum

32. PROXIMI Cattis certum jam alveo[1] Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri[2] colunt. Tencteri super solitum bellorum decus, equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec major apud Cattos peditum laus, quàm Tencteris equitum. Sic instituêre majores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc juvenum æmulatio, perseverant senes: inter familiam, et penates, et jura successionum, equi traduntur:[3] excipit filius, non, ut cetera, maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

33. JUXTA Tencteros Bructeri[4] olim occurrebant: nunc Chamavos et Angrivarios[5] immigrâsse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis,[6] vicinarum consensu nationum,

fœdus iniere, victisque Romanis, Gallias occupavere. Inde nobis nomen. Inde mores. Inde leges.

[1] *Certum jam alveo.* Ita latum profundumque, ut possit esse terminus, nec præsidiis custodiisve indigeat.

[2] *Usipii ac Tencteri.* Bellorum casuumque societate conjuncti, sedibus suis ad Rhenum paulò infra Moguntiacum olim à Cattis pulsi fuerant. Menapiorum sedes trans eisque Rhenum occupavere, ut docet Jul. Cæsar, Bell. Gall. IV. 1 et seq. Adversis adhuc casibus conflictati, Sicambrorum ab Augusto, Tiberii ductu, cis Rhenum transvectorum, agros obtinuere, nunc *Berg*, *Mark*, *Lippe*, *Waldek*, *and Paderborn*.

[3] *Equi traduntur.* Ut jam vidimus supra cap. 18.

[4] *Bructeri.* Olim habitavere inter Rhenum, Luppiam, Amisiam, et Frisios. Bructeros à *Broeken* et *Bruchen*, seu paludibus, quæ ibi frequentes erant, dictos fuisse existimat Cl. Alting, *Notit. Germ. Infer.* p. 20. Multis adversùs Romanos præliis et Civilis societate nobilitati, ut sæpe vidimus supra in Annalium et Historiarum libris, superbiere. Ideo vicinis nationibus exosi, sedibus suis pulsi sunt, ac penitus excisi.

[5] *Chamavos et Angrivarios.* Antequàm Bructerorum sedes occuparent, Chamavi ad Amisiam positi, ubi nunc *Lingen and Osnaburg*; Angrivarii ad Visurgim, ubi nunc *Minden and Schawenburg*. Antiquior fuit Chamavorum migratio ad Rhenum, si accurata sunt quæ habet Tacitus Annal. XIII. 55. Vide quæ ibi notavimus. Angrivarii autem postèà dicti sunt Angrarii, parsque fuere Saxonum, et communem cum iis legem habuere. Vide Legem Saxonum apud Lindenbrogium.

[6] *Penitus excisi.* Non ita excisi sunt, ut nullæ remanerent reliquiæ. Imo et insignes fuere in fœdere Francico, uti diximus supra. Memorantur quoque in Tabulâ Peutingerianâ. Sic et Claudianus, in Panegyric. de IV. consulatu Honorii, vers. 450.

seu superbiæ odio,[1] seu prædæ dulcedine, seu favore quodam erga nos Deorum: nam ne spectaculo quidem prælii invidêre:[2] super LX. millia, non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat quæso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certè odium sui: quandò, urgentibus[3] imperii fatis, nihil jam præstare fortuna majus potest, quàm hostium discordiam.

34. ANGRIVARIOS et Chamavos à tergo Dulgibini, et Chasuari[4] cludunt, aliæque gentes[5] haud perinde memoratæ. A fronte Frisii excipiunt. "Majoribus minoribusque

Venit accola sylvæ
Bructerus Hercyniæ.

Nempe post cladem suam, pulsi suis sedibus, inter Coloniam, et Hassiam habitavere, ut docet eruditus Eccardus, *de Rebus Franciæ Orientalis*, vol. I. p. 304.

[1] *Superbiæ odio.* Regnabantur Bructeri. Inde illis superbia et opes. Antequàm à Germanis delerentur, eos terrore domuerat Vestricius Spurinna, ideo triumphali statuâ donatus. Plinius, II. Ep. 7. *Spurinna Bructerum regem vi et armis induxit in regnum: ostentatoque bello, ferocissimam gentem (quod est pulcherrimum victoriæ genus) terrore perdomuit.*

[2] *Invidêre.* Nam Dii ultro obtulere prælii spectaculum, quo super sexaginta millia Germanorum, non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, quasi spectantium oblectationi oculisque, suis ipsi armis ceciderunt. Ergò excidium illud contigit haud procul Fossâ Drusianâ, de quâ dictum est Annal. II. 8. Ex hoc loco, præsidiisque ad Rhenum positis, prælium spectavere Romani. Idque Romæ narratum primo Trajani Principis anno.

[3] *Urgentibus.* Laudat Lipsius è MS. *vergentibus.* Meliùs Illustr. Huetius è conjecturâ, *vigentibus.* Hæc enim cùm scriberet Tacitus, vigebat imperium Romanum, Trajano Principe.

[4] *Dulgibini, et Chasuari.* Habitavere prope fontem Luppiæ. Deinde in Chamavorum et Angrivariorum, qui Bructeros expulerant, sedes transiere. Iidem videntur, qui Velleio Paterculo, II. 105. dicti sunt *Attuari*, et posteà Attuariorum nomine fœdus Francicum iniere. Straboni, VII. p. 291. dicuntur *Chattuarii.*

[5] *Aliæque gentes.* Nempe Ansibarii, et Tubantes, de quibus dictum supra Annal. XIII. 55. Ansibarios, vel Amsibarios, à vicinià Amisiæ, quem accolebant, nomen duxisse opinatur Cl. Alting. *Notit. German. Infer.* p. 6. Idem, loc. cit. p. 125. putat Tubantes à frequentibus locorum mutationibus vocatos fuisse *Tho Benten*, id est, catervas errantes, et incoluisse ubi nunc *Drente, in Overyssel.* Inter has gentes, Ambrones, Ambri flu-

"Frisiis"[1] vocabulum est, ex modò virium: utræque nationes usque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus,[2] et Romanis classibus[3] navigatos. Ipsum quinetiam Oceanum illà tentavimus: et superesse adhuc Herculis columnas[4] fama vulgavit: sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico:[5] sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit: sanctiusque ac reverentius visum, de actis Deorum credere, quàm scire.

35. HACTENUS in Occidentem Germaniam novimus. In Septemtrionem ingenti flexu redit. Ac primò statim Chaucorum gens,[6] quamquam incipiat à Frisiis, ac partem

vii, *Emmeren*, accolas numerat Illustr. de Furstenberg, *Monumenta Paderbornensia*, p. 181.

[1] *Minoribusque Frisiis.* Frisii, *Friezland*. Cis Flevum, nunc *the Zuyder-zee*, habitabant Frisii minores; trans Flevum, Frisii majores.

[2] *Immensos insuper lacus.* Ibi jam Romanorum temporibus immensi lacus. Quos majores adhuc fecere plurimæ maris inundationes, ac maximè ea quæ contigit anno 1530. quæ duos ac septuaginta pagos tumulavit. Anno 1569. alia fuit et tetrior exundatio, quæ magnam littoralis Hollandiæ partem, totam ferè Frisiam contexit, et vel in solâ Frisiâ viginti millia hominum hausit.

[3] *Romanis classibus.* Vide supra Annal. I. 70. et II. 8.

[4] *Herculis columnas.* Ubi terrarum termini, nec plus ultra, ibi maritimæ gentes finxere Herculis columnas. Quas quidem inquirere vanum est. Quæ tamen apud Frisios celebrabantur, fuere sanè in Frisiorum finibus, minimè verò in Succiâ promontorioque Cimmerio, ut vult eruditus Rudbeckius, *Atlantica*, p. 251 et seq.

[5] *Druso Germanico.* Tiberii Imperatoris fratre, patre Germanici; Frisiis tributum imposuit, ut vidimus supra Annal. IV. 72. aliaque egregia in Germaniâ præstitit. Plura vide in Stem. Cæs. n. 79. Vol. V.

[6] *Chaucorum gens.* Chauci ab Amisiâ ad Albim littori maris prætendebantur: unde omnium, de quibus modò dictum est, gentium lateribus obtendebantur, quas inter et Cheruscos sinuabantur usque in Cattos. Distinguebantur Chauci majores et minores. Majores Chauci, si fides Ptolemæo, inter Visurgim et Albim; minores, inter Amisiam et Visurgim. At ex Tacito Annal. XI. 19. Chauci majores videntur potiùs fuisse inter Amisiam et Visurgim. Minores inter Visurgim et Albim. Cl. Alting, *Not. German. Infer.* p. 41. existimat ita appellatos Chaucos, quia *Kauken* dicuntur viri fide ac

littoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantùm Chauci, sed et implent: populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit justitiâ tueri: sine cupiditate, sine impotentiâ, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quòd, ut superiores agant, non per injurias adsequuntur. Promta tamen omnibus arma,[1] ac, si res poscat, exercitus: plurimum virorum equorumque: et quiescentibus eadem fama.

36. In latere Chaucorum Cattorumque, Cherusci[2]

virtute insignes: quod cum Taciti verbis consentit. Alii volunt sic nuncupatos fuisse à *Kauk*, ululâ, quæ feles, seu cattos, venatur: alii à *Kaiten*, graculis, quorum magna est in his oris multitudo. Chaucorum, qui mare accolerent, loca moresque egregiè descripsit Plinius, XVI. 1. cùm gentes, quæ sine arbore ullâ, sine frutice viverent, memoraret. *Sunt verò in Septemtrione visæ nobis* gentes *Chaucorum, qui majores minoresque appellantur. Vasto ibi meatu, bis dierum nocti*umque *singularum intervallis, effusus in immensum agitur Oceanus, æternum operiens rerum naturæ controversiam, dubiamque terræ sit, an parte in maris. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus ad experimenta altissimi æstûs, casis ita impositis: navigantibus similes, cùm integant aquæ circumdata; naufragis verò, cùm recesserint: fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contigit, omni procul abacto frutice. Ulvâ et palustri junco funes nectunt ad prætexenda piscibus retia: captumque manibus lutum ventis magis, quàm sole siccantes: terrâ cibos et rigentia Septemtrione viscera sua urunt. Potus non nisi ex imbre servato scrobibus in vestibulo domûs. Et hæ gentes, si vincantur hodie à populo Romano, servire se dicunt. Ita est profectò: multis fortuna parcit in pœnam.*

[1] *Omnibus arma.* Inde postèà posita à Romanis præsidia, ad cohibendos Chaucos, quos Caycos dixit Lucanus, I. 463.

Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppositi.

Vide et Claudianum, de laudibus Stiliconis, I. 225.

[2] *Cherusci.* Tunc infra Chaucos inter Visurgim et Albim habitabant Cherusci, ubi nunc *Lunenburg, Brunswick, part of Brandenburg on this side of the Elbe.* Latiùs olim Augusti principatu habitavere, atque etiam cis

nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt: idque jucundius, quàm tutius fuit: quia inter impotentes et validos falsò quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim "boni "æquique Cherusci," nunc "inertes ac stulti" vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruinâ Cheruscorum et Fosi,[1] contermina gens, adversarum rerum ex æquo socii, cùm in secundis minores fuissent.

37. EUMDEM Germaniæ situm[2] proximi Oceano Cimbri tenent,[3] parva nunc civitas,[4] sed gloriâ ingens,[5] veterisque famæ latè vestigia manent, utrâque ripâ[6] castra, ac spatia,

Visurgim, ut patet ex Drusi expeditionibus apud Dionem, LIV. p. 544. et Velleium, II. 105. Ni fortè, ut observát Cl. Dithmarus, quæ de Cheruscis cis Visurgim feruntur, intelligenda sint de Dulgibinis, Cheruscorum clientibus. Nam, teste Strabone, VII. p. 291. Varum cecidere Cherusci iisque subditi populi. De Varianâ clade dictum satis Annal. I. 60. p. 52. not. sup. Egregia quoque Arminii, Cheruscorum ducis, facinora vidimus libris Annalium, I et II.

[1] *Et Fosi.* Fosos eosdem esse ac Saxones antiquos volunt Cluverius, Laccary aliique multi. At cum Fosi fuerint Cheruscis contermini, verior est Cl. Leibnitii sententia, Fosos incoluisse ad Fusam amnem, qui apud Cellas Alleram fluvium subit: eosque fuisse velut appendicem Cheruscorum, ut hodie Brunsvicensium Heildesheimenses. Saxonum nomen Tacito recentiùs, nec innotuit ante Antonini Pii principatum, quo tempore Chersoneso Cimbricâ egressi inclaruere, et posteà cum Anglis Britanniam occupavere.

[2] *Eumdem Germaniæ situm.* Versùs Septemtrionem.

[3] *Cimbri tenent.* Manet adhuc eorum nomen, et quas incoluere terras dicimus *the Chersonesus;* ubi nunc *Jutland, Slesuick, and Holstein.* Cimbrorum gloriam variosque casus paucis, sed accuratè, descripsit Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Danemarck*, p. 13 et seq.

[4] *Parva nunc civitas.* Parva quidem tunc erat civitas, migrationibus, inundationibus, bellis, cladibusque exhausta, ut videre est apud Florum, III. 3. Sed posteà revaluit. Et ex hâc gentium vaginâ emersere Franci, Saxones, Normanni, aliique plurimi populi, qui totam fermè Europam juris Germanici fecere.

[5] *Gloriâ ingens.* Per Germaniam, Galliam, Hispaniam, Britanniam, Italiam, et ad Mœotin usque, quò progressi, teste Posidonio apud Strabonem, Lib. VII. p. 203. Cimmerium, aut Cimbricum, Bosphorum de suo nomine appellaverunt.

[6] *Utrâque ripâ.* Utrâque Chersonesi Cimbricæ ripâ vulgò expo-

quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis,[1] et tam magni exercitûs fidem. Sexcentesimum et quadragesimum annum Urbs nostra agebat, cùm primùm Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. Ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani consulatum[2] computemus, ducenti fermè et decem anni colliguntur: tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spatio, multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni,[3] non Hispaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem sæpiùs admonuere:[4] quippè regno Arsacis[5] acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quàm cædem Crassi,[6] amisso et ipse Pacoro,[7] infra Ventidium[8] dejectus Oriens

nunt, nec malè. Existimant tamen viri eruditi Cluverius et Dithmarus, cùm inde constet magni exercitûs fides, hæc castra spatiaque quærenda vel in Italiâ, circa fluvium Athesin, *the Adige*, vel in Galliâ Narbonensi juxta Aquas Sextias, *Aix, in Provence*, ubi Florus, III, 3. Teutonos, à Mario cæsos, vallem et medium fluvium tenuisse memorat. De Cimbrorum immensâ multitudine vide not. et emend. ad cap. XXXVII.

[1] *Molem manusque gentis.* Sic supra Annal. I. 61. *Prima Vari castra, lato ambitu, et dimensis principiis, trium legionum manus ostentabant.*

[2] *Trajani consulatum.* Nerva Augustus IV. Trajanus II. consules fuere A. U. C. 851. Quo anno aureum hunc de moribus Germanorum librum scripsit Tacitus.

[3] *Non Samnis, non Pœni.* Hâc de re jam dictum supra Annal. XI. 24. et XV. 13.

[4] *Admonuere.* Optimè dictum. Admonuere belli et periculi. Hoc sensu admonere, *to give the alarm*, dicimus. Nonnullis tamen placet, *admovére*, ut est in MS. Turic. id est, *admovére exercitum.*

[5] *Regno Arsacis.* Germanorum libertas acrior opibus regnoque Arsacidarum, seu Parthorum.

[6] *Cædem Crassi.* De cæde Crassi dictum supra Annal. II. 2. Vide et Canonem Regum Parthorum.

[7] *Pacoro.* Pacorus, Orodis Parthorum regis filius, à Ventidio, Romanorum legato, interfectus.

[8] *Infra Ventidium.* Cùm P. Decidius Saxa, Syriæ legatus, à Parthis fuisset victus, Syriamque occupâsset Pacorus, missus est P. Ventidius Bassus, qui Parthos debellavit, Pacorum interfecit, remque Romanam penitus restituit. Vide Florum, IV. 9, et Tacit. Hist. V. 9. Obscuro quidem loco natus erat Ventidius, ἀνὴρ γενόμενος μὴ ἀφανής. Obscuritatem suam militari gloriâ illustravit et nobilitavit. Primus, solusque ante Trajanum, de Parthis triumphavit. Plutarch. in M. Anton. p. 931.

objecerit? At Germani Carbone,[1] et Cassio,[2] et Scauro Aurelio,[3] et Servilio Cæpione, Cn. quoque Manlio[4] fusis,

[1] *At Germani Carbone.* A.U.C. 640. *Cimbri, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt; ab iis Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est.* Livius in Epitome, LXIII. Ad Noreiam, Tauriscorum urbem, prope Aquileiam, victus est Carbo, teste Strabone, Lib. v. p. 214. Annis sequentibus, Cimbri Teutonique Galliam depopulati sunt, magnamque calamitatem intulere; at invictâ Gallorum constantiâ deteriti, alias terras petiere, ut videre est apud Jul. Cæsarem, Bell. Gall. VII. 77. Tum in Italiam venere, legatosque ad senatum miserunt, qui agros, quibus considerent, postularent. Quod cùm negâsset senatus, adversùm eos infeliciter pugnavit M. Junius Silanus consul, A. U. C. 645. Liv. in Epit. LXV.

[2] *Et Cassio. L. Cassius, consul* A. U. C. 647. *à Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum,* nunc *the cantons of Zurich, Appenzel, Schaffhausen,* &c. *qui à civitate secesserant, in finibus Allobrogum, cum exercitu cæsus est, Milites qui ex eâ clade superaverunt, obsidibus datis, et dimidiâ rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.* Livius in Epitome, LXV. Immo Romanum exercitum sub jugum à Tigurinis missum docet Jul. Cæsar, Bell. Gal. I. 12. *Hic pagus unus cùm domo exisset, patrum nostrorum memoriâ L. Cassium consulem interfecerat, et ejus exercitum sub jugum miserat.*

[3] *Scauro Aurelio. M. Aurelius Scaurus, legatus consulis* (immo consul A. U. C. 646.) *à Cimbris, fuso exercitu, captus est, et cùm, in consilium ab iis evocatus, deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eò quòd diceret Romanos vinci non posse, à Boiorige, feroci juvene, occisus est.* Livius in Epit. LXVII. Vide et Plutarch, in Mario, p. 419. et Vell. Paterc. II. 12.

[4] *Servilio Cæpione, Cn. quoque Manlio.* Utramque cladem distinxit quoque Florus, III. 3. *Nec primum impetum barbarorum Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt.* Utramque conjungit Livius in Epitome, LXVII. *Ab iisdem hostibus* (Cimbris) *Cn. Manlius, consul, et Q. Servilius Cæpio, proconsul, victi prælio, castris quoque binis exuti sunt.* Fusiùs Paulus Orosius, v. 16. *Manlius consul, et Q. Cæpio, proconsul, adversùs Cimbros et Teutones, et Tigurinos et Ambronas, Gallorum et Germanorum gentes, quæ tunc ut imperium Romanum extinguerent, conspiraverant, missi, provincias sibi Rhodano, the Rhone, fluvio medio diviserunt. Ubi dum inter se gravissimè invidiâ et contentione disceptant, cum magnâ ignominiâ et periculo Romani nominis victi sunt.—Octoginta millia Romanorum, sociorumque, eâdem tempestate trucidata, Antias scribit.* Cùm Cæpio hujus cladis causa fuisset, *secundùm populi Romani jussionem, Cæpionis, cujus temeritate clades accepta erat, damnati, bona publicata sunt.* Dies, quo hæc clades contigit A. U. C. 649. inter nefastos relatus est, teste Plutarcho in Lucullo, p. 510. Uno antè anno Cæpio consul, direptâ Tolosâ, nunc *Toulouse,* abstulerat *argenti pondo centum decem millia, auri pondo quindecies decies centum millia.* At error est in auri nu-

vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano,[1] Varum, tresque cum eo legiones, etiam Cæsari abstulerunt:[2] nec impunè C. Marius[3] in Italiâ, divus Julius[4] in Galliâ, Drusus ac Nero et Germanicus[5] in suis

mero. Immanis enim summa. Emendandum puto *auri pondo quindecim millia, Angl.* 675,000*l.* Justin. XXXII. 3

[1] *Populo Romano.* Vigente republicâ.

[2] *Cæsari abstulerunt.* Cæsari Augusto: quâ clade *adeò consternatum* eum fuisse *ferunt, ut per continuos menses barbâ capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quinctili Vare, legiones redde: diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem,* Sueton. in Aug. XXIII. De hâc Varianâ clade dictum satis Annal. I. 10 et 61.

[3] *C. Marius.* Tot cladibus acceptis, *populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quàm Marium est ratus.* Nec falsa fuit spes publica. Quarto suo consulatu A. U. C. 652. Marius *trans Alpes circa Aquas Sextias,* nunc *Aix, in Provence, cum Teutonis conflixit; ampliùs* 150 *millibus hostium priore ac postero die trucidatis, gensque excisa Teutonum,* Velleius Paterculus, II. 12. Vide et Livium in Epit. LXVIII. qui ait *cæsa hostium ducenta millia, capta nonaginta.* Quinto autem suo consulatu A. U. C. 653. Cimbros in Italiâ, transgressos Athesim, *the Adige,* in campo Raudio, ubi nunc *Rubio,* vicit, *cæsa aut capta ampliùs* CM *hominum,* Velleius Paterculus, II. 12. At non impunè victor fuit Marius, ut constat ex immensis belli apparatibus, quos vide apud Plutarchum in Mario. Nec adversùs Cimbros tantùm sed et adversùs eorum conjuges fuit pugnandum. Unde Florus, III. 3. *Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quàm cum ipsis fuit: cùm, objectis undique plaustris atque carpentis, altæ desuper, quasi è turribus, lanceis contisque pugnarent. Perinde speciosa mors, earum fuit, quàm pugna. Nam cùm, missâ ad Marium legatione, libertatem ac sacerdotium* Vestalium *non impetrâssent, (nec fas erat) suffocatis elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidêre vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto ab arboribus jugisque pependerunt. Boiorix rex in acie dimicans impigrè nec inultus occubuit.* Ob tantas victorias A. U. C. 652. juxta fastos Capitolinos, C. MARIVS. C. FILIVS. CONSVL. V. DE. TEVTONEIS. AMBRONIBVS. ET CIMBREIS triumphavit.

[4] *Divus Julius.* Julius Cæsar Ariovistum, Germanorum regem, prope *Dampierre, in Franche-Comté* vicit, fusosque Germanos ingenti strage triginta millia quingentos passus usquè ad Rhenum insecutus est, totumque hunc campum cadaveribus ac spoliis complevit A. U. C. 696. Jul. Cæs. Bell. Gall. I. 33 et 52. et Plutarch. in Cæsare, p. 675. Antè à Julio Cæsare multati fuerant Tigurini, qui olim L. Cassium, ut supra dictum est, interfecerant, Romanumque exercitum sub jugum miserant. Vide Jul. Cæs. Bell. Gall. I. 12.

[5] *Drusus ac Nero et Germanicus.* Nero Claudius Drusus, qui

eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris[1] minæ in ludibrium versæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ et civilium armorum, expugnatis legionum hibernis,[2] etiam Gallias affectavere: ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis,[3] quàm victi sunt.

38. NUNC de Suevis[4] dicendum est, quorum non una, ut Cattorum Tencterorumve, gens: majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus[5] nominibusque discreti, quamquam in commune *Suevi* vocentur. Insigne gentis obliquare crinem,[6] nodoque substringere. Sic Suevi à ceteris Germanis:[7] sic Suevorum ingenui à servis separantur.[8] In aliis gentibus, seu cognatione aliquâ Suevorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione, rarum, et intrà juventæ spatium; apud Suevos, usque ad canitiem, horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo

ob res in Germaniâ præclarè gestas sibi suisque Germanici cognomen meruit. Vide Stemma Cæsarum, num. 79. Neronis, id est, Tiberii, ab Augusto in Germaniam missi, et Germanici operosas victorias vidimus in libris Annalium, I et II. Vide quoque Stem. Cæs. n. 68 et 81.

[1] *C. Cæsaris.* Caii Caligulæ. Minas ejus in ludibrium versas dicemus in Suppl. Annal. VIII. 23.

[2] *Legionum hibernis.* In bello Civilis, de quo dictum satis supra Hist. IV et V.

[3] *Triumphati magis.* A Domitiano, ut dicetur infra in Vitâ Agricolæ cap. XXXIX.

[4] *De Suevis.* Suevi immensum terrarum tractum inter Albim, Vistulam, Oceanum, *the Baltic sea*, et Danubium obtinebant. Latiùs adhuc olim habitavere, et usque ad Rhenum tenuere. Inde Strabo, Julius Cæsar, Florus, Ptolemæus aliique ad Suevos referunt, quæ ad Cattos pertinent.

[5] *Propriis adhuc nationibus.* De quibus mox dicetur usque ad caput XLV.

[6] *Obliquare crinem.* Suevi crinem non spargebant, ut solent barbari, sed obliquabant, et intortum in occipite nodo substringebant.

[7] *A ceteris Germanis.* Ergò ceteri Germani non obliquabant crinem; cum tamen in nodum pluresque cirros cogebant. Unde Seneca de Irâ, III. 26. *Crinis rufus et in nodum coactus apud Germanos.* Et Martialis, in spectaculorum libro, carm. 3. v. 9.

Crinibus in nodum tortis venêre Sicambri.

[8] *A servis separantur.* Apud Suevos, ut apud ceteros Germanos, tonsi videntur fuisse servi; aut saltem ita fuere decurtati, ut obliquare crinem, nodoque substringere non potuerint.

vertice religant: principes et ornatiorem habent:[1] ea cura formæ, sed innoxiæ. Neque enim ut ament amenturve; in altitudinem quamdam et terrorem, adituri bella, comti, ut hostium oculis,[2] ornantur.

39. "VETUSTISSIMOS se nobilissimosque Suevorum" Semnones[3] memorant. Fides antiquitatis, religione firmatur. Stato tempore in sylvam, auguriis patrum[4] et priscâ formidine sacram, omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt, cæsoque publicè homine celebrant barbari ritûs horrenda primordia. Est et alia luco reverentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, et potestatem numinis præ se ferens: si fortè prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum: per humum evolvuntur: eòque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus,[5] cetera subjecta atque parentia. Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis[6] habitantur: magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.

[1] *Ornatiorem habent.* Capillum, non retro et in occipite, sed in solo vertice, religatum, principes ornatiorem habent.

[2] *Ut hostium oculis.* Non ornantur ut ament amenturve, sed ut hostium oculis terribiliores videantur, crinibus in hanc altitudinem terroremque comtis.

[3] *Semnones.* Utramque Viadri, *the Oder*, ripam, nunc *part of Pomerania, Brandenburg, and Lusatia*, tenuere Semnones. Veterem Semnonum gloriam factis scriptisque illustravit, magisque ac magis in dies illustrat Fredericus III. Prussiæ rex, quem appellâsse, laudâsse est. Vide *Mémoires pour servir à l'Histoire de la Maison de Brandebourg*, p. 292.

[4] *Auguriis patrum.* Ex imitatione Virgilianâ, aut ex veteri aliquo poetâ versus:

Auguriis patrum et priscâ formidine sacram.

[5] *Regnator omnium Deus.* Hæc est prima hominum fides, REGNATOR OMNIUM DEUS, cui cetera subjecta sunt atque parentia. Quò antiquiora sunt et sinceriora gentium monumenta, eò illustrior effulget divinitatis veneratio, maximè apud Scythas, quorum propago erant Germani. At à puro simplicique cultu ita degeneraverant Semnones, ut et secreto sylvæ, de quo jam supra cap. 9. et cæso homine, barbarè supplicarent.

[6] *Centum pagis.* Ne existimes fuisse vicos, *Villages*, sed pagos, *Hundreds*. Vide quæ notata sunt supra cap. 6.

40. CONTRA Langobardos[1] paucitas nobilitat: plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed prœliis et periclitando tuti sunt. Reudigni[2] deinde; et Aviones,[3] et Angli,[4] et Varini,[5] et Eudoses,[6] et Suardones, et Nuithones, fluminibus aut sylvis muniuntur: nec quidquam notabile in singulis, nisi quod in commune

[1] *Langobardos.* Augusti principatu Langobardi cis Albim, inter *Lunenburg and Magdeburg*, habitavere. A Tiberio victi, et trans Albim pulsi, Strabo, VII. p. 290. Velleius Patercul. II. 106. Sueton. in Aug. XXI. loca illa tenuere, ubi nunc *Prignitz, Ruppin.* Posteà regnum Langobardicum in Italiâ condiderunt, quod, capto rege Desiderio, subactâque Italiâ, à Carolo Magno excisum est anno J. C. 774. Extant adhuc leges Langobardorum apud Lindenbrogium. Burgundiones hìc omisit Tacitus, quòd tunc sanè parva fuerit eorum civitas. Posteà cum Langobardis Decumates agros limitemque Romanum iisedere. Inde in Galliam erupere, easque terras occupavere, quas de eorum nomine adhuc dicimus *Burgundy.* Extant quoque Burgundionum leges, quas vide apud Lindenbrogium.

[2] *Reudigni.* Ex Taciti descriptione Langobardis vicini fuere Reudigni, ergò ibi habitavere, ubi nunc *part of Mecklenburg and Lauenburg.* Anteà cis Albim habitavere, ubi est sabuletum Luneburgicum. Inde fortè nomen traxere, ut vult eruditus Eccardus, *de Rebus Franciæ Orientalis.* Vol. I. p. 3.

[3] *Aviones.* Fortè iidem sunt, quos Mamertinus in Panegyrico Maximiani, cap. 5. *Chaibones* appellat: Langobardis et Reudignis quoque proximi, nunc *part of Mecklenburg.* Antè cis Albim ripas amnis Ilmenaviæ Luneburgici tenuere. Amnis ille ex eorum nomine incolis adhuc dicitur *Ava*, teste erudito Eccardo, loc. cit.

[4] *Angli.* Nunc *part of Holstein and Sleswick.* Ibi adhuc est regio *Angeln*, inter *Flensburg et Sleswick.* Seculo post Christum natum quinto, Angli, comitibus Saxonibus, in Britanniam immigravere, nomenque Angliæ dedere; quo uno facto perennitati suæ meliùs, quàm Suevi Cimbrique consuluere.

[5] *Varini.* Nunc *the eastern part of Mecklenburg*, circa ripas amnis Varnæ, occupavere. Ibi adhuc oppidulum *Waren*, ad lacum *Muritz* situm. Extant leges veteres, quæ Anglis et Varinis communes fuere. Eas vide apud Lindenbrogium et Cl. Leibnitium, *Scriptores rerum Brunsvicensium*, vol. I. p. 81.

[6] *Eudoses.* Ex Taciti descriptione, aliorumque populorum situ, patet Eudoses fuisse, ubi nunc *Wismar and Rostock:* Suardones, ubi nunc *Stralsund, Swedish Pomerania, and part of hither Pomerania:* Nuithones, ubi nunc *part of hither Pomerania.* Eos tamen multò latiùs habitâsse existimat eruditus Eccardus, loc. cit. Eudoses enim ad Viadrum, Suardones ad Wartam, Nuithones ad Netzam, diffundit.

Herthum,[1] id est, Terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrantur. Est in insulâ[2] Oceani castum nemus,[3] dicatum in eo vehiculum, veste contectum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali[4] Deam intelligit, vectamque bubus fœminis multâ cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies,[5] festa loca, quæcumque adventu hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantùm nota, tunc tantùm amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium Deam templo reddat:[6] mox vehiculum et vestes, et, si credere velis, numen ipsum[7] secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit.[8] Arcanus hinc terror, sanctaque ignorantia, quid sit id, quod tantùm perituri vident.

41. Et hæc quidem pars Suevorum in secretiora Germa-

[1] *Herthum.* Manet adhuc Germanis vetus nomen; terraque appellatur *Erde.* Multi pronuntiant *Erdt.* Quod nonnihil affinitatis habet cum Hebraicâ appellatione אדרץ. Invaluit autem apud omnes fermè populos hæc superstitio, ut terram colerent. Apud ipsos Romanos, Sempronius, domitis Picentibus, *Tellurem Deam promissâ æde placavit.* Florus, I. 19.

[2] *In insulâ.* Insula hæc multis videtur esse ea, quæ nunc dicitur *Rugen, in the Baltic.* At, ut probabilius, alia est insula, Albis ostio proxima, quæ dicitur *Heligoland.* Id enim magis convenit cum veteribus Langobardorum, Reudingorum, Avionumque sedibus.

[3] *Castum nemus.* Nemus sanctum et numquam violatum, Terræ Deæ sacrum. Vide not. et emend. ad cap. XL.

[4] *Penetrali.* Dicato nempe vehiculo.

[5] *Læti tunc dies.* Olaus Rudbeckius, vir eruditus, sed opiniosissimus, qui Germaniam omnem in suam Scandinaviam transtulit, contendit festum illud brumâ fuisse celebratum, mancreque adhuc, et dici *Julifred*, seu pacem Juliam. Rudbeck. *Atlantica*, I. 24. At festum illud *Juul*, non in Terræ, sed in Solis, quem *Thor*, aut *Taranim*, dicebant, honorem agebatur. Seriùs menseque Februario colebatur Terra; ut videre est apud Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Danemarck*, p. 81 et seq.

[6] *Templo reddat.* Templo, id est, sacro nemori; ut meritò observat Cl. Ernestus.

[7] *Numen ipsum.* Vehiculum Deæ, quam mortalium conversatione fœdatam opinantur.

[8] *Lacus haurit.* In lacum detrusos, ne vana sacra revelarent.

niæ porrigitur. Propior (ut quo modo paulo antè Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum civitas,[1] fida Romanis,[2] eoque solis Germanorum non in ripâ commercium, sed penitus, atque in splendidissimâ Rætiæ provinciæ coloniâ:[3] passim et sine custode[4] transeunt; et cùm ceteris gentibus arma modò castraque nostra ostendamus, his domos, villasque patefecimus, non concupiscentibus.[5] In Hermunduris Albis oritur,[6] flumen inclytum et notum olim; nunc tantùm auditur.[7]

42. Juxtà Hermunduros Narisci,[8] ac deinde Marcomanni[9] et Quadi[10] agunt. Præcipua Marcomannorum gloria

[1] *Hermundurorum civitas.* Populos illos à virtute, *Heermanner*, et à Romanis Hermunduros dictos volunt. Inter Albim, Salam, et Boiemum, habitavere. Deindecùm Marcomanni, Boiis à Marobodùo pulsis, Boiemum occupâssent, ipsi Marcomannorum sedes sedibus suis addidere, hucque nomen Suevorum intulere, unde regionem hanc adhuc dicimus *Suabia*.

[2] *Fidâ Romanis.* Tunc fida; posteà cum Marcomannis aliisque Germanis adversùs Romanos, M. Aurelii, qui eos vicit, principatu, conspiravere. Vide Capitolin. in Marc. Aurel. XXII.

[3] *Coloniâ.* Augusta Vindelicorum, nunc *Augsburg*, splendidissima colonia provinciæ Rætiæ, cujus tunc pars erat Vindelicia.

[4] *Sine custode.* Ob pacem et societatem cum Romanis incustòditi erant transitus et sine pretio. Vide supra Hist. IV. 65.

[5] *Non concupiscentibus.* Has opes Romanorum atque delicias non concupiscebant Hermunduri, suis contenti.

[6] *Albis oritur.* Hìc errat graviter Tacitus, si fontem Egræ, qui in Hermunduris oritur, cum fonte Albis, qui erat apud Marcomannos in Boiemo, confuderit. Inclytum quidem olim ac notum Albis flumen Drusi, Tiberii, Domitii victoriis; at, diu in hoc Germaniæ penetrali silentibus bellis, Romæ tantùm famâ audiebatur. Inde in signando Albis fonte Geographicas Romanorum tabulas minimè accuratas fuisse videtur. Fortè tamen Hermunduri, cùm in exercitu Marobodui militâssent, sedes accepere in eâ parte Boiemi, in quâ Albis oritur. Tunc nullus foret Taciti error, ut videre est apud eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis*, vol. I. p. 7.

[7] *Tantùm auditur.* Olim victricibus Romanorum armis, notum: nunc, præpotentibus Germanorum rebus, famâ tantùm auditur. Vide supra Annal. IV. 44.

[8] *Narisci.* Inter Hermunduros et Marcomannos fuere Narisci, ubi nunc *part of Bavaria, between Bohemia and the Danube.*

[9] *Marcomanni.* Nunc *Bohemia.*

[10] *Et Quadi.* De Quadis, Valentiniani et Valentis ætate, Ammianus Marcellinus, XXIX. 15. *Quadorum natio motu est excita repentino, parùm nunc formidanda, sed*

viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Boiis,[1] virtute parta. Nec Narisci Quadive degenerant.[2] Eaque Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio pergitur. Marcomannis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt, ex gente ipsorum, nobile Marobodui[3] et Tudri genus: jam et externos patiuntur. Sed vis et potentia regibus, ex auctoritate Romanâ:[4] rarò armis nostris, sæpiùs pecuniâ juvantur.

43. Nec minùs valent retro Marsigni,[5] Gothini,[6] Osi,[7] Burii:[8] terga Marcomannorum, Quadorumque claudunt:

immensum quantum antehàc bellatrix et potens, ut indicant perpetrata.

[1] *Boiis.* Qui eas regiones olim tenuere, et Boiemo nomen indidere, ut dictum est supra cap. 28. Marcomanni, antequàm Boios pellerent, haud procul fontibus Danubii habitavere; et quòd Germaniæ limitem incolerent, dictos fuisse *Marcmanner*, à voce *Marc*, quæ *limitem* significat, rectè opinatur Cl. Dithmarus. Haud ita probabiliter Cl. Leibnitius vult Marcomannos Moraviam, nondum pulsis Boiis, incoluisse, et à Marcâ fluvio nomen duxisse.

[2] *Degenerant.* Inde Marcomannorum, Nariscorum, Quadorum aliorumque sociorum gravissimum adversùs Romanos exarsit bellum, M. Aurelio Principe. Quantum in discrimen M. Aurelium Romanumque exercitum Quadi adduxerint, docet Dio, LXXI. p. 805 et seq.

[3] *Marobodui.* De Maroboduo actum supra Annal. II. 46 et 62.

[4] *Auctoritate Romanâ.* Sic Vannium regem, à Romanis datum, vidimus supra Annal. II. 63. et XII. 29. Furtium quoque, regem, Quadis posteà dedit Antoninus Pius, ut testatur ejus nummus apud Cl. Spanhemium, *de Præstantiâ et Usu Numismatum*, vol. II. p. 582. ANTONINVS PIVS AVGVSTVS, capite laureato. In aversâ parte, duo homines stantes. REX QVADIS DATVS. Furtium cùm ejecissent Quadi, Ariogæsum regem sibi constituêre, quem M. Aurelius, Ariogæso infensus, confirmare noluit. Vide Dionem, LXXI. p. 808. Tanta autem erat hâc in re auctoritas Romana, ut *Quadi, amisso rege suo, non priùs se confirmaturos eum qui erat creatus*, dicerent, *quàm id nostris placuisset Imperatoribus.* Capitolinus in M. Antonino, cap. 14.

[5] *Marsigni.* Nunc *Glatz, Jagerndorf, and part of Silesia.*

[6] *Gothini.* Nunc *part of Silesia and Hungary*, infra Marsignos.

[7] *Osi.* Infra Gothinos Osi, nunc *part of Hungary.*

[8] *Burii.* Ultra Gothinos Burii, ad Carpatem montem et Vistulæ fontes.

è quibus Marsigni, et Burii sermone cultuque [1] Suevos referunt. Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos; et quòd tributa patiuntur: partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi, ut alienigenis, imponunt: Gothini, quò magis pudeat, et ferrum effodiunt: [2] omnesque hi populi pauca campestrium, ceterùm saltus et vertices montium jugumque insederunt. Dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium jugum,[3] ultra quod plurimæ gentes agunt: ex quibus latissimè patet Lygiorum [4] nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas nominâsse sufficiet, Arios,[5] Helveconas, Manimos, Elysios, Naharvalos. Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu: sed "Deos, interpretatione Roma-" nâ, Castorem Pollucemque"[6] memorant. Ea vis numini: [7]

[1] *Cultuque.* Quem vidimus supra cap. 38. Prætereà videtur Suevos sermone, aut potiùs dialecto, à ceteris Germanis fuisse distinctos.

[2] *Ferrum effodiunt.* In ferri fodinis, quas obtinebant Quadi, teste Ptolemæo, II. 11. Ὑπὸ δὲ τὸν Ὀρκύνιον δρυμὸν Κούαδοι ὑφ' ὧς τὰ σιδηροῦχα, καὶ ἡ Λύνα ὕλη. *Sub sylvâ Hercyniâ Quadi: sub quibus ferri fodinæ, et Luna sylva.*

[3] *Continuum montium jugum. The mountains between Moravia, Hungary, Silesia, and Bohemia.*

[4] *Lygiorum.* Lygii, nunc *part of Silesia, Prussia, and Poland.* Jam memorati suntsupra Annal. XII. 29.

[5] *Arios.* Arii, Helvecones, Manimi, Elysii, Naharvali habitavere inter Viadrum, *the Oder*, et Vistulam, *the Vistula*, ubi nunc *part of Silesia, Brandenburg, and Poland.* Fortè ab Ariis genus ducebat Ariogæsus, Quadorum rex, de quo dictum supra cap. 42. not. sup. Ab Elysiis Silesiæ, *Silesia*, nomen ortum volunt. Helvecones prorsus diversi sunt ab Hillevionibus, de quibus dicetur infra cap. 44. not. inf.

[6] *Castorem Pollucemque.* Apud Romanos Castor et Pollux in tempestatibus invocabantur. Inde Seneca, Natural. Quæstion. I. 1. *In magnâ tempestate apparent, quasi stellæ velo insidentes. Adjuvari se tunc periclitantes existimant Pollucis et Castoris numine.*

[7] *Ea vis numini.* In stellis, quas vulgò dicimus *jack in lanterns*, Castorem et Pollucem venerabantur Romani; ut videre est apud Plin. II. 37. Numen quoque suum in his fatuis ignibus coluisse videntur Naharvali. Illud *Alcin* dixere, fortè à vocabulis *Alff*, *Alp*, quibus adhuc Genios montium appellant Septemtrionales populi, teste erudito Keyslero, in Antiquitatibus Celticis, p. 500. Verùm cùm sine ullis simulacris, sine ullo peregrinæ superstitionis vestigio, Deos illos, ut fratres, ut juvenes venerarentur Naharvali, minimè crediderim eos fuisse Castorem et Pollucem, Græca Romanave numina. In iis potiùs agnoverim

nomen *Alcis:* nulla simulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium: ut fratres tamen, ut juvenes venerantur. Ceterùm Arii super vires, quibus enumeratos paulo antè populos antecedunt, truces, insitæ feritati arte ac tempore lenocinantur: nigra scuta, tincta corpora;[1] atras ad prælia noctes legunt: ipsâque formidine atque umbrâ feralis exercitûs terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum: nam primi in omnibus prœliis oculi vincuntur. Trans Lygios Gothones[2] regnantur, paulo jam adductiùs, quàm ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii,[3] et Lemovii:[4] omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, et erga reges obsequium.

Canadensium Deos *Napinoukheth*, et *Pepounoukheth*, quos inter ita divisum orbis imperium, ut hic veris et æstatis, ille hyemis sit præses. Alternis temporum vices regunt, et hominum fata moderantur. Vide Creuxium, *Historia Canadensis*, p. 81. Huc quoque referenda videntur Sarmatarum numina *Lebus* et *Polebus*, quorum memoria adhuc manet in conviviis Polonicis. Diodorus Siculus, IV. 56. p. 180. Dioscuros, seu Castorem et Pollucem, à Celtis, Oceani accolis, cultos memorat. Sed isti populi sunt à Naharvalis diversi.

[1] *Tincta corpora.* Id olim in usu apud gentes plurimas. Idem adhuc viget apud multos Americæ populos. Quidam etiam corporibus suis notas inscribebant. Unde Plinius, XXII. 1. *Formæ gratiâ ritûsque perpetui, in corporibus suis aliquas exterarum gentium uti herbis quibusdam, adverto animum. Illinunt certè aliis aliæ faciem in populis Barbarorum fœminæ, maresque etiam apud Dacos et Sarmatas corpora sua inscribunt.* Tales corporum picturas, à Canadensibus, ut truculentiores videantur, usurpatas, exhibet P. Creuxius, *Historia Canadensis*, p. 70. Si de hoc usu plura volueris, adi eruditum Pelloutier, *Histoire des Celtes*, vol. I. p. 290 et seq.

[2] *Gothones.* Supra memorates populos erant Gothones. Diversi sunt à Gothis, de quibus mox dicemus, sed fortè cum iis arma sociavere.

[3] *Rugii.* Protinus ab Oceano Baltico erant Rugii, ubi nunc *Colberg, Cassubia, farther Pomerania:* ibi adhuc oppidum *Rugenwald.* In ipso mari memoriam eorum retinet insula *Rugen.*

[4] *Lemovii.* Mare Balticum accolebant quoque Lemovii, ubi nunc *Stalpe, Lauenburg, Dantzic.* Lemoviorum sedes posteà occupâsse videntur Heruli. Nulla enim deinde Lemoviorum memoria, frequens verò Herulorum, et per Europam et Asiam gloria ingens: primi etiam Germanorum sub Odoacro regnum in Italiâ condidere.

44. SUIONUM[1] hinc civitates, ipso in Oceano,[2] præter viros armaque classibus valent:[3] forma navium[4] eò differt, quòd utrimque prora paratam semper appulsui frontem agit: nec velis ministrantur,[5] nec remos in ordinem lateribus adjungunt. Solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos:[6] eòque unus imperitat, nullis jam excep-

[1] *Suionum.* Suiones, nunc *Sweden, the isles of Denmark, Funen, Langland, Zealand, Laland,* &c. E Suionibus Cimbrisque emersere Normanni, qui latè terrorem circumtulere, et opimam Galliæ provinciam, de eorum nomine adhuc appellatam *Normandy*, occupavere. Majus adhuc et audentius Gothorum, Wisigothorum, Ostrogothorum nomen. Ii sunt, qui imperium Romanum perdidere, et Romam tam diu invictam, et æterni. tatis spe vanam, cepere. Extant adhuc Wisigothorum leges, sed à solitâ Germanicarum legum simplicitate alienæ.

[2] *Ipso in Oceano.* Romani, quibus nondum satis comperta erat hæc terrarum pars, hìc finxere *insularum immensa spatia*, ut vidimus supra cap. 1. Unde et Plinius, IV. 13. ait: Codanus sinus, nunc *the Baltic Sea, refertus insulis, quarum clarissima Scandinavia*, hodie *Sweden, Norway, est incompertæ magnitudinis, portionem tantùm ejus, quod sit notum, Hillevionum gente quingentis incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eam appellat.* Hillevionum memoria adhuc manet in eâ Sueciæ parte, quæ dicitur *Halland.*

[3] *Classibus valent.* Atque ita valuere, ut penes eos sit gloria *juris nautici*, cujus leges undecimo post Christum natum seculo primùm scriptæ sunt in urbe *Wisby*; quæ urbs princeps est insulæ *Gothland.* Unde illa insula meritò appellatur *Oculus maris Baltici.*

[4] *Forma navium.* Quæ Suionum, eadem adhuc est Canadensium navibus, *canoes*, forma. Utrimque prora paratam appulsui frontem agit. At Canadensium naves sine velis, et cum velis aguntur. Vide P. de Charlevoix, *Lettre* XII. p. 192.

[5] *Velis ministrantur.* Melìùs *ministrant.* Notum enim illud Virgilii,

Velisque ministrant.

Nec aliter Lucanus, III. 691.

Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant.

[6] *Opibus honos.* Opulentissimum Suionum templum memorat Adamus Bremensis, Hist. Eccl. cap. 233. *Nobilissimum illa gens templum habet, quod Ubsola*, nunc *Upsal, dicitur, non longè à Sictonâ civitate*, nunc *Sigtuna, et Birca*, nunc *Bioerkoe. In hoc templo, quod totum auro paratum est, statuas trium Deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium: hinc et inde locum possident Wodan et Fricco.* E ruderibus urbium Sictonæ et Bircæ exsurrexit urbs regni princeps, *Stockholm.* Nobile autem exemplum, ibi semper fuisse opes, ubi viguit nautica res.

tionibus,[1] non precario jure parendi: nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem servo:[2] quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus. Otiosæ porrò armatorum manus facilè lasciviunt: enimverò neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem armis præponere regia utilitas est.

45. TRANS Suionas aliud mare[3] pigrum, ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides:[4] quòd extremus cadentis jam Solis fulgor in ortus edurat, adeò clarus, ut sidera hebetet. Sonum insuper emergentis[5] audiri,[6] formasque Deorum,[7] et radios capitis aspici persuasio adjicit. Illuc usque (et fama vera) tantùm natura.[8]

[1] *Exceptionibus.* Ibi suprema regum potestas: nullæ legum, nullæ libertatis exceptiones. Unde Cl. Spener, *Notitia Germaniæ antiquæ*, v. 7. p. 177. rectè existimat apud Suionas *regnum fuisse jure hereditario*, non verò datum populi electione. *Nam jus parendi precarium vix non semper regis sequitur electionem.*

[2] *Servo.* Ibi enim servi supra ingenuos, supra nobiles ascendebant. Vide supra cap. 25.

[3] *Aliud mare.* Quod vulgò dicimus *the Frozen Ocean.* Præter quàm quòd Borealis pars sinusque maris Suevici, *the Northern part of the Baltic Sea, and the gulfs of Bothnia and Finland*, quotannis frigore et glacie ita rigeant, ut sine maximis difficultatibus, teste erudito Rudbeckio, *Atlantica*, p. 323. navibus adiri non possint; Suionibus, qui classibus valebant, compertum quoque fuit mare glaciale, quod, ultra gradum 81. æstate vel hyeme, nullas naves admittit. Vide eumdem Rudbeckium, loc. cit. p. 359.

[4] *Hinc fides.* Parùm appositè ad astronomicas rationes. In his enim terrarum finibus extremus cadentis Solis fulgor usque in ortus, vel in ortum, edurat, non quòd ibi sit naturæ terminus, sed quòd terræ ibi protendantur ad gradum 72. ac proinde ultra circulum polarem Arcticum, sub quo, vi Solaris cursûs, viginti quatuor horas lucescit. Hâc de re si plura volueris, vide eruditum Varenium, *Geographia generalis*, II. 25.

[5] *Emergentis.* Meliùs *immergentis*, vel *se mergentis.* Vide not. et emend. ad cap. 45.

[6] *Audiri.* Ut ferrum candens, sic Solem stridendo aquas subire opinabantur. Unde Juvenalis, Satyr. XIV. 280.

Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.

Idque vulgare apud poetas, cùm occasum Solis describunt.

[7] *Formasque Deorum.* Meliùs *formasque equorum:* ni fortè *formas Deorum* accipias de Neptuno aliisque marinis Deis Solem excipientibus.

[8] *Tantùm natura.* Ita de Oce-

Ergò jam dextro Suevici maris[1] littore Æstiorum gentes[2] alluuntur: quibus ritus habitusque Suevorum,[3] lingua Britannicæ propior.[4] Matrem Deûm[5] venerantur: insigne superstitionis, formas aprorum[6] gestant. Id pro armis omnique tutelâ: securum Deæ cultorem etiam inter hostes præstat.[7] Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientiùs,[8] quàm pro solitâ Germanorum inertiâ, laborant. Sed et mare scrutantur; ac soli omnium[9] succinum,[10] quod ipsi *Glesum*[11] vocant, inter

ano Indico Quintus Curtius, IX. 9. ait *ne naturam quidem, longiùs posse procedere.* Nunc verò fama illa non est vera: ultra terras Suionibus habitatas cognitasve, novæ innotuere terræ, *Spitzberg, Greenland,* &c. necdum tota patet natura. Utinam auspicatis tot gentium, nauticâ arte celeberrimarum, navigationibus aliquandò pateat! Qui enim naturæ intima scrutabimur, si ne extima quidem cognoverimus?

[1] *Suevici maris.* Nunc *the Baltic Sea.*

[2] *Æstiorum gentes.* Nunc *Prussia, the duchies of Samogitia, Courland, the Palatinate of Livonia, and Estonia,* in cujus nomine extat veteris nominis memoria. Vide inter Testimonia Veterum epistolam, quam de succino et hoc Taciti loco ad Æstios scripsit Theodoricus rex.

[3] *Suevorum.* De quibus supra cap. 38.

[4] *Britannicæ propior.* Quòd Æstii, in extremis Germaniæ finibus positi, linguam Scythico-Celticam, quæ apud Britannos diu viguit, retinerent; ut rectè observat Cl. Dithmarus.

[5] *Matrem Deûm.* Quæ Frea, aut Fricco, dicebatur: numen Scythicæ originis, de quo dictum supra cap. 40. Vide et Cl. Mallet, *Introduction à l'Histoire de Danemarck,* p. 56 et seq.

[6] *Formas aprorum.* Manent adhuc hujus superstitionis multa vestigia in Suecià. Rustici, illo ipso tempore quo sacrum Freæ mense Februario olim peragebatur, panem formâ verris, in multos superstitiosos usus paratum componunt. Quod vide apud eruditum Eccardum, *de Rebus Franciæ Orientalis,* Vol. I. p. 409.

[7] *Inter hostes præstat.* Tanta vanæ religionis fiducia.

[8] *Patientiùs.* Quòd non, ut ceteri Germani, ita vagi bellisque dediti, sed loci necessitate in iisdem terris consisterent.

[9] *Soli omnium.* Nunc verò et alii aliisque in terris succinum legunt: sed semper vis maxima et optima in Æstiorum littoribus.

[10] *Succinum.* Quod *Anglicè* dicimus, *yellow amber.*

[11] *Glesum.* Sic adhuc vitrum, quòd pellucidum sit, à Germanis *Glas* appellatur. Plinius autem, XXXVIII. 3. *Certum est* succinum *gigni in insulis Septemtrionalis Oceani, et à Germanis appellari glessum: itaque et à nostris unam insularum ob id Glessariam appellatam, Germanico Cæsare ibi classibus rem gerente. Austraviam à barbaris dictam.* Ibi multa de

vada atque in ipso littore legunt. Nec, quæ natura, quæve ratio gignat, ut barbaris, quæsitum compertumve. Diu quinetiam inter cetera ejectamenta maris jacebat,[1] donec luxuria nostra[2] dedit nomen: ipsis in nullo usu; rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum[3] esse intelligas, quia terrena quædam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent,[4] quæ implicata humore, mox durescente materiâ, cluduntur. Fœcundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis,[5] ubi thura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quæ vicini Solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa littora[6] exundant. Si naturam succini

succino. Quæ inter, memorat Plinius maximum pondus glebæ succini, Nerone Principe allatum, fuisse *XIII librarum*.

[1] *Jacebat*. Adeò vile, ut Guttones, qui illud æstuarium olim incolebant, *pro ligno ad ignem* uterentur succino, *proximisque Teutonis* venderent, Plin. XXXVII. 2.

[2] *Luxuria nostra*. Inde enim apud Romanos è succino monilia, anuli, nummi, pocula, auctore Plinio, loc. cit. Fuere et columnæ, de quibus Claudianus, de Rapt. Proserpin. I. 154.

Atria cingit ebur, trabibus solidatur ahenis
Culmen, et in celsas surgunt electra columnas.

Transiit quoque in theatra succinum, Nerone Principe. Vide Plinium, loc. cit. cap. 3.

[3] *Succum tamen arborum*. Alii posteà succinum inter bituminum saliumque species annumeravere; quorum sententiæ favere videbatur succinum fossile, in agris Prussicis passim obvium: repertum quoque in Saxoniâ prope oppidum *Schmideberg*, aliisque in locis à mari dissitis. Sunt tamen adhuc et plurimi, qui succinum esse succum arborum pinearum ac populearum volunt; quâ de re ingeniosas ac probabiles conjecturas nuper edidit Cl. Formey.

[4] *Interlucent*. Araneas, formicas, apes, aliaque id genus, succino clausa, ut rectè explicat Tacitus, sæpe vidimus. At circumferuntur quoque lacerti, aliaque majora animalia succino implicita, non naturæ lusu, sed circulatorum fraudibus, qui his monstris pecuniosos et ignaros homines argento emungunt.

[5] *Orientis secretis*. Benè accuratèque dictum, quia inter secreta habebantur colebanturque thura ac balsama. De thure Arabiæ vide Plinium, XII. 14. De Judææ balsamo diximus satis supra Hist. V, 6.

[6] *In adversa littora*. E proximo Suionum mari in adversa Æstiorum littora vi tempestatum succinum propellebatur.

admoto igne tentes, in modum tedæ accenditur, alitque flammam pinguem et olentem:[1] mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus Sitonum gentes[2] continuantur. Cetera similes, uno differunt, quòd fœmina dominatur: in tantum non modò à libertate, sed etiam à servitute degenerant. Hîc Sueviæ finis.

46. Peucinorum, Venedorumque, et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis[3] adscribam dubito: quamquam Peucini,[4] quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis,[5] ut Germani agunt: sordes omnium ac torpor: procerum connubiis mixtis,[6] nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Venedi[7] multum ex moribus[8] traxerunt. Nam quidquid inter Peucinos Fennosque sylva-

[1] *Olentem.* Succinum attritu odoràque flammâ pinum redolet.

[2] *Sitonum gentes.* Nunc *Norway.*

[3] *Germanis an Sarmatis.* Germania quidem Vistulâ finiebatur: et ultra Vistulam erat Sarmatia. Peucini tamen, Venedique et Fenni Germanicæ originis esse videbantur, quòd licèt in Sarmatiâ positi, à Sarmatarum moribus deflecterent.

[4] *Peucini.* Peucinos quoque Germaniæ adscribit Plinius, IV. 14. *Quinta* Germaniæ *pars Peucini, Basternæ, supra dictis contermini Dacis.* Ad Istri, *the Danube,* ostia, et in ipsis etiam Istri ostiis insulam Peucen, nunc *Piczina,* habitabant Peucini pars Bastarnarum, ut patet ex Strabone, VII. p. 306.

[5] *Sede, ac domiciliis.* Sedem domiciliaque figebant Peucini. Contra Sarmatæ in plaustro equoque vivebant.

[6] *Connubiis mixtis.* Peucinorum proceres connubia miscebant cum Sarmatis, et in Sarmatarum habitum moresque fœdabantur.

[7] *Venedi.* Venedi ultra Peucinos et Bastarnas ad Suevicum usque mare, *the Baltic Sea,* protendebantur. Venedorum memoriam adhuc retinet Sinus Venedicus, nunc *the Gulf of Dantzic.* Manet quoque nomen in *Wenden,* quæ pars est Livoniæ.. Cùm Germanorum gentes plurimæ in Italiam, Galliam, Hispaniam irrupissent, Venedi, dicti quoque Winedi, vacuas sedes occupavere inter Vistulam et Albim. Inde Danubium trajecere, Dalmatiam, Illyricum, Istriam, Carnos, Noricasque Alpes tenuere. .De eorum nomine pars Carniolæ adhuc dicitur *Windismarck.* Ob celebritatem nobilitatemque cognominati sunt Slavi, latissimèque viget eorum lingua, *the Sclavonian language,* de quâ eruditè disseruit Cl. de Peyssonnel, *Observations Historiques et Géographiques sur les peuples barbares,* p. 7 et seq.

[8] *Ex moribus.* Ex moribus Sarmatarum.

rum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potiùs referuntur, quia et domos fingunt, et scuta gestant, et pedum usu ac pernicitate gaudent: quæ omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustro equoque [1] viventibus. Fennis [2] mira feritas, fœda paupertas: non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles: cubile humus: sola in sagittis spes, quas inopiâ ferri, ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac fœminas alit. Passim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quàm ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatiùs arbitrantur, quàm ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. Securi [3] adversùs homines, securi adversùs Deos, rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem [4] opus esset. Cetera jam fabulosa: " Hellusios et Oxionas [5] ora hominum vultusque, corpora

[1] *In plaustro equoque.* Sic et hodie vivunt Sarmatarum reliquiæ, *the Tartars, the Nogays.*

[2] *Fennis.* Eorum regio à Plinio, IV. 13. dicitur, *Enigia.* Fortè meliùs legeretur *Fenigia.* Hodie *Finland.* Fennorum feritatem paupertatemque describit Warnefridus, de Gestis Langobardorum, I. 5. *Scritobini*, potiùs *Scritofinni*, — *æstatis tempore nivibus non carent, nec aliis, utpote feris ipsis ratione non dispares, quàm crudis agrestium animantium carnibus vescuntur; de quorum etiam hirtis pellibus sibi indumenta coaptant. Hi à saliendo, juxta linguam barbaram, etymologiam ducunt: saltibus enim utentes, arte quâdam ligno incurvo, ad arcûs similitudinem, feras adsequuntur.* In his saltibus, in incurvo arcuatoque ligno, agnoscere est Canadenses soleas, quas vulgò dicimus *rackets.* Earum descriptionem vide apud P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XIV. p. 221.

[3] *Securi.* Sic Seneca, Ep. XVII. commendat paupertatem, quâ *promittitur perpetua libertas, nullius, nec hominis, nec Dei timor.* De interritâ Canadensium securitate, cùm suprema vitæ instant, vide P. de Charlevoix, loc. cit. *Lettre* XXVI. p. 372.

[4] *Ne voto quidem.* Illis natura sufficit. Inde ne voto quidem opus, *quia natura minimum petit*, Senec. loc. cit.

[5] *Hellusios et Oxionas.* Ultra Fennos Hellusii et Oxiones, nunc *Laponia.* Cùm in his frigidissimis regionibus homines horrerent hirsutis ferarum pellibus, dicti sunt ora hominum, corpora artusque ferarum gerere; communi errore, et apud nos etiam in longinquarum peregrinationum narrationibus vulgato. Adde moris esse apud bar-

" atque artus ferarum gerere :" quod ego, ut incompertum, in medium relinquam.[1]

baros imitari sonos ferarum, ut terreant et fallant. Vide P. de Charlevoix, *Histoire et Description générale de la nouvelle France.* Lib. I. p. 16 et seq.

[1] *In medium relinquam.* Benè egregièque factum. Fabulas enim prodidisset Tacitus, quales Mela, Plinius, aliique plurimi, etiam recentiores. Nunc verò aliquid de toto hoc libro summatim observare juvat. Compertum enim mihi videtur, et omnibus perspectum erit, ut opinor, Tacitum nihil de Germanorum moribus scripsisse, quòd cum naturâ et veritate non consentiat. Si enim, ut quibusdam placuit, ingenio suo indulsisset Tacitus, ut Germanorum mores fingeret potiùs, quàm referret, Romanos carpendi cupidus; quomodò mores illi Germanorum cum Canadensium moribus, qui vigent adhuc, nobisque sunt perspectissimi, concordant? Quomodò mores illos Germanorum, in veteribus legibus, Salicâ, Ripuariorum, Burgundionum, Anglorum, Langobardorum, aliorumque, superstites deprehendimus? Quomodò, post tot tantasque seculorum atque imperiorum vices, mores illos, illos usus tamdiu retinuere, hodieque magnâ ex parte retinent immensæ et diversæ Germanorum, Francorum, Anglorum gentes? Quotquot vivimus, et annales nostros, nostras leges, nostros usus novimus, huic libro fidem facimus. Utinam faciamus semper, Germanicasque virtutes, novis et majoribus in dies virtutibus, cumulemus! At in hoc libro mores Romanos, vel silens, passim carpit Tacitus. Verè quidem et bellè. Hoc est enim optimi cujusque scriptoris officium, hæc cura, hæc laus, ad ætatis suæ mores, sine adulatione, sine offensione, animum advertere, eosque pro suis viribus ad meliora promovere. Nihil ultra addidero. Si quis autem, quantum Germanici moris retinuerimus, voluerit paucis cognoscere, elegantissimam legat dissertationem, cui Cl. de Vertot titulum fecit: *Dissertation dans laquelle on tâche de démêler la véritable origine des François, par un parallele de leurs mœurs avec celles des Germains.* Vide *Mém. de l'Acad. Roy. des Inscrip.* vol. II. p. 567 et seq.

BREVIARIUM

VITÆ

CN. JULII AGRICOLÆ.

1. In scribendâ clarorum virorum vitâ mos. 2. Pericula. 3. Tacito animos addit præsens temporum felicitas. 4. Cn. Julii Agricolæ stirps, pueritia: adolescentiæ studia. 5. Prima castrorum rudimenta in Britanniâ. 6. Ejus matrimonium: quæstura: tribunatus plebis: prætura: sacra ædilitas. 7. Othoniano bello matrem partemque patrimonii amittit. In Vespasiani partes transgressus, vicesimæ legioni in Britanniâ præest. 8. Ibi alienæ famæ curâ suam promovet. 9. Inter patricios adsciscitur: Aquitaniam regit. Inde consul, Tacito filiam suam uxorem dat: Britanniæ præponitur, adjecto pontificatûs sacerdotio. 10. Britanniæ descriptio. 11. Incolarum origo, habitus, sacra, sermo, mores. 12. Eorum militia, regimen, conventus: cœlum, solum,

metalla, margarita. 13. Victæ gentis ingenium. Cæsarum in Britanniam expeditiones. 14. Consulares legati Aulus Plautius, Ostorius Scapula, Didius Gallus, Veranius, Suetonius Paullinus. 15. Britanniæ rebellio. 16. Boudicea, generis regii fœmina, Britannorum dux. Motum hunc compescit Paullinus; cui successere Trebellius Maximus et Vettius Bolanus, sed ignavi. 17. Rem restituunt magni duces, Petilius Cerialis et Julius Frontinus. 18. Agricola Britanniæ præficitur. Victis Ordovicibus, Monam insulam in deditionem recipit. 19. Præclaræ artes, quibus provinciàm regit, bellorum causas amovet. 20. Terrore, clementiâ parta pax. 21. Liberalibus artibus et voluptatibus molliuntur Britannorum animi. 22. Novæ gentes apertæ et vastatæ. 23. Bello adquisita præsidiis firmantur. 24. De occupandâ Hiberniâ consilium. 25. Civitates trans Bodotriam sitæ explorantur. Motus Caledoniorum. 26. Ii nonam legionem aggrediuntur: cedunt territi. 27. Redit tamen animus; conspirantque civitates. 28. Usipiorum cohors miro casu Britanniam circumvecta. 29. Calgacus bellum parat; montemque Grampium occupat. 30. Egregia ejus oratio. 33. Romanos quoque adloquitur Agricola. 35. Atrox cruentumque prælium. 38. Penes Romanos victoria. Britanniam circumvehi præcipit Agricola. 39. Domi-

tianus, fronte lætus, pectore anxius, nuntium victoriæ excipit. 40. Triumphalia tamen ornamenta statuamque decerni jubet: condito odio, donec provinciâ decedat Agricola. Is, è Britanniâ redux, modestè agit. 41. Ejus è Principe, ex aulâ pericula. 42. Excusat se ne proconsulatum sortiatur. 43. Moritur, Domitiani veneno, ut fama fuit, interceptus. 44. Ejus ætas, forma, honores, opes. 45. Mortis opportunitas, ante Domitiani atrocitates. Taciti in Agricolam pietas. 46. Ex virtute solatia, virtutisque documenta.

Agricolæ vitam scripsit Tacitus

A. U. C.	J. C.		
DCCCL.	97.	Coss.	M. Cocceio Nervâ Aug. III, L. Verginio Rufo III.

CN. JULII AGRICOLÆ VITA,[1]

SCRIPTORE

C. CORN. TACITO.

1. CLARORUM[2] virorum facta moresque posteris tradere antiquitùs usitatum, ne nostris quidem temporibus, quamquam incuriosa suorum ætas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium, parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Sed apud priores, ut agere memoratu digna pronum, magisque in aperto erat; ita celeberrimus quisque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam, sine gratiâ aut ambitione, bonæ tantùm conscientiæ pretio, ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potiùs morum, quàm arrogantiam arbitrati sunt: nec id Rutilio[3] et Scauro[4] citra

[1] *Vita.* In hâc Cn. Julii Agricolæ vitâ absolutissimum habemus decoræ perfectæque laudationis exemplar. Ad illud quanto magis accesserit, quicumque id scribendi genus suscipit, tanto probatior erit et illustrior: quo magis autem ab eo recesserit, tanto pluribus obruetur vitiis.

[2] *Clarorum.* Ordo est: "Ætas, "quamquam incuriosa suorum, "omisit ne nostris quidem tempo- "ribus usitatum antiquitus, tra- "dere posteris facta moresque cla- "rorum virorum, quotiens, &c."

[3] *Rutilio.* P. Rutilium Rufum, consulem A. U. C. 649. Velleius Paterculus, II. 13. appellat *virum non seculi sui, sed omnis ævi optimum.* In Tiberii Gracchi amicos sæviit; sed posteà *in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium: et lege repetundarum* interrogatus, *maximo cum genitu civitatis* damnatus est. Vide eumdem Velleium, cap. 7.

[4] *Et Scauro.* M. Æmilio Scauro, consuli A. U. C. 639. *Sapientis hominis et recti gravitas summa, et naturalis quædam inerat auctoritas,* teste Cicerone de Claris Oratoribus, cap. 29. *Hujus et orati-*

fidem, aut obtrectationi fuit: adeò virtutes iisdem temporibus optimè æstimantur, quibus facillimè gignuntur. At mihi nunc, narraturo vitam defuncti hominis veniâ opus fuit: quam non petîssem, ni cursaturus tam sæva et infesta virtutibus tempora.[1]

2. LEGIMUS,[2] cùm Aruleno Rūstico[3] Pætus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse: neque in ipsos modò auctores, sed in libros quoque eorum sævitum, delegato triumviris ministerio, ut monimenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro[4] urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani, et

ones sunt, et tres ad Fusidium libri scripti de vitâ ipsius actâ, sanè utiles, quos nemo legit. At Cyri vitam et disciplinam legunt, præclaram illam quidem, sed neque tam rebus nostris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam. Post consulatum fuit princeps senatûs. At, quod virtutum tædio incertum an ingeniorum inconstantiâ sæpe contigit, vir ille optimus filium habuit luxu perditum, *cujus ædilitas maximè prostravit mores civiles*, ideoque dicta Plinio, XXXIII. 15. n. 7. *majus malum*, quàm proscriptio tot millium à Syllâ, ejus vitrico, facta.

[1] *Tempora.* Domitiani tempora.

[2] *Legimus.* Immo viderat Tacitus, ut ipse testatur infra cap. 45. Sed edicta quoque, quibus damnati fuerant, scripta, quibus laudati, legerat. Præterea hæc non tam ad scriptorem, quàm ad lectores pertinent.

[3] *Aruleno Rustico.* Locum hunc egregiè illustrat Dio, LXVII. p. 765. Τὸν γὰρ δὴ Ῥοῦστικον τὸν Ἀρουλῆνον ἀπέκτεινεν, ὅτι ἐφιλοσόφει, καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ἀνόμαζε, καὶ Ἑρέννιον Σενεκίωνα, ὅτι τε ἀδικίαν ἀρχὴν ἐν πολλῷ βίῳ μετὰ τὴν ταμιείαν ἠτίμωσε, καὶ ὅτι τῷ Πρίσκῳ τῷ Ἑλουιδίῳ τὸν βίον συνέγραψεν. Domitianus, *Rusticum Arulenum interfecit propterea, quòd philosopharetur, quòdque Thraseam virum sanctissimum appellâsset; itemque Herennium Senecionem, quòd cùm vixisset diutissimè post quæsturam, nullum magistratum petivisset, quòdque Helvidii Prisci vitam conscripsisset.* Haud ita accuratè Suetonius in Domit. X. *Junium Rusticum, quòd Pæti Thraseæ et Helvidii Prisci laudes edidisset, appellâssetque eos sanctissimos viros: cujus criminis occasione, philosophos omnes Urbe Italiâque submovit.* Stoicus erat Arulenus Rusticus; ideoque à M. Regulo contumeliosè appellatus *Stoicorum simia: Vitelliană cicatrice stigmosus.* Plin. I. Ep. 5. De Thraseâ, quem Nero interfecit, dictum est Annal. XVI. 21 et seq.

[4] *Comitio ac foro.* Comitium erat in foro Romano, octavâque Urbis regione. Hìc olim crematos fuisse Numæ Pompilii libros, in arcâ lapideâ repertos, quòd plerique *dissolvendarum religionum* erant, tradit Livius, XL. 29.

libertatem senatûs, et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiæ professoribus,[1] atque omni bonâ arte in exilium actâ, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profectò grande patientiæ documentum: et sicut vetus ætas vidit, quid ultimum in libertate esset; ita nos quid in servitute, ademto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostrâ potestate esset oblivisci, quàm tacere.

3. NUNC demum redit animus: et quamquam, primo statim beatissimi seculi[2] ortu, Nerva Cæsar[3] res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem imperii[4] Nerva Trajanus,[5] nec spem modò ac votum securitas publica,[6] sed ipsius voti fiduciam, ac robur adsumserit: naturâ tamen infirmitatis humanæ, tardiora sunt remedia, quàm mala; et ut corpora lentè augescunt, citò extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris faciliùs, quàm revocaveris. Subit quippe etiam ipsius

[1] *Sapientiæ professoribus.* Philosophis omnibus, quos *Urbe Italiâque submovit* Domitianus, ut dictum est supra.

[2] *Beatissimi seculi.* Beatissimum quidem exortum est seculum, cùm post Domitiani tempora, ejusque actis rescissis, A. U. C. 849. imperare cœpit Nerva, cujus virtutes Trajanus, Hadrianus, et uterque Antoninus æmulari sunt.

[3] *Nerva Cæsar.* Cùm Nerva mortuus sit A. U. C. 851. nec DIVVS hìc appelletur, patet vitam Agricolæ à Tacito scriptam fuisse A. U. C. 850. immo sub anni finem: jam enim adoptatus fuerat Trajanus; quod contigit, exeunte Octobri, aut ineunte Novembri. Vide Dionem, LXVIII. p. 770. et ad hunc locum notam eruditi Reimari.

[4] *Felicitatem imperii.* Vide not. et emend. ad cap. 3.

[5] *Nerva Trajanus.* Ita appellatus est Trajanus, cùm à Nervâ fuisset adoptatus. In nummo aureo è Cimelio Regio, NERVA TRAIAN. CAES. GERM. NER. AVG. F. P. TR. P. COS. II. id est, *Nerva Trajanus, Cæsar, Germanicus, Nervæ Augusti filius, pontifex, tribuniciæ potestatis, consul iterum,* caput Trajani laureatum. Ex adversâ parte ADOPTIO.

[6] *Securitas publica.* SECURITAS PVBLICA, quæ et ore hominum ferebatur, et nummis inscribebatur, olim spem tantùm ac votum exprimebat, nunc verò Nervâ Principe, adoptatoque Trajano, habet ipsius voti fiduciam ac robur.

inertiæ dulcedo: et invisa primò desidia, postremò amatur. Quid si, per quindecim annos,[1] grande mortalis ævi spatium, multi fortuitis casibus, promtissimus quisque sævitiâ Principis interciderunt? Pauci, et, ut ita dixerim, non modò aliorum, sed etiam nostri superstites sumus; exemtis è mediâ vitâ tot annis, quibus juvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactæ ætatis terminos per silentium venimus: non tamen pigebit, vel incondità ac rudi voce, memoriam prioris servitutis, ac testimonium præsentium bonorum composuisse.[2] Hic interim liber honori Agricolæ, soceri mei, destinatus, professione pietatis aut laudatus erit, aut excusatus.

4. CNÆUS Julius Agricola, veteri et illustri Forojuliensium[3] coloniâ ortus, utrumque avum procuratorem Cæsarum[4] habuit: quæ equestris nobilitas est: pater Julius Græcinus[5] senatorii ordinis, studio eloquentiæ sapientiæque

[1] *Per quindecim annos.* Quibus imperavit Domitianus.

[2] *Composuisse.* Tunc enim non modò Historiarum Annaliumque libros, memoriam prioris servitutis, sed et Nervæ Trajanique res, testimonium præsentium bonorum, scribere meditabatur Tacitus.

[3] *Forojuliensium.* Forojuliensium colonia, nunc *Frejus*, in Galliâ Narbonensi, de quâ Plinius, III. 4. *Forum Julii Octavanorum colonia, quæ Pacensis appellatur et Classica.*

[4] *Procuratorem Cæsarum.* Procuratorum alii in provinciis publicas pecunias, alii tum publicas tum familiares Cæsarum pecunias curabant. Publicanorum autem ordine et officiis vulgò detinebantur equites Romani; quos inter habebantur nobiles, qui erant procuratores Cæsarum. Inde equestris illa nobilitas, quam Tacitus memorat. De procuratoribus et publicanis dictum supra Annal. XII. 60. In minoribus quibusdam provinciis, ut in Judæâ, procuratores jurisdictionem obtinebant. Quod omnibus compertum.

[5] *Julius Græcinus. Julius Græcinus*, teste Senecâ, Ep. XXIX. *vir egregius.* Idem de Beneficiis, II. 21. *Si exemplo magni animi opus est, utamur Græcini Julii, viri egregii, quem Caius Cæsar occidit ob hoc unum, quòd melior vir erat, quàm esse quemquam tyranno expediret.* Ejus volumina *de vineis* laudant Columella, I. 1. et Plinius, XIV. 2. XVI. 44. Nummum Buthrotiorum, nunc *Butrinto*, in Epiro, protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples et de Villes*, Vol. I. p. 82. Tab. XII. n. 5. inscriptum: I. GRAECINUS. QVIN. PER. id est, *Julius Græcinus, Quinquennalis perpetuus.* Incertum tamen utrùm ad Julium Græcinum, Agricolæ patrem, pertineat.

notus, iisque virtutibus iram Caii Cæsaris[1] meritus. Namque Marcum Silanum accusare jussus, et, quia abnuerat, interfectus est. Mater Julia Procilla fuit, raræ castitatis: in hujus sinu indulgentiâque[2] educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, præter ipsius bonam integramque naturam, quòd statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam[3] habuerit, locum Græcâ comitate et provinciali parcimoniâ mistum, ac benè compositum. Memoriâ teneo, solitum ipsum narrare, "se in "primâ juventâ studium philosophiæ acriùs, ultra quàm "concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia "matris incensum ac flagrantem animum coercuisset:" scilicet sublime et erectum ingenium, pulchritùdinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementiùs, quàm cautè appetebat: mox mitigavit ratio et ætas: retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientiâ modum.[4]

5. PRIMA castrorum rudimenta in Britanniâ Suetonio Paullino,[5] diligenti ac moderato duci, adprobavit: electus, quem contubernio[6] æstimaret. Nec Agricola licenter, more juvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter, ad voluptates et commeatus,[7] titulum tribunatûs[8]

[1] *Caii Cæsaris.* Caii Caligulæ. Vide Suppl. Annal. VII. 23.

[2] *In hujus sinu indulgentiâque.* De hâc optimâ institutione vide infra Dialog. de Orat. XXVIII.

[3] *Massiliam.* Nunc *Marscilles.* De hâc urbe à Phocæensibus conditâ, unde Græca comitas, jam dictum supra Annal. IV. 43. De ejus origine et laudibus plura vide apud Strabonem, III. p. 124.

[4] *Ex sapientiâ modum.* Summæ et perfectæ sapientiæ est, vel in ipsâ sapientiâ retinere modum. Quanto meliora sunt, quæ appetimus, tanto difficilior modus.

[5] *Suetonio Paullino.* Suetonius Paullinus jam laudatus supra Annal. XIV. 29 et 33.

[6] *Contubernio.* Optimæ spei juvenes à ducibus in contubernium adsumti; sic fermè apud nos *Aids de Camp.* Julius Cæsar *stipendia prima in Asiâ fecit, Marci Thermi prætoris contubernio.* Sueton. in Jul. Cæs. II.

[7] *Et commeatus.* De his commeatibus dictum supra Hist. I. 46.

[8] *Titulum tribunatûs.* Tribunatus militum, qui, ob ambientium

et inscitiam retulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere à peritis, sequi optimos, nihil appetere jactatione, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. Non sanè aliàs exercitatior, magisque in ambiguo Britannia fuit: trucidati veterani, incensæ coloniæ,[1] intersepti exercitus: tum de salute, mox de victoriâ certavere. Quæ cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum, et reciperatæ provinciæ gloria in ducem cessit; artem et usum et stimulos addidere juveni: intravitque animum militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus,[2] quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minùs periculum ex magnâ famâ, quàm ex malâ.

6. Hinc ad capessendos magistratus in Urbem digressus, Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi junxit: idque matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit: vixeruntque mirâ concordiâ, per mutuam caritatem, et invicem se anteponendo, nisi quod in bonâ uxore tanto major laus,[3] quanto in malâ plus culpæ est. Sors quæsturæ[4] provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum[5] dedit; quorum neutro corruptus est: quamquam et provincia dives, ac parata peccantibus, et proconsul, in omnem aviditatem pronus, quantâlibet facilitate redemturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus

multitudinem, nonnumquam semestris erat. Unde Plinius, IV. Ep. 41. *Hunc*, Calvisium, *ergò rogo, semestri tribunatu splendidiorem et sibi et avunculo suo facias.*

[1] *Incensæ coloniæ.* Trucidatos veteranos, incensam coloniam Camulodunum, *Colchester*, vidimus supra Annal. XIV. 31 et seq.

[2] *Temporibus.* Qualia tunc erant Neronis tempora.

[3] *Tanto major laus.* Iis maximè seculis, quibus prodigati sunt mores, et fœminis quævis audere licet, in bonâ uxore tanto major laus, quanto in malâ plus culpæ est.

[4] *Quæsturæ.* Quâ primus ad honores aditus. Vide supra Annal. III. 29. Provinciarum præsidibus quæstores et quæstorum scribæ, sorte lecti, ut difficiliùs, timidiùsque peccarent. Vide Plinium, IV. Ep. 12.

[5] *Salvium Titianum.* Fratrem Othonis Imperatoris, de quo sæpe supra Hist. I et II.

est ibi filiâ, in subsidium simul et solatium: nam filium, antè sublatum,[1] brevi amisit. Mox inter quæsturam, ac tribunatum plebis,[2] atque etiam ipsum tribunatûs annum quiete et otio transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientiâ fuit. Idem prætoræ tenor, et silentium: nec enim jurisdictio obvenerat.[3] Ludos, et inania honoris, modo rationis atque abundantiæ duxit, utì longè à luxuriâ, ita famæ propior. Tum electus à Galbâ ad dona templorum recognoscenda, diligentissimâ conquisitione fecit, ne cujus alterius sacrilegium respublica, quàm Neronis[4] sensisset.

7. SEQUENS annus[5] gravi vulnere animum domumque ejus adflixit: nam classis Othoniana, licenter vaga,[6] dum

[1] *Sublatum.* Antè susceptum sublatumque è terrâ, in quâ nudâ nudi infantes Romani, recens nati, deponebantur. Vide Plinium, VII. in præfat. n. 1. et Suetonium in Aug. v.

[2] *Tribunatum plebis.* Hujusce magistratûs summa auctoritas, potestas sacrosanctæ. Ideo tribunatûs annum quiete et otio transiit, ne Neronem offenderet. De dignitate tribuni plebis multa habet Plinius, I. Ep. 23.

[3] *Jurisdictio obvenerat.* Inter prætores eminebant prætor Urbanus et prætor peregrinus. Ille inter cives, hic inter peregrinos, vel peregrinos inter et cives jus dicebat: De eorum jurisdictione vide Livium, XXIV. 44. Talis jurisdictio non obvenerat Agricolæ. Ex iis tantùm prætoribus fuit, qui quæstionibus publicis præerant. Inde facile ei fuit silentium. Ludos tamen, quos edere solebant prætores, aliaque honoris inania modo rationis atque abundantiæ duxit, quanto à luxuriâ remotior, tanto famæ propior. Septem diebus solemnes ludos celebrabant prætores, tantâ autem luxuriâ, vel ipso vergente imperio, ut immanis pecuniarum vis in hos ludos impenderetur. Vide Photium, Cod. LXXX. ex Olympiodoro. Ceterùm *honoris inania* rectè dixit Tacitus: vim enim magistratûs obtinebant Imperatores, ludos et honoris inania prætoribus permittebant. Unde Boetius, Consol. Philosoph. III. pros. 4. prætoram meritò appellat, *inane nomen et senatorii censûs gravem sarcinam.*

[4] *Quàm Neronis.* Agricola diligentissimâ conquisitione fecit, ut dona, templis ademta, quæ adhuc superessent, templis restituerentur. Ita respublica unius Neronis, qui templa spoliaverat, eamque prædam in voluptatum, libidinum, luxuriæ usus verterat, sacrilegium sensit. Vide supra Annal. XV. 45.

[5] *Sequens annus.* Fuit A. U. C. 822. J. C. 69.

[6] *Licenter vaga.* Ut dictum est supra Hist. II. 12 et 13.

Intemelios [1] (Liguriæ pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolæ in prædiis suis interfecit: prædiaque ipsa, et magnam patrimonii partem, diripuit, quæ causa cædis fuerat. Igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola, nuntio affectati [2] à Vespasiano imperii deprehensus, ac statim in partes transgressus est. Initia principatûs, ac statum Urbis Mucianus regebat, admodùm juvene Domitiano, et ex paternâ fortunâ tantùm licentiam usurpante. [3] Is missum ad delectus agendos Agricolam, integrèque ac strenuè versatum, vicesimæ legioni [4] tardè ad sacramentum [5] transgressæ præposuit, ubi decessor [6] seditiosè agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus [7] nimia ac formidolosa erat. [8] Nec legatus prætorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio: ita successor simul et ultor electus, rarissimâ moderatione maluit videri invenisse bonos, quàm fecisse.

8. PRÆERAT tunc Britanniæ [9] Vettius Bolanus, placi-

[1] *Intemelios.* Nunc *Vintimille.* Vide not. et emend. ad cap. 7.

[2] *Nuntio affectati.* Mense Julio anni supra dicti. Vide Hist. II. 79.

[3] *Licentiam usurpante.* Vide supra Hist. IV. 2.

[4] *Vicesimæ legioni.* Vicesima legio victrix in Britanniâ inter Cornavios commorabatur Devæ, nunc *Chester.* In Itinerario Antonini, p. 469. DEVA LEG. XX. VICTRIX, id est, *legio vicesima victrix.* Ibi adhuc plurima supersunt antiquitatis rudera. Vide eruditum Camden, *Britannia, by Gough*, Edit. 1806. Vol. 3. p. 41.

[5] *Tardè ad sacramentum.* Cum Vitellianis victa, tardè ad sacramentum partesque Vespasiani transgressa est.

[6] *Decessor.* Roscius Cælius, de quo supra Hist. I. 60.

[7] *Legatis quoque consularibus.* Non modò Trebellio Maximo et Vettio Bolano, legatis consularibus, qui universis in Britanniâ legionibus præerant, nimia ac formidolosa fuit: sed nec Roscius Cælius, legatus prætorius hujusce vicesimæ legionis, ad eam cohibendam potens. Itaque Agricola successor simul et ultor electus est.

[8] *Formidolosa erat.* Superbiam sanè ei indiderunt egregia ejus facta. De hâc legione dictum supra in not. et emend. ad Hist. II. 6. In Britanniâ plurima manent ejus monumenta, quæ vide apud eruditos Camden, Gordon, Horsley, aliosque.

[9] *Præerat tunc Britanniæ.* Ut hæc Historiæ pars illustretur, vide not. et emend. ad cap. 8. Ibi series præsidum Britanniæ proponetur.

diùs, quàm feroci provinciâ dignum est: temperavit Agricola vim suam, ardoremque conpescuit, ne incresceret; peritus obsequi, eruditusque utilia honestis miscere. Brevi deinde Britannia consularem [1] Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum.[2] Sed primò Cerialis labores modò et discrimina; mox et gloriam communicabat: sæpe parti exercitûs in experimentum, aliquandò majoribus copiis ex eventu præfecit: nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem et ducem, ut minister, fortunam referebat: ita virtute in obsequendo, verecundiâ in prædicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat.

9. Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios [3] adscivit, ac deinde provinciæ Aquitaniæ [4] præposuit, splendidæ in primis dignitatis, administratione [5] ac spe consulatûs, cui destinârat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis jurisdictio secura et obtusior,[6] ac plura manu agens, calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentiâ, quamvis inter togatos,[7] facilè justèque agebat. Jam verò tempora

[1] *Consularem.* Consularem legatum. Antèà Petilius Cerialis fuerat legatus legionis nonæ, ut vidimus supra Annal. xiv. 32.

[2] *Spatium exemplorum.* Hactenus in brevi tribunatu militum, in tribunatu plebis et prætură, muneribus annuis quiete et otio transigendis, vix fuerat virtutibus locus, certè non fuit spatium exemplorum. At cùm Agricola per quadriennium legatus fuit legionis vicesimæ, habuit spatium depromendi virtutes suas in exemplum præsentis ætatis et pòst futuræ, ut rectè explicat Illustr. Huetius.

[3] *Inter patricios.* Ut supra Annal. xi. 25.

[4] *Provinciæ Aquitaniæ.* A Pyrenæis montibus ad Ligerim usque, *from the Pyrenees to the Loire,* protendebatur Aquitania.

[5] *Administratione.* Agricola, rector Aquitaniæ, splendidæ fuit dignitatis, ob magnæ provinciæ administrationem, ac spem consulatûs, cui à Vespasiano erat destinatus.

[6] *Secura et obtusior.* Quia paucis et perspicuis legibus utitur, fori ambagibus minimè intricata.

[7] *Quamvis inter togatos.* Quamvis Agricola è castris ad togatos, forique astutiarum peritos, venisset, naturali tamen suâ prudentiâ facilè justèque agebat. Alii aliter

curarum remissionumque divisa: ubi conventus[1] ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus, et sæpiùs misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona: tristitiam, et arrogantiam,[2] et avaritiam exuerat: nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem,[3] aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui etiam sæpe boni indulgent, ostentandâ virtute, aut per artem quæsivit: procul ab æmulatione adversùs collegas, procul à contentione adversùs procuratores: et vincere inglorium, et atteri sordidum[4] arbitrabatur. Minùs triennium in eâ legatione detentus, ac statim ad spem consulatûs revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari: nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama, aliquandò et eligit. Consul[5]

explicant. Vide not. et emend. ad cap. 9. Frequens toga etiam in provinciis, ut patet ex cap. 21. et ex Hist. II. 20. Causidici autem et patroni dicuntur togata infra de Oratoribus, cap. 6.

[1] *Ubi conventus.* Conventus juridici, in quibus jus dicebatur. Sic, teste Plinio, III. 1. in Baticâ erant *juridici conventus quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis*, nunc *Cadiz, Cordova, Ecija, and Seville.*

[2] *Tristitiam, et arrogantiam.* Tristitia, arrogantia, avaritia, quandòque vitia præsidibus judicibusque solita. Tristitiam affert morositas: arrogantiam potestas: avaritiam cupiditas, vel ipsa corrumpentium ars. Quæ adversùs vitia sapientissimè cautum legibus Romanis, ut videre est in Digest. Lib. I. Tit. 16. de officio Proconsulis et legati. Agricolam verò ita commendat Tacitus, ut ne ipsa quidem justitiæ species, quam à pictoribus adumbratam laudat Gellius, XIV. 4. sit pulchrior.

[3] *Facilitas auctoritatem.* Id maximè cavebant leges Romanæ, ut patet est digest. Lib. I. Tit. 18. de officio Præsidis, Leg. 19. ex Callistrato. *Observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur: unde mandatis adjicitur, ne præsides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant: nam ex conversatione æquali contemtio dignitatis nascitur—Summatim ita jus reddi debet, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat.*

[4] *Atteri sordidum.* Vincere collegas, vicinarum nempe provinciarum rectores, inglorium, à procuratoribus atteri sordidum arbitrabatur.

[5] *Consul.* A. U. C. 830. J. C. 77. quo consulatum iniere Vespasianus Augustus VIII. et Titus Cæsar VI. Iis suffectos fuisse Kalendis Julii Domitianum Cæsa-

egregiæ tum spei filiam juveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit, et statim Britanniæ præpositus est, adjecto pontificatûs sacerdotio.[1]

10. Britanniæ situm populosque, multis scriptoribus[2] memoratos, non in comparationem curæ ingeniive referam; sed quia tum primùm perdomita est: itaque quæ priores nondum comperta, eloquentiâ percoluere, rerum fide tradentur. Britannia insularum, quas Romana notitia[3] complectitur, maxima, spatio ac cœlo in Orientem Germaniæ, in Occidentem Hispaniæ[4] obtenditur: Gallis in Meridiem etiam inspicitur: Septemtrionalia ejus, nullis cōntra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniæ Livius[5] veterum, Fabius Rusticus[6] recentium, eloquentissimi auctores, oblongæ scutulæ vel bipenni[7] adsimulavere: et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est transgressa: sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo jam littore terrarum, velut in cuneum tenuatur.[8] Hanc oram novissimi maris tunc primùm Romana classis circumvecta, insulam esse Britanniam adfirmavit,[9] ac simul incognitas ad id tempus insulas,

nem VI. et Cn. Julium Agricolam notat Cl. Muratori, *Annali d'Italia*. Vol. I. p. 291.

[1] *Pontificatûs sacerdotio.* Adlectus est in collegium pontificum, cui præerat pontifex maximus.

[2] *Multis scriptoribus.* Julio Cæsari, Livio, Straboni, Fabio Rustico, Pomponio Melæ, Plinio, &c.

[3] *Romana notitia.* Vide *Clarke, on Coins*, p. 192.

[4] *In Occidentem Hispaniæ.* Jul. Cæsar, Bell. Gall. v. 13. *Alterum* Britanniæ latus *vergit ad Hispaniam, atque occidentem Solem: quâ ex parte est Hibernia.*

[5] *Livius.* Hæc tradebat Livius, libro, cv. qui periit. Vide Epitomen.

[6] *Fabius Rusticus.* Jam laudatus supra Annal. XIV. 2.

[7] *Oblongæ scutulæ vel bipenni.* Has figuras utcumque referet Britannia, si citra Caledoniam, *Scotland*, eam inspexeris. At in his figuris haud plus veritatis, quàm in Geographicis tabulis, quæ Belgium sub formâ leonis exhibuere.

[8] *In cuneum tenuatur.* Benè quidem. Pars altera Britanniæ, Scotia, in cuneum tenuatur, australi Britanniæ parte angustior.

[9] *Adfirmavit.* Id multo antè cognitum, ut constat ex antiquioribus scriptoribus: sed cùm tunc primùm Romana classis Britanniam fuisset circumvecta, id adfir-

quas Orcadas[1] vocant, invenit domuitque: dispecta est et Thule,[2] quam hactenus nix et hyems abdebat: sed mare pigrum[3] et grave remigantibus perhibent: ne ventis quidem perinde attolli: credo quòd rariores terræ montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardiùs impellitur. Naturam Oceani atque æstûs neque quærere hujus operis est, ac multi retulere: unum addiderim, nusquam latiùs dominari mare,[4] multum fluminum huc atque illuc ferre, nec littore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et jugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

11. CETERUM, Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenæ[5] an advecti, ut inter barbaros, parùm compertum. Habitus corporum varii: atque ex eo argumenta: namque

matum. De hâc navigatione dicetur fusiùs in not. et emend. ad c. 28.

[1] *Orcadas.* Nunc *the Orkney isles.* Insulæ quidem illæ tunc certò penitusque cognitæ sunt. Antè famâ saltem celebres fuere: unde Mela, III. 6. *Triginta sunt Orcades angustis inter se diductæ spatiis.* Et Plinius, IV. 16. *sunt autem XL. Orcades modicis inter se discretæ spatiis.* Claudii tempore pervulgata hæc fama, et solitâ adulatione statim in victorias cessere. Inde Hieronymus, in Chronico, *Claudius de Britannis triumphavit, et Orcadas insulas Romano adjecit imperio.*

[2] *Thule.* Nunc *the Shetland isles,* ut rectè monuit Camden, *Britannia, by Gough,* Edit. 1806. Vol. IV. p. 533. Tunc tamen Plinio cognita *ultima omnium* insularum, *quæ memorantur, Thule,* Plin. IV. 16. Procopius, Bell. Gothic. II. 15. aliam celebrat Thulen, nunc *Norway,* quam inter veteres plurimi insulam esse credidere; et Norwegicæ Thules memoria fortè extat in Norwegicâ regione, quæ Telemark dicitur. Vide Cl. d'Anville, *Mém. de l'Acad. Roy. des Inscrip.* vol. XXXVII. p. 436. *Memoire sur la Navigation de Pythéas à Thulé.*

[3] *Mare pigrum.* Plinius, IV. 16. *A Thule unius diei navigatione mare concretum, à nonnullis Cronium appellatur.* Vide jam dicta supra in libro de Moribus Germanorum, cap. 45.

[4] *Latiùs dominari mare.* Certè nusquam latiùs, quàm in Oceano dominatur mare: nec quotidiano tot fluminum accessu crescit, aut resorbetur. Sic terris circumfusum atque etiam interfusum, jugis ac montibus, velut in suo, inseritur.

[5] *Indigenæ.* De indigenis dictum supra in libro de Moribus Germanorum, cap. 2. Britannos interiores, quos *natos in insulâ ipsâ memoriâ proditum* tradit Julius Cæsar, Bell. Gall. V. 12. esse origine Germanos meritò adseverat Tacitus.

rutilæ Caledoniam habitantium[1] comæ, magni artus, Germanicam originem[2] adseverant. Silurum[3] colorati vultus, et torti plerumque crines,[4] et posita contra Hispania, Iberos[5] veteres trajecisse, easque sedes occupâsse fidem faciunt: proximi Gallis,[6] et similes sunt: seu durante originis vi; seu, procurrentibus in diversa[7] terris, positio cœli corporibus habitum dedit: in universum tamen æstimanti, Gallos vicinum solum occupâsse, credibile est. Eorum sacra[8] deprehendas, superstitionum persuasione: sermo[9] haud multùm diversus: in deposcendis periculis eadem audacia; et, ubi advenêre, in detrectandis eadem formido: plus tamen ferociæ[10] Britanni præferunt, ut quos nondum longa pax emollierit: nam Gallos quoque in bellis floruisse acce-

[1] *Caledoniam habitantium.* Ibi immensæ sylvæ: unde Plinius, IV. 16. *Triginta prope jam annis notitiam ejus Romanis armis non ultra vicinitatem sylvæ Caledoniæ propagantibus.*

[2] *Germanicam originem.* Germanorum rutilas comas, magna corpora, vidimus supra de Moribus German. cap. 4.

[3] *Silurum.* Silures, nunc *the counties of Glamorgan, Monmouth, Brecknock, Hereford and Radnor.*

[4] *Crines.* Coloratos Silurum vultus, et tortos plerumque crines, ac nigros memorat Jornandes, qui hunc Taciti locum exscripsit. Vide Testimonia Veterum. Quem corporis habitum retinent adhuc Hispanorum plurimi.

[5] *Iberos.* Nomen gentis Hispaniæ, ita dictæ ab Ibero flumine, nunc *Ebro.*

[6] *Proximi Gallis.* Quos laudat Cæsar, Bell. Gall. v. 14. *Ex his omnibus longè sunt humanissimi, qui Cantium,* nunc *Kent, incolunt, quæ regio est maritima omnis, neque multùm à Gallicâ differunt consuetudine.*

[7] *Procurrentibus in diversa.* Seu, cùm pars illa Britanniæ in Galliam, pars Galliæ in Britanniam procurreret, eadem cœli positio eumdem corporibus habitum dedit.

[8] *Eorum sacra.* Ac maximè Druidas, et fanaticas eorum superstitiones. Vide supra Annal. XIV. 30.

[9] *Sermo.* Sermonem illum adhuc retinent apud Anglos, qui Cornubiam, *Cornwall,* habitant, apud Gallos, qui Aremoricam, *Lower Britany,* incolunt. Sed ex Belgio maximè in Britanniam transiere Galli, ut videre est apud Julium Cæsarem, Bell. Gall. v. 12.

[10] *Ferociæ.* In eam ferociam ipsi infantes innutriebantur et adolescebant, teste Solino, cap. 22. Apud bellicosam Britannorum gentem, *puerpera si quandò marem edidit, primos cibos gladio imponit mariti, inque os parvuli summo mucrone auspicium alimentorum leviter infercit, et gentilibus votis optat non aliter, quàm in bello et inter arma mortem oppetat.*

pimus: mox segnitia cum otio intravit, amissâ virtute pariter ac libertate: quod Britannorum olim victis[1] evenit: ceteri manent, quales Galli fuerunt.

12. In pedite robur: quædam nationes et curru præliantur:[2] honestior auriga,[3] clientes propugnant: olim regibus[4] parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur: nec aliud adversùs validissimas gentes pro nobis utilius, quàm quòd in commune non consulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus, ad propulsandum commune periculum conventus: ita, dum singuli pugnant, universi vincuntur. Cœlum crebris imbribus ac nebulis fœdum: asperitas frigorum[5] abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram:[6] nox clara, et extremâ Britanniæ parte brevis,[7] ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. "Quòd si nubes non officiant, aspici per noctem Solis "fulgorem, nec occidere et exsurgere, sed transire" adfirmant: scilicet extrema et plana terrarum,[8] humili umbrâ,

[1] *Olim victis.* A Claudio. Vide Suppl. Annal. IX. 50 et seq.

[2] *Curru præliantur.* Quomodò curru præliarentur, opportuniùs dicetur infra cap. 35.

[3] *Honestior auriga.* Qui honestior est, currum regit, et ejus clientes è curru propugnant.

[4] *Olim regibus.* Sic Cunobelinum, Caractacum, et Prasutagum, reges; reginas quoque Cartismanduam et Boudiceam vidimus supra Annal. XII. XIV. et Hist. III.

[5] *Asperitas frigorum.* Jul. Cæsar, Bell. Gall. v. 12. *Loca sunt temperatiora, quàm in Galliâ, remissioribus frigoribus.* Idque ex naturâ cœli crebris imbribus ac nebulis fœdi.

[6] *Nostri orbis mensuram.* Sic quoque Plinius, II. 75. longissimus dies *in Italiâ horarum quindecim: in Britanniâ septemdecim, ubi æstate lucidæ noctes.*

[7] *Brevis.* Certè Solstitio in extremâ Britanniæ parte, ubi polus elevatur gradibus 58½ nox clara est et brevissima, ita ut vel per noctem aspiciatur Solis fulgor. Unde Solem, non occidere et exsurgere, sed transire adfirmabant.

[8] *Extrema et plana terrarum.* Hæc ex Tacito descripsit Eumenius in Panegyrico Constantini, cap. 6. Vide Testimonia Veterum. Sed errat Tacitus, cùm rationem crepusculi in Britanniâ repetit ex eo, quòd Britannia sit extrema terrarum ac plana; quæ proinde humilem umbram, non verò tenebras erigat: unde nox cadit infra cœlum et sidera, eorumque lux fulgore Solis hebetatur. At nec Britannia est terrarum extrema, nec ex ejus

non erigunt tenebras, infraque cœlum et sidera nox cadit. Solum, præter oleam vitemque, et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fœcundum: tardè mitescunt, citò proveniunt: eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum, cœlique. Fert Britannia aurum, et argentum,[1] et alia metalla, pretium victoriæ: gignit et Oceanus margarita,[2] sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur, nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britanniâ, prout expulsa sint,[3] colligi: ego faciliùs crediderim naturam margaritis deesse, quàm nobis avaritiam.[4]

planicie, sed ex Solis infra horizontem depressione, et vaporum naturâ, crepusculi ratio repetenda est, ut ex Astronomicis principiis constat.

[1] *Aurum, et argentum.* Idem testatur Strabo, Libr. IV. p. 138. Falsum ergò, quod ait Cicero, ad Atticum, IV. Ep. 16. *Illud cognitum est neque argenti scrupulum esse ullum in illâ insulâ.* Fodinas auri et argenti in provinciâ *Cumberland*, argenti in provinciâ *Flint*, auri in Scotiâ memorat eruditus Camden, *Britannia, by Gough*, Edit. 1806. vol. III. p. 242. Quod recentioribus adhuc experimentis compertum. Vide *British Zoology*. De ceteris metallis ferro, stanno, &c. satis compertum.

[2] *Margarita.* Reperiri in provinciis *Caernarvon*, *Cumberland*, et in mari Britannico scribit eruditus Camden, *Britannia, by Gough*, Edit. 1806. vol. III. p. 422. De his margaritis accuratissimè Origenes in Matthæum, p. 210 et 211. Primas tribuit margaritis Indicis, quarum optimæ in mari Rubro nascuntur: secundas Britannicis: tertias iis, quæ in Bosphoro circa Scythiam reperiuntur. *Britannica quidem*, inquit, *margarita, colore quo ejus superficies imbuta est, auri speciem refert: nebulosa autem est, et margaritis Indicis obtusior.* Ὁ δὲ κατὰ Βρεττανίαν, φασὶ, χρυσωτὸς μέν ἐστι, τὴν ἐπὶ χροῖαν, ὁμιχλώδης δέ τις, καὶ ταῖς μαργαρυγαῖς ἀμβλύτερος. De Indicis margaritis vide Plinium, IX. 35. Idem, ibid. de Britannicis unionibus ait: *In Britanniâ parvos atque decolores nasci certum est: quoniam Divus Julius thoracem, quem Veneri Genetrici in templo ejus dicavit, ex Britannicis margaritis factum voluerit intelligi:* subjectâ nempe Inscriptione. Vide et Suetonium in Jul. XLVII.

[3] *Expulsa sint.* Expulsa nempe fluctibus.

[4] *Quàm nobis avaritiam.* Acutè et verè dictum. Quod egregiè illustrat Plinius, XII. 18. *Verùm Arabiæ etiamnum felicius mare est: ex illo namque margaritas mittit. Minimâque computatione millies centena millia sestertiûm, Angl. 833, 333l. 6s. 8d. annis omnibus India et Seres, peninsulaque illa Imperio nostro adimunt. Tanto nobis deliciæ et fœminæ constant.* Ergò non Romanis avaritia defuit, sed margaritis Britannicis natura ob nebulosum cœlum.

13. Ipsi Britanni delectum, ac tributa, et injuncta imperii munera impigrè obeunt, si injuriæ absint: has ægrè tolerant, jam domiti ut pareant, nondum ut serviant. Igitur primus omnium Romanorum divus Julius[1] cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prosperâ pugnâ terruerit incolas, ac littore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia, et in rempublicam versa Principum arma, ac longa oblivio Britanniæ etiam in pace. "Consilium"[2] id divus Augustus vocabat, Tiberius "præceptum." Agitâsse Caium Cæsarem[3] de intrandâ Britanniâ satis constat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentiâ, et ingentes adversùs Germaniam conatus[4] frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis,[5] transvectis legionibus auxiliisque, et adsumto in partem rerum Vespasiano:[6] quod initium venturæ mox fortunæ fuit: domitæ gentes, capti reges, et monstratus fatis Vespasianus.

14. Consularium primus Aulus Plautius[7] præpositus, ac subinde Ostorius Scapula,[8] uterque bello egregius: redac-

[1] *Divus Julius.* Julius Cæsar Britanniam bis ingressus est A. U. C. 699 et 700. Hâc de re plura apud Strabonem, Libr. IV. p. 138. Vide et ipsum Cæsarem, Bell. Gall. IV. 22. V. 8. ac Dionem, XXXIX. p. 114. XL. p. 122.

[2] *Consilium.* Abstinere à Britanniâ, et imperii fines coercere, id consilium vocabat Augustus; de quo consilio dictum supra Annal. I. 11. Tiberius, qui so Augusti observantissimum simulabat, præceptum appellabat. Vide Annal. I. 77. Cur verò id consilii agitaverit Augustus docet Strabo, Libr. II. p. 79. et IV. p. 138. scilicet plus impensarum fore in domandâ et retinendâ Britanniâ, quàm utilitatis in possidendâ existimabat. Itaque eam tantùm amicam et vectigalem habere voluit. Vide Strabonem, loc. cit.

[3] *Caium Cæsarem.* Caligulam. Vide Suppl. Annal. VIII. 35 et seq.

[4] *Adversùs Germaniam conatus.* Vide Suppl. Annal. VIII. 22 et seq.

[5] *Auctor operis.* Vide Suppl. Annal. IX. 50 et seq.

[6] *Vespasiano.* Ibid. cap. 54 et 58.

[7] *Aulus Plautius.* Ibid. cap. 58. De his aliisque Britanniæ præsidibus vide not. et emend. ad Vitam Agricolæ, cap. 8.

[8] *Ostorius Scapula.* De quo supra Annal. XII. 31. Prope urbem *Hereford*, in *Herefordshire*, parochiâque *Dinder*, extat adhuc castrum Romanum appellatum *Oyster-Hill*, ab Ostorio Scapulâ,

taque paulatim in formam provinciæ proxima pars Britanniæ: addita insuper veteranorum colonia:[1] quædam civitates Cogiduno regi donatæ (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit) vetere ac jam pridem receptâ populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges.[2] Mox Didius Gallus[3] parta à prioribus continuit, paucis admodùm castellis in ulteriora promotis, per quæ fama aucti officii quæreretur. Didium Veranius[4] excepit, isque intrà annum extinctus est. Suetonius hinc Paullinus[5] biennio prosperas res habuit, subactis nationibus, firmatisque præsidiis: quorum fiduciâ Monam insulam,[6] ut vires rebellibus ministrantem, adgressus, terga occasioni patefecit.[7]

15. Namque absentiâ legati remoto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre injurias, et interpretando accendere. "Nihil profici patientiâ, nisi ut graviora, "tamquam ex facili tolerantibus, imperentur: singulos "sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi;[8] è quibus "legatus in sanguinem,[9] procurator[10] in bona sæviret: æquè

ut videtur, locatum et nominatum. Vide *Camden's Britannia, by Gough*, Edit. 1806. Vol. III. p. 74.

[1] *Veteranorum colonia.* Supra Annal. XII. 32. *Colonia Camulodunum, valida veteranorum manu,* nunc *Colchester.*

[2] *Et reges.* Vide supra Annal. XIV. 26. XV. 1. et Hist. II. 81.

[3] *Didius Gallus.* Jam laudatus supra Annal. XII. 40.

[4] *Veranius.* Quem consulem vidimus supra Annal. XII. 5. *Strategicum,* librum utiliorem, quàm elegantiorem, illi inscripsit Onosander.

[5] *Suetonius hinc Paullinus.* De quo multa Annal. XIV. 29 et seq.

[6] *Monam insulam.* Nunc *the isle of Anglesey.* Mona quoque à Julio Cæsare, Bell. Gall. v. 13. et à Plinio, IV. 16. Monapia dicitur alia insula, paulo superior, nunc *the isle of Man.*

[7] *Occasioni patefecit.* Suetonius Paullinus, dum Monam insulam aggrediebatur, victam Britanniæ partem, quam à tergo reliquerat, subitis casibus objecit.

[8] *Nunc binos imponi.* Legatum nempe et procuratorem Cæsaris imponi.

[9] *In sanguinem.* Ob gladii potestatem, quâ utebatur legatus. Vide Digest. Libr. I. Tit. 16. de Officio proconsulis et legati. Leg. 6 et 8.

[10] *Procurator.* Qui cùm publicas Cæsarisque res curaret, avaritiâ sæpe in bona sæviebat. Cati Deciani, procuratoris, avaritiâ Bri-

" discordiam[1] præpositorum, æquè concordiam subjectis " exitiosam: alterius manus,[2] centuriones alterius, vim et " contumelias miscere: nihil jam cupiditati, nihil libidini " exceptum: in prælio fortiorem esse, qui spoliet: nunc " ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstra- " hi liberos, injungi delectus, tamquam mori tantùm pro " patriâ nescientibus: quantulum enim transîsse militum,[3] " si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse " jugum;[4] et flumine,[5] non Oceano, defendi: sibi patri- " am, conjuges, parentes, illis avaritiam et luxuriam causas " belli esse: recessuros, ut divus Julius recessisset, modò " virtutes majorum suorum æmularentur; neve prælii " unius aut alterius eventu pavescerent: plus impetûs, " majorem constantiam penes miseros esse. Jam Britanno- " rum etiam Deos misereri, qui Romanum ducem absen- " tem, qui relegatum in aliâ insulâ exercitum detinerent: " jam ipsos, quod difficillimum fuerit,[6] deliberare: porrò " in ejusmodi consiliis periculosius esse deprehendi, quàm " audere."

16. His atque talibus invicem instincti, Boudiceâ,[7] generis regii fœminâ, duce (neque enim sexum in imperiis

tannos in bellum actos fuisse vidimus supra Annal. XIV. 32.

[1] *Æquè discordiam.* Julius Classicianus successor Cato Decidiano missus fuit, non melior, et Suetonio discors. Vide supra Annal. XIV. 38.

[2] *Alterius manus.* Manus, seu servos procuratoris, centuriones ac milites legati, vim ac contumelias miscere. Inter manus procuratoris numerari quoque possunt coloni Cæsaris, adversùs quos ne quid tumultuosum, vel injuriosum fieret cavebant procuratores. Vide Digest. Libr. I. Tit. 19. de Officio procuratoris Cæsaris. Leg. 3. ex Callistrato.

[3] *Transisse militum.* Quàm pauci milites Romani in Britanniam transierint, si sese Britanni numerent.

[4] *Excussisse jugum.* Variâ clade; de quâ dictum sæpe supra Annal. I et XIII.

[5] *Et flumine.* Rheno ac Danubio.

[6] *Quod difficillimum fuerit.* Cùm apud illos anteà neque conventus, neque consensus foret; ut dictum est supra cap. 12.

[7] *Boudiceâ.* Icenorum regina, laudata supra Annal. XIV. 31 et seq.

discernunt) sumsere universi bellum : ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis præsidiis, ipsam coloniam [1] invasere, ut sedem servitutis : nec ullum in barbaris sævitiæ genus omisit ira et victoria. Quòd nisi Paullinus, cognito provinciæ motu, properè subvenisset, amissa Britannia foret : quam unius prælii fortuna veteri patientiæ restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis, et propiùs ex legato timor agitabat. Hic cùm egregius cetera, arroganter in deditos, et, ut suæ quoque injuriæ ultor, duriùs consuleret ; missus Petronius Turpilianus, [2] tamquam exorabilior : et delictis hostium novus, eòque pœnitentiæ mitior, compositis prioribus, nihil ultra ausus, Trebellio Maximo [3] provinciam tradidit. Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis, comitate quâdam curandi provinciam tenuit. Didicere jam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus : et interventus civilium armorum præbuit justam segnitiæ excusationem : sed discordiâ laboratum, cùm adsuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius, fugâ ac latebris vitatâ exercitûs irâ, indecorus atque humilis, precariò mox præfuit : ac velut pacti, [4] exercitus licentiam, dux salutem : hæc seditio sine sanguine stetit. Nec Vettius Bolanus, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam disciplinâ. Eadem inertia [5] erga hostes, similis petu-

[1] *Ipsam coloniam.* Camulodunum ; ut supra cap. 14.

[2] *Petronius Turpilianus.* Vide supra Annal. xiv. 39.

[3] *Trebellio Maximo.* Vide supra Hist. i. 60.

[4] *Velut pacti.* Pacti sunt. De Trebellii fugâ vide supra Hist. ii. 65. Ibidem memoratur Vettius Bolanus, Trebellii Maximi successor.

[5] *Eadem inertia.* Adulationis ergò arguendus videtur Statius, cùm Crispinum, Bolani filium, ita alloquitur, *Sylvarum*, Libro, v. Carm. ii. 53.

Aliis Decii reducesque Camilli
Monstrentur ; tu disce patrem, quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis, fessoque Hyperione Thulen
Intrârit mandata gerens.

Et mox ibid. vers. 142.

Quanta Caledonios attollet gloria campos !
Cùm tibi longævus referet trucis incola terræ,
Hic suetus dare jura parens ; hoc cespite turmas
Affari : nitidas speculas, castellaque longè
Aspiris ? Ille dedit, cinxitque hæc mœnia fossâ :
Belligeris hæc dona Deis, hæc tela dicavit,
Cernis adhuc titulos ; hunc ipse vacantibus armis
Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno.

919721A

lantia castrorum; nisi quòd innocens Bolanus, et nullis delictis invisus, caritatem paraverat loco auctoritatis.

17. Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam reciperavit; magni duces, [1] egregii exercitus, minuta hostium spes: et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, [2] Brigantum civitatem, [3] quæ numerosissima provinciæ totius perhibetur, adgressus: multa prælia, et aliquandò non incruenta: magnamque Brigantum partem aut victoriâ amplexus, aut bello. Et cùm Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, [4] sustinuit quoque molem Julius Frontinus, vir magnus, quantùm licebat, [5] validamque et pugnacem Silurum gentem [6] armis subegit; super virtutem hostium, locorum [7] quoque difficultates eluctatus.

18. Hunc Britanniæ statum, has bellorum vices mediâ jam æstate [8] transgressus Agricola invenit, cùm et milites, velut omissâ expeditione, ad securitatem, et hostes ad occa-

[1] *Magni duces.* Magni fuere duces, egregii exercitus, inminuta hostium spes.

[2] *Petilius Cerialis.* Memoratus sæpe supra Annal. XIV. Hist. III et IV.

[3] *Brigantum civitatem.* Nunc *the counties of York, Lancaster, Westmorland, Cumberland, and Durham.*

[4] *Obruisset.* Magnitudine rerum præclarè gestarum, successoris curam famamque obruerat Cerialis.

[5] *Quantùm licebat.* Julius Frontinus, vir magnus, hanc belli curæque ac famæ molem, quantùm licebat, sustinuit. Magno enim viro succedere semper difficillimum. Nec eadem tantùm virtus, sed major requiritur, ut quis post magnum virum magnus ipse habeatur. Qui Gruterum, Bernegerum, Gronovium et Ernestum secuti, hæc conjungunt, *vir magnus quantùm licebat*, et ad tempora, magnæ virtuti sub malis Principibus infesta, referunt, Frontinum in Britanniam, medio Vespasiani Principatu missum fuisse non attendunt. Durant Frontini scripta; durat viri, non unâ laude celebris, memoria, quam exstructo monimento propagatam noluit, dictitans: IMPENSA MONIMENTI SVPERVACVA EST; MEMORIA NOSTRI DVRABIT, SI VITA MERVIMVS. Plin. IX. Ep. 19.

[6] *Silurum gentem.* De Siluribus jam dictum supra cap. 11.

[7] *Locorum.* Loca illa montibus aspera.

[8] *Mediâ jam æstate.* A. U. C. 831. J. C. 78.

sionem verterentur. Ordovicum civitas[1] haud multo ante adventum ejus, alam,[2] in finibus suis agentem, prope universam obtriverat: eoque initio erecta provincia, et quibus bellum volentibus erat,[3] probare exemplum, aut recentis legati animum opperiri. Tum Agricola, quamquam transacta æstas, sparsi per provinciam numeri,[4] præsumta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potiùs[5] videbatur, ire obviam discrimini statuit: contractisque legionum vexillis[6] et modicâ auxiliorum manu, quia in æquum degredi[7] Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quò ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem: cæsâque prope universâ gente, non ignarus instandum famæ, ac, prout prima cessissent, fore universa; Monam insulam, cujus possessione revocatum Paullinum rebellione totius Britanniæ supra memoravi,[8] redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis consiliis,[9] naves deerant: ratio et constantia ducis transvexit. Depositis omnibus sarcinis, lectis-

[1] *Ordovicum civitas.* Nunc *the counties of Flint, Denbigh, Caernarvon, Merioneth, and Montgomery.*

[2] *Alam.* Equites. Sic in veteri Inscriptione Britannicâ, repertâ *in Richmondshire*, memoratur Valerius Fronto PRAEF. EQ. ALAE. VETTO. Vide *Camden's Britannia, by Gough*, Ed. 1806. Vol. III. p. 340.

[3] *Volentibus erat.* Quippe qui bellum volebant. Sic dictum supra Hist. III. 43. *volentibus fuit.*

[4] *Numeri.* Sparsæ per provinciam cohortes. Ita numeri usurpantur apud Plinium, X. Ep. 38. Suetonium in Vespasian. VI.

[5] *Suspecta potiùs.* Et plerisque potiùs videbatur loca omnia suspecta, et hostibus obnoxia, præsidiis firmari ac custodiri.

[6] *Legionum vexillis.* Vexilla nonæ, secundæ, ac vicesimæ, Britannicarum legionum vidimus supra Hist. III. 22. Hæc vexilla *Anglicè* dicimus *detachments.* In monumentis Britannicis sæpe memorantur istæ vexillationes, ut videre est apud eruditos Camden, Gordon, aliosque. Dictum quoque de vexillariis supra in not. et emend. ad Annal. I. 38.

[7] *In æquum degredi.* Ordovices, qui montuosa habitabant, in æquum, seu in planum, degredi non audebant. Itaque Agricola erexit aciem suam, et Ordovicum juga superavit.

[8] *Supra memoravi.* Cap. 14.

[9] *In dubiis consiliis.* Deerant naves, ut in subitariis dubiisque consiliis contingit; sed ratio et constantia ducis militem transvexit.

simos auxiliarium, quibus nota vada, et patrius nandi usus, quo simul seque, et arma, et equos regunt,[1] ita repentè immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem,[2] qui naves, qui mare expectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petitâ pace, ac deditâ insulâ, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem, aut officiorum ambitum[3] transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola, prosperitate rerum in vanitatem usus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuisse:[4] ne laureatis quidem gesta prosecutus est: sed ipsâ dissimulatione famæ famam auxit, æstimantibus quantâ futuri spe tam magna tacuisset.

19. CETERUM animorum provinciæ prudens, simulque doctus per aliena experimenta, parùm profici armis, si injuriæ sequerentur, causas bellorum statuit exscindere. A se suisque orsus, primam domum suam coercuit; quod plerisque haud minùs arduum est, quàm provinciam regere. Nihil per libertos servosque publicæ rei:[5] non studiis privatis, nec ex commendatione, aut precibus centurionum milites adscire,[6] sed optimum quemque fidelissimum putare:

[1] *Et equos regunt.* Unde videtur lectissimos illos auxiliarium fuisse Batavos; quorum talis peritia laudata est supra Hist. IV. 12.

[2] *Qui classem.* Qui Monam insulam habitabant, opinabantur Romanos classe, navibus, secundo maris æstu usuros; hæcque si deficerent, minimè venturos.

[3] *Officiorum ambitum.* Legatis enim provinciam ingredientibus publicè privatimque occurrebatur, commendabantur civitates, xenia missitabantur. Vide Digest. Lib. I. Tit. 16. *de Officio proconsulis et legati.* Leg. 4. 6 et 7.

[4] *Victos continuisse.* Victos à Suetonio Paullino continuisse, expeditionem aut victoriam non vocabat: ne laureatis quidem literis gesta sua prosecutus est. De laureatis literis vide Suppl. Annal. VIII. 26.

[5] *Publicæ rei.* Nihil publicæ rei agebat per libertos servosque, pessimo hâc in re præsidum Principumque exemplo.

[6] *Milites adscire.* Singulariter dictum, si adscire, pro milites legere aut provehere, usurpetur. Sed cùm nihil publicæ rei per libertos et servos suos ageret Agricola, stratores aliorumve officiorum ministros sibi adscivit milites optimos

omnia scire, non omnia exsequi:[1] parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœnâ semper, sed sæpiùs pœnitentiâ contentus esse: officiis et administrationibus potiùs non peccaturos præponere,[2] quàm damnare, cùm peccâssent. Frumenti et tributorum auctionem[3] æqualitate munerum mollire,[4] circumcisis quæ, in quæstum reperta, ipso tributo graviùs tolerabantur: namque per ludibrium adsidere clausis horreis, et emere ultro frumenta, ac vendere pretio cogebantur: devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates à proximis hibernis

ac fidelissimos. Idque conjicere licet ex Ulpiano, Digest. Lib. 1. Tit. 16. de Officio proconsulis et legati. Leg. 4. *Nemo proconsulum stratores suos habere potest: sed vice eorum milites ministerio in provinciis funguntur.* Talis strator erat Silius Hospes, cujus memoria extat apud Gruterum, p. 389. n. 2.

T. CL. CANDIDO, &c.
SILIVS. HOSPES. HASTATVS.
LEG. X
GEMINAE. STRATOR. EIVS
OPTIMO. PRAESIDI.

[1] *Exsequi.* Omnia scire, non omnia punire. Sic Julius Cæsar, apud Suetonium in Jul. LXVII. *delicta neque observabat omnia, neque pro modo exsequebatur: sed desertorum ac seditiosorum inquisitor, et punitor acerrimus, connivebat in ceteris.*

[2] *Non peccaturos præponere.* *Præponere* à libris editis immeritò fuerat omissum. Vide not. et emend. ad cap. 19.

[3] *Auctionem.* Meliùs fortè *exactionem.* Vide not. et emend. ad cap. 19.

[4] *Mollire.* Frumenti et tributorum exactionem, vel etiam auctionem, æqualitate munerum molliit Agricola, circumcisis quæ, in quæstum reperta, ipso tributo graviùs tolerabantur. Nam, ante Agricolæ præfecturam, procuratores publicanique non statim frumentum stipendiarium exigere, sed Britannorum horrea claudere: Britanni clausis suis horreis adsidere, et cùm frumentis abundarent, ea tamen ultro grandique pretio emere. En ludibrium. Gravior adhuc injuria, cùm, apertis horreis, persolutoque stipendio, in militum ac præsidis usus exigebatur frumentum, quod Britanni certo quodam ac levi pretio, à procuratoribus publicanisque æstimato, vendere cogebantur. Quæ tandem intolerandà erat sævitia, indicebatur civitatibus, ut, non in sibi proxima, sed in remota et avia hiberna, per devortia itinerum longaque regionum intervalla frumentum deferrent. Sic quod omnibus in promtu erat, paucis publicanis lucrosum fiebat. In iis autem injuriarum versutiis, non deerant sanè, qui ferociores Britannorum animos variis ludibriis assiduisque laboribus domandos jactitarent. Victa plebs semper rea, cùm premitur.

in remota et avia deferrent, donec, quod omnibus in promtu erat, paucis lucrosum fieret.

20. Hæc primo statim anno comprimendo, egregiam famam paci circumdedit; quæ vel incuriâ, vel tolerantiâ priorum,[1] haud minùs quàm bellum timebatur. Sed ubi æstas[2] advenit, contracto exercitu, multus in agmine, laudare modestiam,[3] disjectos coercere: loca castris ipse capere,[4] æstuaria[5] ac sylvas ipse prætentare: et nihil interim apud hostes quietum pati, quominùs subitis excursibus popularetur: atque ubi satis terruerat, parcendo rursus inritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multæ civitates, quæ in illum diem ex æquo egerant,[6] datis obsidibus, iram posuere, et præsidiis castellisque circumdatæ, tantâ ratione curâque, ut nulla antè Britanniæ nova pars[7] inlacessita transierit.

21. Sequens hyems saluberrimis consiliis absumta; namque ut homines dispersi ac rudes, eòque bello faciles, quieti et otio per voluptates adsuescerent; hortari privatim, adjuvare publicè, ut templa, fora, domus[8] exstruerent,

[1] *Priorum.* Priorum præsidum.

[2] *Ubi æstas.* A. U. C. 832. J. C. 79.

[3] *Laudare modestiam.* Crediderim olim fuisse scriptum: *multus in agmine, militum laudare modestiam.* Vide not. et emend. ad cap. 20.

[4] *Castris ipse capere.* Multa adhuc manent in Britanniâ illorum castrorum vestigia. Duo præcipua, sita in provinciâ *Annandale*, dictaque *Burnswork* et *Middleby* fusè describit eruditus Gordon, *Itinerarium Septentrionale*, p. 16 et 18.

[5] *Æstuaria.* Æstuaria, ubi Britannorum lintres; sylvas, ubi eorum arma ac receptacula. Illa vero æstuaria nunc dicimus *Dee*, *Ribble*, *Liverpool* et *Solway-Firth*, aliaque multa, quæ occurrunt usque ad Clotam et Bodotriam, de quibus dicetur infra cap. 23.

[6] *Ex æquo egerant.* Nec bella cum Romanis detrectaverant; sequeque iis pares esse fuerant gloriati. Supra Hist. IV. 64. *Ex æquo agetis.*

[7] *Nova pars.* Nulla Britanniæ pars, Julii Claudiique Cæsarum, et Romanorum ducum armis nondum petita, transiit illacessita, præside Agricolâ. Sunt tamen qui emendent, *nota pars.* Vide not. et emend. ad cap. 20.

[8] *Templa, fora, domus.* Memo-

laudando promtos, et castigando segnes: ita honoris æmulatio pro necessitate erat. Jam verò principum filios liberalibus artibus erudire,[1] et ingenia Britannorum studiis Gallorum[2] anteferre, ut qui modò linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent: inde etiam habitûs nostri honor, et frequens toga: paulatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, et balnea, et conviviorum elegantiam: idque apud imperitos "humanitas" vocabatur, cùm pars servitutis esset.

22. TERTIUS expeditionum annus[3] novas gentes[4] aperuit, vastatis usque ad Taum[5] (æstuario nomen est) nationibus: quâ formidine territi hostes, quamquam conflictatum sævis tempestatibus exercitum, lacessere non ausi: ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientiùs legisse: nullum ab Agricolâ positum castellum aut vi hostium

rant in Britanniâ Julii Agricolæ domum, quam vocant *Julius's Hoff*, vel *House;* ibique initialibus literis inscriptum: I. A. M. P. M. P. T. quod explicant *Julius Agricola magnum pietatis monumentum posuit templum.* Vide eruditum Gordon, *Itinerarium Septentrionale*, p. 29. At in his facilis est divinatio, proclivis error, rarissima veritas. Nec scio an ætatem Agricolæ sapiat *templum magnum pietatis monumentum.* Ad Agricolam quoque referunt sacellum, quod adhuc extat in provinciâ *Sterling*, prope Bodotriam ostiumque amnis *Carron.* Sacellum nunc dicitur *Arthur's Oon*, vel *Oven.* Illud Marti signifero, aut ultori, positum fuisse volunt. Vide Cl. Gordon, ibid. Fora *Anglicè* dicimus *courts of justice*: domus, *commodious dwelling-houses.*

[1] *Erudire.* Eâdem certissimâque arte olim usus est Augustus, ut videre est apud Suetonium in Aug. XLVIII.

[2] *Studiis Gallorum.* Duret, vigeat, crescatque apud utramque gentem hæc æmulatio, ingeniorum atque studiorum parens altrixque fœcundissima! Mirum autem est Agricolam in hâc temporum barbarie ingenia Britannorum præsensisse, quæ, tot pòst seculis, immortalibus clarissimorum virorum *Bacon, Milton, Newton*, aliorumque plurimorum operibus inclaruere.

[3] *Tertius expeditionum annus.* A. U. C. 833. J. C. 80.

[4] *Novas gentes.* Gentes quæ erant inter *Solway-Firth* et *Firth of Tay.* Ibi nunc provinciæ *Annandale, Eusdale, Clysdale, Tweedale, Berwick, Lothian, Sterling, Menteth, Perth, Fife.*

[5] *Ad Taum.* Æstuarium illud nunc *Firth of Tay.*

expugnatum, aut pactione[1] ac fugâ desertum. Crebræ eruptiones: nam adversùs moras obsidionis, annuis copiis firmabantur: ita intrepida ibi hyems, et sibi quisque præsidio, inritis hostibus, eòque desperantibus, quia soliti plerumque damna æstatis hibernis eventibus pensare, tum æstate atque hyeme juxtà pellebantur. Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio, seu præfectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur: ut erat bonis comis, ita adversùs malos injucundus: ceterùm ex iracundiâ nihil supererat: secretum et silentium ejus non timeres: honestius putabat offendere, quàm odisse.

23. Quarta æstas[2] obtinendis,[3] quæ percurrerat, insumta: ac si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsâ Britanniâ terminus. Nam Clota et Bodotria,[4] diversi mari æstibus per immensum revectæ, angusto terrarum spatio[5] dirimuntur: quod tum præsidiis firmabatur:[6] atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam[7] hostibus.

24. Quinto expeditionum anno,[8] nave primâ[9] trans-

[1] *Pactione.* Deditione.

[2] *Quarta æstas.* A. U. C. 834. J. C. 81.

[3] *Obtinendis.* Ea obtinuit, firmando præsidiis.

[4] *Clota et Bodotria.* Clota, nunc *the Clyde:* Bodotria, *the Forth.* Inter eorum ostia, et urbes *Dunbarton* et *Edinburgh*, in Scotiâ, tantus est diversi maris, Caledonii nempe et Germanici, æstus, ut hìc inventus fuisset bellorum ac dominationis terminus, si virtus exercituum et Romani nominis gloria fines pateretur.

[5] *Angusto terrarum spatio.* Triginta circiter millibus passuum distant.

[6] *Præsidiis firmabatur.* Præsidia illa tenuere à Clotâ, ubi nunc *Old Kirk Patrick*, ad Bodotriam, ubi nunc fermè *Abercorn*, per triginta septem millia passuum. Sic omnis propior sinus tenebatur.

[7] *In aliam insulam.* Ultra Clotam et Bodotriam eorumque æstuaria, Caledonia, *the Northern part of Scotland*, erat alia fermè insula, in quam Agricola hostes summoverat.

[8] *Quinto expeditionum anno.* A. U. C. 835. J. C. 82.

[9] *Nave primâ.* Nave, omnium primâ, quæ oras illas scrutari ausæ sunt, transgressus. Vide not. et emend. ad cap. 24.

gressus, ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis prœliis domuit: eamque partem Britanniæ, quæ Hiberniam aspicit, copiis instruxit, in spem magis,[1] quàm ob formidinem: siquidem Hibernia, medio inter Britanniam atque Hispaniam sita, et Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem[2] magnis invicem usibus miscuerit. Spatium ejus, si Britanniæ cómparetur, angustius, nostri maris[3] insulas superat. Solum cœlumque, et ingenia cultusque hominum haud multùm à Britanniâ differunt: meliùs aditus portusque[4] per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domesticâ unum ex regulis gentis exceperat, ac specie amicitiæ in occasionem retinebat. Sæpe ex eò audivi, legione unâ et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse. Idque etiam adversùs Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut è conspectu libertas tolleretur.

25. CETERUM æstate, quâ sextum officii annum[5] inchoabat, amplexus civitates[6] trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium, et infesta hostili exercitu itinera timebantur, portus classe exploravit: quæ ab Agricolâ primùm adsumta in partem virium, sequebatur egregiâ specie, cùm simul terrâ, simul mari bellum impelleretur,

[1] *In spem magis.* In spem futuræ utilitatis.

[2] *Valentissimam imperii partem.* Hibernia, medio inter Britanniam atque Hispaniam sita, et Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem, Hispaniam scilicet Galliam et Britanniam, magnis invicem usibus per commercia conjunxit. Hàc ætate, quâ rudis adhuc erat ars nautica, iis commerciis opportunissima erat Hibernia. Hodieque Hiberni plurimi in Hispaniâ ac præcipuè Gadibus, *Cadiz*, negotiantur.

[3] *Nostri maris.* Mediterranei maris insulas.

[4] *Meliùs aditus portusque.* Aditus portusque Hiberniæ per commercia et negotiatores meliùs sunt cogniti. Interiora verò insulæ ferè ignota.

[5] *Sextum officii annum.* A. U. C. 836. J. C. 83.

[6] *Amplexus civitates.* Amplexus Orientales Caledoniorum civitates, ubi nunc provinciæ *Fife*, *Perth*, *Strathern*, *Angus*, *Merns*, *Marr*, earum portus classe exploravit. Vide not. et emend. ad cap. 25.

ac sæpe iisdem castris pedes, equesque, et nauticus miles, mixti copiis et lætitiâ, sua quisque facta, suos casus attollerent: ac modò " sylvarum et montium profunda," modò " tempestatum ac fluctuum adversa," hinc " terra et hos- " tis," hinc " auctus Oceanus "[1] militari jactantiâ comparentur. " Britannos " quoque, ut ex captivis audiebatur, " visa classis obstupefaciebat, tamquam, aperto maris sui " secreto, ultimum victis perfugium clauderetur." Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, majore famâ, uti mos est de ignotis, " oppug- " nâsse ultro,"[2] castella adorti,[3] metum, ut provocantes, addiderant: " regrediendumque citra Bodotriam, et exce- " dendum potiùs, quàm pellerentur," ignavi specie prudentium admonebant: cùm interim cognoscit,[4] " hostes pluri- " bus agminibus inrupturos." Ac ne superante numero, et peritiâ locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

26. Quod ubi cognitum hosti, mutato repentè consilio, universi nonam legionem,[5] ut maximè invalidam, nocte adgressi, inter somnum ac trepidationem cæsis vigilibus, inrupere. Jamque in ipsis castris pugnabant, cùm Agricola, iter hostium ab exploratoribus edoctus, et vestigiis

[1] *Auctus Oceanus.* Gloriabantur se Oceani terminos propagâsse. Sic auctus Oceanus.

[2] *Oppugnâsse ultro.* Majore famâ, uti mos est de ignotis, Britannos oppugnâsse ultro. Nam *cùm castella adorti essent, sparsa est fama ipsos ultro bellum intulisse; atque hinc metus Romanis est aditus,* ut rectè explicat Illustr. Huetius.

[3] *Castella adorti.* Ex his castellis nonnulla adhuc extant in provinciis *Fife, Perth,* et *Strathern.*

[4] *Cognoscit.* Agricola, cùm hæc cognovit, videtur fuisse in Alatis castris, nunc *Edinburgh;* ut jam monuit eruditus Gordon, *Itinerarium Septentrionale,* p. 36.

[5] *Nonam legionem.* De quâ jam dictum supra in not. et emend. ad Hist. II. 6. Ea legio tunc videtur fuisse in provinciâ *Fife,* castroque, quod adhuc extat, et dicitur *Lochore.* Vide eruditum Gordon, loc. cit. Invalida sanè fuit legio, quòd multis prœliis fuerat imminuta. Ideo posteà suppleta, dictaque Gemina.

insecutus, velocissimos equitum peditumque adsultare tergis pugnantium jubet, mox ab universis adjici clamorem: et propinquâ luce fulsere signa: ita ancipiti malo territi Britanni: et Romanis redit animus; ac securi pro salute, de gloriâ certabant: ultro quietiam erupere: et fuit atrox in ipsis portarum angustiis[1] prælium, donec pulsi hostes; utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur: quòd nisi paludes et sylvæ[2] fugientes texissent, debellatum illâ victoriâ foret.

27. CUJUS constantiâ[3] ac famâ ferox exercitus, "nihil "virtuti suæ invium: penetrandam Caledoniam, invenien- "dumque tandem Britanniæ terminum, continuo præli- "orum cursu," fremebant: atque illi modò cauti[4] ac sapientes, promti post eventum ac magniloqui erant: iniquissima hæc bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni non virtute, sed occasione et arte ducis rati,[5] nihil ex arrogantiâ remittere, quominùs juventutem armarent, conjuges ac liberos in loca tuta transferrent, cœtibus ac sacrificiis[6] conspirationem civitatum sancirent: atque ita inritatis utrimque animis discessum.

28. EADEM æstate cohors Usipiorum,[7] per Germanias

[1] *Portarum angustiis.* Portarum castrorum. In castris Romanis quatuor erant portæ, decumana, prætoria, dextra, sinistra.

[2] *Paludes et sylvæ.* Duobus circiter millibus passuum à castro *Lochore* extat adhuc magna palus, dicta *Loch-Leven*, unde ingentes arborum trunci sæpe eruuntur, quod certissimum est sylvarum, quæ ibi fuere, argumentum. Vide eruditum Gordon, loc. cit.

[3] *Cujus constantiâ.* Constantiâ parta tuerat hæc victoria. Quâ constantiâ et victoriæ famâ ferox exercitus.

[4] *Modò cauti.* Qui regrediendum citra Bodotriam, specie prudentium, ignavi admonuerant, ut dictum est cap. sup.

[5] *Arte ducis rati.* Veriùs *arte se victos rati*, aut *arte ducis superati*. Vide not. et emend. ad c. 27.

[6] *Cœtibus ac sacrificiis.* Ut mos est apud barbaros. Vide supra Hist. IV. 14.

[7] *Cohors Usipiorum.* De Usipiis dictum supra de Moribus Germanorum, cap. 32.

conscripta, et in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis,[1] exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas,[2] adactis per vim gubernatoribus, ascendêre: et uno remigrante,[3] suspectis duobus eòque interfectis, nondum vulgato rumore, ut miraculum[4] provehebantur: mox hàc atque illà rapti, et cum plerisque Britannorum, sua defensantium, prælio congressi, ac sæpe victores, aliquandò pulsi, eò ad extremum inopiæ venêre, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur: atque ita circumvecti Britanniam,[5] amissis per inscitiam regendi navibus, pro prædonibus habiti, primùm à Suevis, mox à Frisiis intercepti sunt: ac fuere, quos per commercia venumdatos, et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos, indicium tanti casûs inlustravit. Initio æstatis[6] Agricola, domestico vulnere ictus, anno antè natum filium amisit. Quem casum neque, ut plerique fortium virorum, ambitiosè, neque per lamenta rursus ac mœrorem muliebriter tulit: et in luctu bellum inter remedia erat.

29. IGITUR præmissâ classe, quæ pluribus locis prædata, magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos, et longâ pace exploratos addi-

[1] *Immixti manipulis.* Peditum erant manipuli, ut turmæ equitum. Cohors verò sexaginta manipulis, aut contuberniis, id est, 600 hominibus constabat. Cohorti præerat centurio. Singulis manipulis, seu contuberniis Usipiorum, milites Romani fuere immixti. Manipulos pro contuberniis dici patet ex Vegetio, II. 13. Alii erant manipuli, qui duabus centuriis, seu 200 hominibus constabant, ut docet Cencius apud Gellium, XVI. 4.

[2] *Tres liburnicas.* De liburnicis jam egimus supra Annal. XVI. 14.

[3] *Uno remigrante.* Unus remigravit, scaphâ fortè elapsus. Aliter tamen locum hunc explicat Ill. Huetius. Vide not. et emend. ad cap. 28.

[4] *Ut miraculum.* Ita secundè provehebantur, ut res admiratione prorsus digna esset.

[5] *Circumvecti Britanniam.* Unde sint profecti, quomodò circumvecti Britanniam, eorum denique navigationis cursum erroresque inquirere curiosum; at longius foret. Itaque vide not. et emend. ad c. 28.

[6] *Initio æstatis.* Initio septimæ æstatis; A. U. C. 837. J. C. 84. Vide not. et emend. ad cap. 28.

derat, ad montem Grampium[1] pervenit, quem jam hostes insederant. Nam Britanni, nihil fracti pugnæ prioris eventu, et ultionem aut servitium expectantes, tandemque docti, commune periculum concordiâ propulsandum, legationibus et fœderibus omnium civitatum vires exciverant. Jamque super triginta millia armatorum aspiciebantur, et adhuc adfluebat omnis juventus, et quibus cruda ac viridis senectus,[2] clari bello, ac sua quisque decora[3] gestantes: cùm inter plures duces virtute et genere præstans, nomine Calgacus,[4] apud contractam multitudinem, prælium poscentem, in hunc modum locutus fertur.

30. " QUOTIENS causas belli et necessitatem nostram " intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, con- " sensumque vestrum, initium libertatis totius Britanniæ " fore. Nam et universi servitutis expertes, et nullæ ultra " terræ, ac ne mare quidem securum, imminente nobis " classe Romanâ: ita prælium atque arma,[5] quæ fortibus " honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores

[1] *Ad montem Grampium.* Nunc mount *Grantzbain*, in Scotiâ, provinciâque *Strathern.*

[2] *Viridis senectus.* Sic Virgilius, Æneid. VI. 304.

Non senior: sed cruda Deo viridisque senectus.

[3] *Sua quisque decora.* Bellicæ virtutis insignia ac præmia.

[4] *Calgacus.* In veteri et fabuloso Triadum libro appellatur *Galauc ap Liennauc.* Fortissimi hujus viri oratione nihil præstantius habet tum Græca, tum Romana antiquitas. Omnes dominationis Romanæ artes, vitia omnia, mirâ arte ac brevitate ibi explicat Tacitus.

[5] *Ita prælium atque arma.* In hoc rerum statu prælium et arma, non fortibus tantùm honesta, sed ipsis etiam ignavis necessaria et tutissima sunt. Priores Britannorum pugnæ, quibus adversùs Romanos variâ fortunâ certatum est, spem alteram ac subsidium præsens habebant in nostris civitatibus, ad quas confugere, in nostris manibus, quæ hostem vincere poterant. Nos enim, totius Britanniæ nobilissimi, eòque in ipsis penetralibus, nempe in Caledoniâ siti, nec servientium Gallorum littora aspicientes, oculos quoque à contactu Romanæ dominationis inviolatos habebamus. Nos, terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ (audacter et egregiè dictum, ut terrarum ac famæ finis exprimatur) in hunc diem defendit.

" pugnæ, quibus adversùs Romanos variâ fortunâ certatum
" est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant:
" quia nobilissimi totius Britanniæ, eòque in ipsis pene-
" tralibus siti, nec servientium littora aspicientes, oculos
" quoque à contactu dominationis inviolatos habebamus.
" Nos, terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac
" sinus famæ in hunc diem defendit: nunc terminus[1]
" Britanniæ patet: atque omne ignotum pro magnifico est.
" Sed nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et
" infestiores Romani: quorum superbiam frustra per obse-
" quium et modestiam effugeris: raptores orbis, postquàm
" cuncta vastantibus defuere terræ, et mare[2] scrutantur:
" si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi: quos
" non Oriens, non Occidens, satiaverit: soli omnium,
" opes atque inopiam pari affectu concupiscunt: auferre
" trucidare, rapere falsis nominibus, *imperium;* atque ub
" solitudinem faciunt, *pacem* appellant."[4]

31. " LIBEROS cuique ac propinquos suos natura caris
" simos esse voluit: hi per delectus, alibi servituri,[5] aufe
" runtur: conjuges sororesque etsi hostilem libidinem
" effugiant, nomine *amicorum* atque *hospitum* polluuntur.
" Bona fortunasque in tributum egerunt; in annonam

[1] *Nunc terminus.* Ita libri omnes scripti et editi. At alium verborum ordinem postulat ipse sensus; et legendum: *Nos terrarum ac libertatis extremos, recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit: atque omne ignotum pro magnifico est: sed nunc terminus Britanniæ patet: nulla jam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa: et infestiores Romani;* id est, fluctibus saxisque feriores. Vide not. et emend. ad cap. 30.

[2] *Et mare.* Id est, etiam mare scrutantur. Certè Romani mare scrutabantur, cùm Britanniam a maximè Caledoniam peterent.

[3] *Soli omnium.* Ex omnibus hominibus soli. *Omnium* ad opes n referas.

[4] *Pacem appellant.* Inde i scriptoribus tam sæpe occurrit pa *Romana:* et in nummis PA PAX ORBIS TERRARU

[5] *Alibi servituri.* Id Roman cautum, ne in patriâ turbarent.

[6] *Polluuntur.* Horum flagiti rum exempla vidimus supra An XIV. 31.

" frumentum: corpora ipsa ac manus, sylvis ac paludibus
" emuniendis,[1] inter verbera ac contumelias, conterunt. Nata
" servituti mancipia semel veneunt, atque ultro à dominis
" aluntur: Britannia servitutem suam quotidie emit,[2] quo-
" tidie pascit. Ac sicut in familiâ recentissimus quisque
" servorum et conservis ludibrio est: sic in hoc orbis terra-
" rum vetere famulatu, novi nos et viles in excidium peti-
" mur. Neque enim arva nobis,[3] aut metalla, aut portus
" sunt, quibus exercendis reservemur. Virtus porrò ac fero-
" cia subjectorum ingrata imperantibus: et longinquitas ac
" secretum ipsum, quò tutius, eò suspectius. Ita sublatâ
" spe veniæ, tandem sumite animum, tam quibus salus,
" quàm quibus gloria carissima est. Trinobantes,[4] fœminâ
" duce,[5] exurere coloniam,[6] expugnare castra, ac, nisi
" felicitas in socordiam vertisset, exuere jugum potuere:
" nos integri et indomiti, et libertatem non in præsentiâ
" laturi, primo statim congressu non ostendamus quos sibi
" Caledonia viros seposuerit?" [7]

[1] *Paludibus emuniendis.* Viæ per sylvas ac paludes, ob commeatuum facilitatem, emuniendæ. Vide infra cap. 33. Tales viæ Romanæ extant adhuc plurimæ in Scotiâ, quas accuratissimè descripsit eruditus Gordon, *Itinerarium Septentrionale*, in tabulâ Geographicâ.

[2] *Quotidie emit.* Quotidie emit, tributa solvendo; quotidie pascit, in annonam frumentum suppeditando. Postea cùm Romani, versâ fortunâ, barbaris tributa, quæ dona vocabantur, penderent, pariter querebantur, uti videre est apud Salvianum, *de Gubernatione Dei.* Lib. VI. *Dicimus donum esse, quod pretium est, et quidem pretium conditionis durissimæ ac miserrimæ. Omnes quippe captivi cùm semel redemti fuerint, libertate potiuntur: nos semper redimimur, et numquam liberi sumus.*

[3] *Arva nobis.* Pars magna Scotiæ montibus horrida.

[4] *Trinobantes,* De quibus dictum supra Annal. XIV. 31.

[5] *Fœminâ duce.* Boudiceâ. Vide Annal. XIV. 31.

[6] *Coloniam.* Camulodunum, nunc *Colchester.* Vide ibid.

[7] *Et libertatem non in præsentiâ laturi—non ostendamus—seposuerit.* Ita quidem recentiores editiones: aliter autem veteres libri scripti et editi. Fortè scripserat Tacitus: *Et in libertatem, non in prædam certaturi, primo statim congressu vividè ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Vide not. et emend. ad cap. 31.

32. " An eamdem Romanis in bello virtutem, quàm in " pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus " ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitûs sui " vertunt: quem contractum ex diversissimis gentibus, ut " secundæ res tenent, ita adversæ dissolvent: nisi si Gallos, " et Germanos, et (pudet dictu [1]) Britannorum plerosque, " licèt dominationi alienæ sanguinem commodent,[2] diutiùs " tamen hostes quàm servos, fide et affectu teneri putatis: " metus et terror est, infirma vincula caritatis: quæ ubi " removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia " victoriæ incitamenta pro nobis sunt: nullæ Romanos " conjuges [3] accendunt: nulli parentes fugam [4] exprobraturi " sunt: aut nulla plerisque patria,[5] aut alia est: paucos " numero,[6] circùm trepidos [7] ignorantiâ, cœlum ipsum, ac " mare, et sylvas, ignota omnia circumspectantes, clausos " quodammodò ac vinctos Dii nobis tradiderunt. Ne ter- " reat vanus aspectus, et auri fulgor atque argenti, quod " neque tegit, neque vulnerat.[8] In ipsâ hostium acie inve-

[1] *Pudet dictu.* Singulariter dictum pro *pudet dicere.* Plautus tamen Bacch. Act. III. Sc. I. dixit:

Neque mei, neque tui intus puditum est factis, quæ facis.

Et Valer. Maximus, IX. 13. n. 2. *Nec relationc familiaria, quia dictu fastidienda sunt.*

[2] *Sanguinem commodent.* Romanorum dominationi vitam sanguinemque commodabant auxiliares Galli, Germani, et Britannorum plerique: diutiùs tamen hostes, quàm servi; ac proinde modico affectu, fide incertâ.

[3] *Nullæ Romanos conjuges.* Cœlibes vulgò erant milites Romani. Vide not. et emend. ad Annal. XIV. 27. Prætereà in castris Romanis nullus fœminis locus.

[4] *Nulli parentes fugam.* Contra verò, ut apud Germanos, sic apud Britannos, matres, conjuges hortamina pugnantibus gestabant, et inclinatas labentesque acies nonnumquam restituebant. Vide supra de Mor. German. cap. 7 et 8.

[5] *Nulla plerisque patria.* Aut nulla plerisque patria est, aut alia, quàm Britannia. Nulla plerisque patria erat, quòd, ut rectè explicat Illustr. Huetius, obscuri, vulgò concepti ex scortis militaribus, in expeditionibus, in viis nati.

[6] *Paucos numero.* Frustra vulgò emendatur *paucos numeros.* Rectè et eleganter dictum, *paucos numero.*

[7] *Circùm trepidos.* Crediderim *circùm* redundare; et petitum esse ex sequenti lineâ *circumspectantes.* Vide not. et emend. ad cap. 32.

[8] *Neque tegit, neque vulnerat.*

" niemus nostras manus: agnoscent Britanni suam causam:
" recordabuntur Galli priorem libertatem: deserent illos
" ceteri Germani, tamquam nuper Usipii reliquerunt.[1]
" Nec quidquam ultra formidinis: vacua castella, senum
" coloniæ,[2] inter malè parentes et injustè imperantes, ægra
" municipia et discordantia: hìc dux, hìc exercitus: ibi
" tributa et metalla,[3] et ceteræ servientium pœnæ, quas in
" æternum proferre, aut statim ulcisci, in hoc campo est.
" Proinde ituri in aciem, et majores vestros, et posteros
" cogitate."

33. EXCEPERE orationem alacres, et barbari moris cantu, et fremitu, clamoribusque dissonis. Jamque agmina, et armorum fulgores, audentissimi cujusque procursu:[4] simul instruebantur acies: cùm Agricola, quamquam lætum et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit: " Octavus annus est, commilitones, ex
" quo virtute et auspiciis imperii Romani, fide atque operâ
" vestrâ Britanniam vicistis: tot expeditionibus, tot prœliis,
" seu fortitudine adversùs hostes, seu patientiâ ac labore
" pænè adversùs ipsam rerum naturam opus fuit, neque me
" militum, neque vos ducis pœnituit. Ergò egressi, ego
" veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos,[5]
" finem Britanniæ, non famâ, nec rumore, sed castris et
" armis tenemus. Inventa Britannia, et subacta. Equidem

Benè et barbaro dignum. Ornatiùs, sed non meliùs, Livius, x. 39. *Non cristas vulnera facere, et per picta atque aurata scuta transire Romanum pilum, et candore tunicarum fulgentem aciem, ubi res ferro geratur, cruentari.*

[1] *Usipii reliquerunt.* Ut dictum est supra cap. 28.

[2] *Senum coloniæ.* Veteranis, quos irridens *senes* appellat, maximè constabant coloniæ.

[3] *Et metalla.* Quibus fodiendis victæ à Romanis gentes insudabant.

[4] *Procursu.* Fulgebant arma, cùm audentissimus quisque in pugnam procurreret.

[5] *Priorum exercituum terminos.* Veteres legati et priores exercitus in Britanniâ bellaverant. At Agricola ejusque exercitus, hos terminos egressi, Caledoniam tenebant.

" sæpe in agmine, cùm vos paludes, montesve, et flumina " fatigarent, fortissimi cujusque voces audiebam, quandò " dabitur hostis, quandò acies? Veniunt è latebris suis " extrusi: et vota virtusque in aperto, omniaque prona " victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut supe- " râsse tantum itineris, sylvas evasisse, transîsse æstuaria, " pulchrum ac decorum in frontem;[1] ita fugientibus peri- " culosissima, quæ hodie prosperrima sunt.[2] Neque enim " nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem " abundantia: sed manus, et arma,[3] et in his omnia. Quod " ad me attinet, jam pridem mihi decretum est, neque " exercitûs, neque ducis terga tuta esse. Proindę et " honesta mors turpi vitâ potior; et incolumitas ac decus, " eodem loco sita sunt: nec inglorium fuerit, in ipso " terrarum ac naturæ fine cecidisse."

34. " Si novæ gentes atque ignota acies constitisset: " aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra " decora recensete, vestros oculos interrogate. Ii sunt, " quos proximo anno, unam legionem[4] furto noctis " adgressos, clamore debellâstis: ii ceterorum Britanno- " rum fugacissimi: ideoque tamdiu superstites. Quomodò " sylvas saltusque penetrantibus, fortissimum quodque " animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono[5] " pelluntur; sic acerrimi Britannorum jam pridem ceci-

[1] *In frontem.* In speciem. Sic Seneca, Consol. ad Helviam, cap. 5. *Itaque ego in illis, quæ omnes optant, existimavi semper, nihil veri boni inesse: quin inania et specioso ac decepturo fuco circumlita inveni, intrà nihil habentia fronti suæ simile.*

[2] *Hodie prosperrima sunt.* Sylvas enim evasisse, transîsse æstuaria, tantum itineris superâsse hodie prosperrimum est: sed si fugiebant Romani, periculosissimum erat.

[3] *Sed manus, et arma.* Sic fermè Livius, v. 42. *Arma tantùm ferrumque in dextris, velut solas reliquias spei suæ, intuentes.*

[4] *Unam legionem.* Nonam legionem; ut vidimus supra cap. 26.

[5] *Agminis sono.* Hæc de hominum, equorum, canum agmine intellige.

" derunt: reliquus est numerus ignavorum et metuentium: " quos quòd tandem invenistis, non restiterunt,[1] sed depre- " hensi sunt novissimi: res et extremo metu[2] corpora " defixere in his vestigiis, in quibus pulchram et specta- " bilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, " imponite quinquaginta annis[3] magnum diem, adprobate " reipublicæ numquam exercitui imputari potuisse, aut " moras belli, aut causas rebellandi."[4]

35. Et adloquente adhuc Agricolâ militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit,[5] ut peditum auxilia, quæ octo millia erant, mediam aciem firmarent: equitum tria millia, cornibus adfunderentur: legiones pro vallo stetere, ingens victoriæ decus

[1] *Non restiterunt.* Ut Romanos oppugnarent.

[2] *Res et extremo metu.* Vide not. et emend. ad cap. 34.

[3] *Quinquaginta annis.* Aulus Plautius, mox Claudius ipse, Imperator, Britannicam expeditionem suscepere A. U. C. 796. ac proinde ad hunc A. U. C. 838. numerantur tantùm anni 42. Hic ergò *quinquaginta annis* idem est, ac *fermè quinquaginta annis.*

[4] *Aut causas rebellandi.* Probate moras belli ex locorum difficultate, causas rebellandi ex incolarum indole fuisse profectas.

[5] *Ita disposuit.* Hic videtur fuisse utriusque exercitûs ordo. Per acclive montis Grampii jugum insurgebat maxima Britannorum pars: primum eorum agmen infra montem: eorum covinarii et equites media campi complebant. Exercitûs autem Romani media acies constabat peditum auxiliis, numero octo millibus: equitum tria millia cornibus affusa: post auxilia Agricola stabat pedes ante vexilla: retro legiones Romanæ, ante vallum dispositæ: in legionum vallique lateribus, equitum quatuor alæ ad subita belli retentæ. Exercitûs sui ordines diduxit Agricola, ne frons foret angustior. Locus autem pugnæ fuit in provinciâ *Strathern,* prope locum, qui nunc dicitur *Kirk of Comerie.* Ibi extant adhuc duo castra Romana, quæ exhibet eruditus Gordon, *Itinerarium Septentrionale,* Tabulâ v. Neque est quòd objiciant castra illa minora esse, quàm ut exercitui Romano sufficere potuerint. Alia retro et vicina erant castra, quæ ante pugnam obtinebat Romanus exercitus. Extant quoque, et ea exhibet Cl. Gordon in suâ tabulâ Geographicâ. Insigne autem victoriæ monumentum fuit ipsa urbs Victoria, nunc *Abernethy.* Non in ipso prælii campo, sed quod commodius et tutius, condita est ad Taum æstuarium, nunc *Firth of Tay,* in eâdem provinciâ *Strathern.*

citra Romanum sanguinem[1] bellanti, et auxilium, si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat, ita ut primum agmen æquo, ceteri per acclive jugum connexi velut insurgerent: media campi covinarius[2] et eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola, superante hostium multitudine, veritus, ne simul in frontem, simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, et "arcessendas" plerique "legiones" admonebant, promtior in spem, et firmus adversis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit.

36. Ac primo congressu eminùs certabatur: simul constantiâ, simul arte Britanni, ingentibus gladiis, et brevibus cetris,[3] missilia nostrorum vitare, vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere: donec Agricola tres Batavorum cohortes, ac Tungrorum[4] duas cohortatus

[1] *Citra Romanum sanguinem.* Maxima enim Romanorum ducum laus et cura erat hostium audaciam externo sanguine ulcisci. Vide supra Annal. XIV. 23.

[2] *Covinarius.* Covinarius, auriga erat currûs, cujus axis in modum falcis erat recurvus. Inde Mela, III. 6. Britanni *dimicant non equitatu modò, aut pedite, verùm et bigis et curribus; Gallicè armati, covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Quomodò autem è covinis, aut essedis, pugnarent, docet Julius Cæsar, Bell. Gall. IV. 33. *Genus hoc est ex essedis pugnæ: primò per omnes partes perequitant, et tela conjiciunt, atque ipso terrore equorum et strepitu rotarum, ordines plerumque perturbant: et cùm se inter equitum turmas insinuavere, ex essedis desiliunt, et pedibus præliantur. Aurigæ interim paulum è prælio excedunt, ut, si illi à multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in præliis præstant; ac tantum usu quotidiano, et exercitatione efficiunt, ut in declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, et brevi moderari, ac flectere, et per temonem percurrere, et in jugo insistere, et inde se in currus citissimè recipere consueverint.*

[3] *Brevibus cetris.* Cetræ, scuta erant, sed minora ac lorea. Vetus Scholiastes ad Juvenalis Satyr. XI. 140. *Oryx animal minus, quàm bubalus, quem Mauri Uncem vocant: cujus pellis ad citonas,* corrige *cetras, proficit, scuta Maurorum minora.*

[4] *Tungrorum.* Plurima manent in Britanniâ harum cohortium mo-

est, ut rem ad mucrones ac manus[1] adducerent: quod et ipsis vetustate militiæ exercitatum, et hostibus inhabile parva scuta et enormes gladios gerentibus: nam Britannorum gladii sine mucrone[2] complexum armorum, et in arcto[3] pugnam non tolerabant. Igitur, ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora fœdare, et tractis,[4] qui in æquo obstiterant, erigere in colles aciem cœpere; ceteræ cohortes, æmulatione et impetu commistæ, proximos quosque cædere: ac plerique semineces, aut integri, festinatione victoriæ relinquebantur. Interim equitum turmæ fugêre,[5] covinarii peditum se prælio miscuere: et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agmi-

numenta, in quibus COH. TVNGRO. vel COH. I. TVNGROR. MIL. Vide eruditum Gordon, loc. cit. Tabulâ XXXV et seq.

[1] *Ad mucrones ac manus.* Sic olim Germanicus Romanos cum Germanis prælaturos monuerat, ut *densarent ictus, et ora mucronibus quærerent*, Annal. II. 14.

[2] *Sine mucrone.* Cæsim nempe pugnabant Britanni; punctim verò Romani, quâ pugnandi ratione citior certiorque mors venit. Hâc de re plura habet Vegetius, I. 12. *Complexum* autem *armorum* dicimus *scuffle*: cùm cominùs et collato gradu hostis petitur.

[3] *In arcto.* Vulgò, sed malè, *in aperto.* Vide not. et emend. ad cap. 36.

[4] *Et tractis.* Meliùs, *et fractis*, ut volebat Muretus: vel potiùs, *et prostratis*, ut conjicere licet ex Mss. Vatic. Vidè not. et emend. ad cap. 36. Victum prostratumque est primum agmen Britannorum, quod in æquo constiterat, ut modò dictum est cap. sup.

[5] *Equitum turmæ fugêre.* Hìc nihil esse vitii, sed plurimum Cornelianæ brevitatis observat Illustr. Huetius. Scilicet, utrimque pugnam cœpere pedites: fracto Britannorum primo agmine, quod in æquo constiterat, auxilia Romanorum aciem in colles erexere. Interim Romanorum equitum turmæ, cum Britannorum covinariis congressæ, eos sustinere non voluerunt, ideoque fugêre. Tunc covinarii, et eos secuti equites Britanni, superbi quòd, fugato Romanorum equitatu, terrorem intulissent, peditum se prælio miscuere. At Romani, qui primùm, diductis ordinibus, incesserant, ne circumvenirentur, tunc, densatis agminibus, pugnabant, ut acriùs resisterent. Itaque neque covinarii, neque equites Britanni eos penetrare potuere: præterea inæqualibus locis hærebant. Unde minimè equestris ea pugnæ facies fuit, cùm covinarii et equites Britanni, ægrè clivo stantes, simul cum equorum corporibus impellerentur; ac sæpe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos, aut obvios incursabant.

nibus,[1] et inæqualibus locis hærebant: minimèque equestris ea pugnæ facies erat, cùm ægrè diu stantes, simul equorum corporibus impellerentur, ac sæpe vagi currus, exterriti, sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos, aut obvios[2] incursabant.

37. Et Britanni, qui adhuc pugnæ expertes summa collium insederant, et paucitatem nostrorum vacui[3] spernebant, degredi paulatim, et circumire terga vincentium cœperant: ni idipsum veritus Agricola quatuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferociùs accurrerant, tanto acriùs pulsos in fugam disjecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum: transvectæque præcepto ducis à fronte pugnantium alæ,[4] aversam hostium aciem invasere. Tum verò patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vulnerare, capere, atque eosdem, oblatis aliis, trucidare. Jam hostium, prout cuique ingenium erat, catervæ armatorum[5] paucioribus terga præstare, quidam inermes ultro ruere, ac se morti offerre. Passim arma, et corpora, et laceri artus, et cruenta humus: et aliquandò etiam victis ira virtusque: postquàm sylvis appropinquârunt, collecti, primos sequentium, incautos et locorum ignaros, circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola, validas et expeditas cohortes indaginis modo, et sicubi arctiora erant, partem equitum, dimissis equis, simul rariores sylvas equitem persultare jussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterùm, ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus vidêre, in fugam versi, non agminibus, ut priùs, nec alius alium respectan-

[1] *Hostium agminibus.* Certè emendandum *cohortium agminibus.* Vide not. et emend. ad cap. 36.

[2] *Aut obvios.* Transversos, aut obvios equites covinariosque Britannos.

[3] *Vacui.* Quia pugnæ expertes.

[4] *Pugnantium alæ.* A fronte ad terga transvectæ equitum Romanorum alæ aversam Britannorum aciem invasere.

[5] *Catervæ armatorum.* Jam hostium, id est, armatorum Britannorum catervæ paucioribus Romanis terga præstare.

tes, rari, et vitabundi invicem, longinqua atque avia petiere: finis sequendi nox et satietas fuit: cæsa hostium ad decem millia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere: in queis Aulus Atticus, præfectus cohortis,[1] juvenili ardore et ferociâ equi hostibus illatus.

38. Et nox quidem gaudio prædâque læta victoribus: Britanni palantes, mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos, ac per iram ultro incendere: eligere latebras, et statim relinquere: miscere invicem consilia aliqua, dein separare: aliquandò frangi aspectu pignorum suorum, sæpiùs concitari:[2] satisque constabat sævisse quosdam[3] in conjuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victoriæ latiùs aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius: quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugæ vestigia, neque usquam conglobari hostes compertum, et exactâ jam æstate spargi bellum nequibat, in fines Horestorum[4] exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, præfecto classis "circum-"vehi Britanniam"[5] præcepit: datæ ad id vires, et præcesserat terror: ipse peditem atque equites lento itinere, quò

[1] *Præfectus cohortis.* Sic apud eruditum Gordon, loc. cit. Tabulâ xxxv. num. 2. memoratur Q. Florius Maternus, præfectus Cohortis primæ Tungrorum.

DEO
MARTI QVIN
FLORIVS MA-
TERNVS PRAEF
COH. I. TVNG
V. S. L. M.

[2] *Sæpiùs concitari.* Verè observatum à Tacito Hist. II. 44. homines *extremâ desperatione ad iram sæpiùs, quàm in formidinem* stimulantur.

[3] *Sævisse quosdam.* Talem ferociam notavimus supra, de Moribus Germanorum, cap. 37. not. sup.

[4] *Horestorum.* Horesti, nunc *Angus*, Scotiæ provincia, inter provincias *Strathern* et *Merns*, Orientem versùs.

[5] *Circumvehi Britanniam.* De hâc classe Britanniam circumvectâ dictum est satis in not. et emend. ad cap. 28. Profecta est autem classis ab æstuario Tao, nunc *Firth of Tay*, aut è paulo superiore portu, qui nunc dicitur *Montrose*.

novarum gentium animi ipsâ transitûs morâ terrerentur, in hibernis locavit. Et simul classis secundâ tempestate ac famâ Trutulensem portum[1] tenuit, unde proximo latere Britanniæ lecto omnis redierat.[2]

39. Hunc rerum cursum, quamquam nullâ verborum jactantiâ epistolis Agricolæ auctum, ut Domitiano moris erat, fronte lætus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum[3] è Germaniâ triumphum, emtis per commercia, quorum habitus et crines[4] in captivorum speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hostium cæsis, ingenti famâ celebrari. Id sibi maximè formidolosum, privati hominis nomen supra Principis attolli: frustra studia fori, et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet:[5] et cetera utcumque faciliùs dissimulari, ducis boni Imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus,

[1] *Trutulensem portum.* Portus ille passim appellatur *Rutupensis*, aut *Rutupinus*, nunc *Sandwich*; et apud Ptolemæum, II. 3. Ῥουτούπιον. Ad hunc portum B. Augustinus, Britanniæ Apostolus, appulit. Vide Bedam, *Hist. Ecclesiastic.* I. 25. Fueritne quandòque à Romanis dictus Trutulensis, quòd magnâ truttarum, *Anglicè trout*, copiâ abundet, ut ab erudito Britanno audivi, dubito: maximè, cùm truttarum nomen neque apud Plinium, neque apud alios hujus ævi scriptores occurrat; et Rutupinum nomen jam innotuerat, ut patet ex Juvenalis Satyr. IV. 141.

Rutupinove edita fundo
Ostrea.

[2] *Omnis redierat.* Vide not. et emend. ad cap. 38. Classis à Tao æstuario, *Firth of Tay*, maximam Britanniæ partem circumvecta, Trutulensem portum, *Sandwich*, tenuit; inde, proximo hoc Britanniæ latere lecto, omnis, ne unâ quidem amissâ navi, Taum æstuarium, aut Bodotriam, *Firth of Forth*, rediit, ut tum exercitu, tum classe novarum gentium animi terrerentur.

[3] *Nuper falsum.* Hoc A. U. C. 837. Domitianus, in Germaniam profectus, ne viso quidem hoste, Romam reverterat, et triumphaverat. Vide Dionem, LXVII. p. 760. Nos quoque in Append. Chronol. ad hunc annum.

[4] *Habitus et crines.* Sic in Suppl. Annal. VIII. 38. vidimus Caium Caligulam proceris corporibus, et rutilatis crinibus Germanicam victoriam mentitum.

[5] *Alius occuparet.* Domitianus, alienæ laudis osor, studia fori, civiles artes, ipsamque philosophiam

quodque sævæ cogitationis indicium erat, secreto suo[1] satiatus, optimum in præsentiâ statuit, reponere odium,[2] donec impetus famæ et favor exercitûs languesceret: nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat.

40. IGITUR "triumphalia ornamenta,[3] et illustris statuæ[4] "honorem, et quidquid pro triumpho datur," multo verborum honore cumulata, decerni in senatu jubet, addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolæ destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis, et majoribus reservatam.[5] Credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam, codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse, cum præcepto, ut, si in Britanniâ foret, traderentur: eumque libertum in ipso freto Oceani[6] obvium Agricolæ, ne appellato quidem eo, ad Domitianum remeâsse: sive verum istud, sive ex ingenio Principis fictum ac compositum est.[7] Tradiderat interim Agricola successori suo[8] provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate et frequentiâ occurrentium introitus esset, vitato

in silentium egerat, viris, hâc laude claris, neglectis, aut ex Urbe pulsis. Quæ tamen omnia frustra recidebant, si Agricola militarem gloriam nunc occuparet. Cetera faciliùs dissimulari; boni autem ducis decus, virtutem esse propriam Principis, qui Imperatoris nomine exercitibus præsset.

[1] *Secreto suo.* Inde Plinius in Panegyric. XLVIII. Domitianum exhibet, *tenebras semper secretumque captantem, nec unquam ex solitudine suâ prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret.*

[2] *Reponere odium.* Differre odium.

[3] *Triumphalia ornamenta.* Non ipsum triumphum, qui ab A. U. C. 740. privatis hominibus tribui desiit, ut solis Principibus Cæsaribusve reservaretur. Novum illud adulationis genus invenit Agrippa, ut Augusto gratificaretur. Hæc pluribus explicat Dio, LIV. p. 538. Ornamenta autem triumphalia fuere vestis triumphalis, aliaque triumphantium insignia.

[4] *Illustris statuæ.* Triumphalis ac laureatæ statuæ in foro. Vide supra Annal. IV. 23. XV. 72. Hist. I. 79.

[5] *Majoribus reservatam.* Illustrioribus consularibus reservatam.

[6] *Freto Oceani.* Fretum illud nunc dicimus *the straits of Dover.*

[7] *Compositum est.* Sive istud verum est, sive aptè ac convenienter ad Principis ingenium à populo confictum et compositum.

[8] *Successori suo.* Successor Agricolæ videtur fuisse Sallustius Lucullus, de quo Sueton. in Domit.

amicorum officio, noctu in Urbem, noctu in palatium, ita ut præceptum erat, venit: exceptusque brevi osculo, et nullo sermone, turbæ servientium immixtus est. Ceterùm ut militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus: adeò ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem[1] æstimare mos est, viso aspectoque Agricolâ, quærerent famam, pauci interpretarentur.[2]

41. CREBRO per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est: causa periculi non crimen ullum, aut querela læsi cujusquam, sed infensus virtutibus Princeps, et gloria viri, ac pessimum inimicorum genus, laudantes.[3] Et ea insecuta sunt reipublicæ tempora, quæ sileri Agri-

x. Domitianus interemit *Sallustium Lucullum, Britanniæ legatum, quòd lanceas novæ formæ appellari Luculleas passus esset.*

[1] *Per ambitionem.* Ex vitæ splendore et numeroso comitatu.

[2] *Pauci interpretarentur.* Tantam in tantâ modestiâ famam quærebant. Pauci modestiæ causas interpretabantur.

[3] *Laudantes.* De hoc pessimo inimicorum genere Julianus, Imperator, Epist. 12. ad Basilium. Σύνεσμεν γὰρ ἀλλήλοις ὑ μετὰ τῆς αὐλικῆς ὑποκρίσιως μόνης· ἧς, οἶμαι, σὺ μέχρι τοῦ δεῦρο πεπειρᾶσθαι· καθ' ἣν ἐπαινοῦντες, μισοῦσι τηλικοῦτον μῖσος, ἡλίκον οὐδὲ τοὺς πολεμιωτάτους. *Ita adhuc vivimus, ut aulicæ simulationis nihil ferè retineamus; quam quidem tu fortasse adhuc expertus fuisti, quâ qui laudant majore odio prosequuntur, quàm inimicissimos.* Auticam hanc simulationem expertus fuerat Julianus. Unde Mamertinus, in *Gratiarum actione Juliano*, cap. 5 et 6. *Cùm sancti Principis mores atque instituta falsa opinionum, vituperationum licentium submoverent, callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant, in omnibus conventiculis quasi per benevolentiam illa jactantes, Julianus Alamanniam domuit, Julianus urbes Galliæ ex favillis et cineribus excitavit. Illæ provinciæ obsessæ, expugnatæ, ferro ignique vastatæ beatiores sunt his oppidis, quæ habet sine hoste Constantius. Æstates omnes in castris, hyemes in tribunalibus degit. Ita illi anni spatia divisa sunt, ut aut barbaros domitet, aut civibus jura restituat, perpetuum professus aut contra hostem, aut contra vitia certamen. Hæ voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. Si enim comminisci aliqua flagitia tentâssent, facilè ipso splendore laudis et gloriæ refutarentur.* Eadem Agricolæ virtus, idem periculum.

colam non sinerent: tot exercitus in Mœsiâ Daciâque, et Germaniâ Pannoniâque, temeritate aut per ignaviam ducum amissi:[1] tot militares viri cum tot cohortibus expugnati[2] et capti:, nec jam de limite imperii et ripâ,[3] sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. Ita cùm damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, constantiam, et expertum bellis animum, cum inertiâ et formidine eorum. Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore, pronum deterioribus Principem exstimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum, in ipsam gloriam præceps agebatur.[4]

42. ADERAT jam annus, quo proconsulatum Asiæ et Africæ sortiretur,[5] et occiso Civicâ[6] nuper, nec Agricolæ consilium deerat, nec Domitiano exemplum.[7] Accessere quidam cogitationum Principis periti, qui, "iturus ne esset "in provinciam," ultro Agricolam interrogarent: ac primò occultiùs "quietem et otium" laudare, mox "operam "suam in adprobandâ excusatione" offerre: postremò non jam obscuri, suadentes simul terrentesque, pertraxere ad Domitianum: qui paratus simulatione, in arrogantiam

[1] *Amissi.* De his plura Suetonius in Domitiano, VI. Nos quoque in Append. Chronol. ad A. U. C. 841 et seq.

[2] *Expugnati.* Ita quoque verbo *expugnare* usus est Lucretius, IV. 1007.

Reges expugnant, capiuntur, prælia miscent.

[3] *Et ripâ.* Ripa Danubii et Rheni, qui erant imperii limites.

[4] *Præceps agebatur.* Præceps ac periturus.

[5] *Sortiretur.* Duo consulares antiquissimi Asiam et Africam sorte ducebant; utram scilicet earum regerent.

[6] *Occiso Civicâ.* De quo Suetonius in Domit. X. *Civicam Cerealem in ipso Asiæ proconsulatu* interemit, quasi molitorem novarum rerum.

[7] *Domitiano exemplum.* Occiso Civicâ, nec Agricolæ deerat consilium, ut invidiam Principis timeret, nec Domitiano exemplum, ut virtutem innocentis opprimeret.

compositus, et audiit preces excusantis, et cùm adnuisset, agi sibi gratias [1] passus est: nec erubuit beneficii invidiâ: salarium [2] tamen, proconsulari solitum offerri, et, quibusdam à seipso concessum, Agricolæ non dedit: sive offensus, non petitum, sive ex conscientiâ, ne quod vetuerat, videretur emisse.[3] Proprium humani ingenii est, odisse quem læseris: [4] Domitiani vero natura præceps in iram, et quò obscurior, eò irrevocabilior, moderatione tamen prudentiâque Agricolæ leniebatur: quia non contumaciâ, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque [5] provocabat. Sciant, quibus moris est [6] illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse: obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eò laudis excedere, quò plerique per abrupta, sed in nullum reipublicæ usum, ambitiosâ morte inclaruerunt.

43. FINIS vitæ ejus nobis luctuosus, amicis tristis extraneis etiam ignotisque [7] non sine curâ fuit. Vulgus quoque,

[1] *Agi sibi gratias.* Caio Caligulæ *agebant gratias et quorum liberi occisi, et quorum bona ablata erant,* Senec. de Tranquillit. animi, XIV. Et apud Senecam, de Irâ, II. 33. *Notissima vox est ejus, qui in cultu regum consenuerat: cùm illum quidam interrogaret, Quomodò rarissimam rem in aulâ consecutus esset, senectutem? Injurias, inquit, accipiendo et gratias agendo.*

[2] *Salarium.* Salarium illud fuisse decies sestertiûm, *Angl.* 8333*l.* 6*s.* 8*d.* videtur ex Dione LXXVIII. p. 899. Hanc enim summam τὰς πίντε καὶ ἴλκοσι μυριάδας, Aufidio Frontoni, cùm ei Asiæ Africæque proconsulatus negaretur, à Macrino, Imperatore, oblatam memorat.

[3] *Videretur emisse.* Noluit Domitianus videri emisse salario, quod vetuerat: nam à Principe vetitum, ne Agricola provinciam adiret.

[4] *Odisse quem læseris.* Id maximè viget in potentiorum injuriis. Unde Seneca, de Irâ, II. 33. *Hoc habent pessimum animi magnâ fortunâ insolentes, quos læserunt, et oderunt.*

[5] *Famam fatumque.* Id peccavere multi, qui sub Nerone et Domitiano famam mortemque provocavere.

[6] *Quibus moris est.* Quibus moris est illicita, contumaciam nempe et inanem libertatis jactationem, mirari.

[7] *Extraneis etiam ignotisque.* Manet adhuc Græcum Antiphili epigramma, quod cum Latinâ interpretatione Grotii vide in not. et emend. ad cap. 43.

et hic aliud agens populus,[1] et ventitavere ad domum, et per fora, et circulos locuti sunt: nec quisquam, auditâ morte Agricolæ, aut lætatus est, aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor, "veneno inter-"ceptum."[2] Nobis nihil comperti adfirmare ausim:[3] ceterùm per omnem valetudinem ejus, crebriùs, quàm ex more principatûs per nuntios visentis, et libertorum primi, et medicorum intimi venêre: sive cura illud, sive inquisitio erat. Supremo quidem die, momenta deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente, sic accelerari, quæ tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vultuque præ se tulit, securus jam odii, et qui faciliùs dissimularet gaudium quàm metum. Satis constabat, lecto testamento Agricolæ, quo coheredem optimæ uxori et piissimæ filiæ Domitianum scripsit, lætatum eum, velut honore judicioque: tam cæca et corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret à bono patre non scribi heredem, nisi malum Principem.

44. NATUS erat Agricola, Caio Cæsare, tertiùm consule, Idibus Juniis: excessit sexto et quinquagesimo anno,[3] decimo Calendas Septembres, Collegâ Priscoque consulibus.

[1] *Aliud agens populus.* Hic populus, rebus suis intentus, quique aliud agit, quàm virorum illustrium mortes curare.

[2] *Adfirmare ausim.* Affirmat Dio, LXVI. p. 755. Tacito non diligentior, sed præceps magis, et deterioribus pronus.

[3] *Sexto et quinquagesimo anno.* Proclivi librariorum errore scriptum videtur LVI. pro LIV. et emendandum *quarto et quinquagesimo.* Natus est enim Agricola Idibus Juniis, seu die 13. Junii, Caio Caligulâ, tertiùm consule, et solo, A. U. C. 793. J. C. 40. Excessit decimo Kalendas Septembres, id est, die 23. Augusti, Pompeio Collegâ et Cornelio Prisco, consulibus, A. U. C. 846. J. C. 93. Caium autem, tertiùm consulem, fuisse solum ac sine collegâ testantur Fasti Vindobonenses, C. CÆSARE III SOLO. Cur solus tertium consulatum inierit, vide in Suppl. Annal. VIII. 29. Fieri autem potest, ut Agricola mortem obierit sexto et quinquagesimo anno. Tunc Agricola non erit natus, Caio Cæsare, tertiùm consule: sed biennio antè, cùm Caius, mortuo Tiberio, factus est consul primùm.

Quòd si habitum quoque ejus posteri noscere velint, decentior quàm sublimior fuit; nihil metûs in vultu: gratia ori supererat: bonum virum facilè crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integræ ætati ereptus, quantùm ad gloriam, longissimum ævum peregit. Quippe et vera bona, quæ in virtutibus sita sunt, impleverat; et consularibus ac triumphalibus ornamentis prædito quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat; speciosæ contigerant:[1] filiâ atque uxore superstitibus, potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente famâ, salvis adfinitatibus et amicitiis, futura effugisse. Nam sicuti durare in hâc beatissimi seculi luce,[2] ac Principem Trajanum videre, quod augurio votisque[3] apud nostras aures ominabatur: ita festinatæ mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo, et velut uno ictu, rempublicam exhausit.[4]

[1] *Speciosæ contigerant.* Honestæ ac satis amplæ. Errat ergò Dio, LXVI. p. 754. qui Agricolam in ignominiâ et paupertate reliquum vitæ tempus, Principe Domitiano, transegisse scripsit. Ὁ δὲ Ἀγρικόλας ὢν τι ἀτιμίᾳ τὸ λοιπὸν τοῦ βίου καὶ ἐν ἀθυμίᾳ—ἔζησε.

[2] *Durare in hâc—luce.* Meliùs *in hanc lucem.* Sensus autem est: nam sicut in iis iniquissimis Domitiani temporibus grande solatium ferebat durare in hanc beatissimi seculi lucem, ac Principem Trajanum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur; ita quoque festinatæ mortis grande solatium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus, non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo, et velut uno ictu, rempublicam exhausit.

[3] *Augurio votisque.* Augurio votisque dignum se præstabat Trajanus, qui patrem habebat patricium, consularem, ac triumphalem, et ipse militari laude clarescebat, *innutritus bellicis laudibus.* Vide Plinium in Panegyric. cap. 9 et 16. Jam autem supra dictum de Vespasiano, Hist. I. 50. *Erant, qui Vespasianum et arma Orientis* augurarentur.

[4] *Rempublicam exhausit.* Hanc Domitiani sævitiam notat indignabundus Juvenalis Satyr. IV. 150.

Atque utinam his potiùs nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ: claras quibus abstulit Urbi
Illustresque animas impunè, et vindice nullo.
Sed perlit, postquàm sceratis esse timendus
Cœperat: hos nocuit Lamiarum cæde merenti.

45. Non vidit Agricola obsessam curiam,[1] et clausum armis senatum, et eâdem strage tot consularium[2] cædes, tot nobilissimarum fœminarum exilia et fugas. Unâ adhuc victoriâ Carus Metius[3] censebatur, et intrà Albanam arcem[4] sententia Messalini[5] strepebat, et Massa Bebius[6] jam tum reus erat. Mox nostræ duxere Helvidium[7] in carcerem

[1] *Obsessam curiam.* Hæc contigere A.U.C. 848. Vide Append. Chronol.

[2] *Tot consularium.* De his consularibus viris nobilissimisque fœminis vide Append. Chronol. in quâ Domitiani res prosequemur.

[3] *Carus Metius.* Carus et Massa, nequissimi delatores, hominem nequiorem se, Heliodorum formidavere. Unde Juvenalis Satyr. I. 35.

Quem Massa timet, quem munere palpat Carus.

Quem ad locum notat vetus Scholiastes Juvenalis: *Massa morio fuisse dicitur, et Carus mimus—Hi Neronis fuerunt liberti et deliciæ Augustis: sed nequissimi delatores. —Massa autem et Carus, Heliodoro deferente, occisi sunt: cujus futuram delationem ita metuebant, ut ei munera darent.* De Caro Metio nonnulla habet Plinius, I. Ep. 5. et VII. Ep. 27. Vide et Martialem, XII. 25. Unâ adhuc censebatur victoriâ, multis posteà innotuit.

[4] *Albanam arcem.* Albani, nunc *Albano*, ad duodecimum ab Urbe lapidem, viâ Appiâ, arx erat, seu egregia Domitiani villa. Manent adhuc amplissima ejus rudera, quæ summitatem montis, ubi Alba erat, pertingunt; egregiaque extant vestigia in Principum Barberinorum hortis. Vide eruditum Corradinum, *Vetus Latium*, vol. II. p. 190. De hâc arce Juvenalis, Satyr. IV. 145.

Quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, et festinare coactos.

[5] *Sententia Messalini.* Nondum in Urbe, sed tantùm intrà Albanam arcem strepebant sanguinariæ Messalini sententiæ. Catullus Messalinus cæcus erat, eòque ad omnem Domitiani libidinem projectior, ad scelèra audacior: de quo Plinius, IV. Ep. 22. *Incidit sermo de Catullo Messalino, qui luminibus orbatus, ingenio sævo mala cæcitatis addiderat. Non verebatur, non erubescebat, non miserebatur. Sæpiùs à Domitiano non secus ac tela, quæ et ipsa cæca et improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur.* Adversùs mortiferum hunc hominem intonat Juvenalis, Satyr. IV. 113.

Et cum mortifero prudens Vejento Catullo,
Qui numquam visæ flagrabat amore puellæ,
Grande, et conspicuum nostro quoque tempore monstrum,
Cæcus adulator, dirusque à ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.

[6] *Massa Bebius.* Pessimus quoque délator, de quo jam dictum supra. Tunc sceleribus suis infamis, ipse reus erat, accusantibus Bæticis; quâ de re vide, inter Testimonia Veterum, Plinium, VII. Ep. 33.

[7] *Helvidium.* Helvidii Prisci, laudati supra Hist. IV. 5. filium, amicum Plinii Junioris, qui inultum eum non passus est. Vide Plinium, IX. Ep. 13. Porrò senator erat Tacitus, et cùm Publicius

manus: nos Maurici, Rusticique visus,[1] nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos, jussitque scelera, non spectavit: præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et aspici: cùm suspiria nostra subscriberentur:[2] cùm denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus[3] et rubor, quo se contra pudorem muniebat. Tu verò felix Agricola, non vitæ tantùm claritate, sed etiam opportunitate mortis: ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti, tamquam pro virili portione innocentiam Principi donares.[4] Sed mihi filiæque, præter acerbitatem parentis erepti, auget mœstitiam, quòd adsidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu, complexu, non contigit: excepissemus certè mandata vocesque, quas penitus animo

Certus Helvidio manus intulisset, eumque in carcerem duxisset, id sibi senatoribusque omnibus crimini ducit: quod etiam queritur Plinius, loc. cit. *Inter multa scelera multorum, nullum atrocius videbatur, quàm quòd in senatu senator senatori, prætorius consulari, reo judex manus intulisset.*

[1] *Rusticique visus.* Supplebat Illustr. Huetius. *Nos Maurici et Rustici visus miseratione, nos Senecio innocenti sanguine perfudit.* Benè quidem. At meliùs, ut puto, è Ms. emendaretur, *nos Mauricum Rusticumque divisimus.* Fratres enim duos, sanguine, virtute, causâ conjunctissimos, diviserant, cùm Mauricum exilio, Rusticum morte multâssent. Vide not. et emend. ad cap. 45. Arulenus autem Rusticus, quòd Pæti Thraseæ vitam scripsisset, eumque virum appellâsset sanctissimum: Herennius Senecio, quòd Helvidium Priscum laudâsset: Helvidius, filius, quòd quasi *scenico exodio, sub persona Paridis et Oenones, divortium Domitiani, cum uxore tractâsset,* morte damnati sunt. In exilium pulsus est Junius Mauricus, Rustici frater. Vide Suetonium in Domit. x. Tacitum supra Vit. Agric. cap. 2, Plinium, III Ep. 11. Dionem, Libr. LXVII. p 765.

[2] *Subscriberentur.* Et in crimen vocarentur.

[3] *Sævus ille vultus.* Unde Plinius in Panegyric. XLVIII. *Ipse* Domitianus *occursu quoque visuque terribilis, superbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.* Verè Seneca Ep. XI. *Quidam numquam magis, quàm cùm erubuerint, timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentissimus, cùm faciem ejus sanguis invaserat.*

[4] *Innocentiam Principi donares.* Tamquam pro virili portione Domitianum absolveres, teque constantiâ et alacritate tuâ non interceptum veneno probares.

figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus: nobis tam longæ absentiæ conditione ante quadriennium [1] amissus es. Omnia sine dubio, optime parentum, adsidente amantissimâ uxore, superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrymis [2] compositus es, et novissimâ in luce desiderâvere aliquid oculi tui.

46. Si quis piorum manibus locus; si, ut sapientibus placet,[3] non cum corpore extinguuntur magnæ animæ; placidè quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio, et muliebribus lamentis, ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri, neque plangi fas est: admiratione te potiùs, temporalibus laudibus,[4] et, *si natura suppeditet, similitudine decoremus.*[5] Is verus honos, ea

[1] *Ante quadriennium.* Quartum jam annum Româ aberant Tacitus ejusque uxor. Ob hujus absentiæ casum iis ante quadriennium periisse Agricolam scribit.

[2] *Paucioribus tamen lacrymis.* Egregiè dictum, ut cetera Agricolæ suprema maximo sensu narrata.

[3] *Ut sapientibus placet.* Epicurei animas cum corpore extingui docuere. Socratici et Platonici eas immortales esse pronuntiârunt. Inter utrosque mediam viam ingressi Stoici, magnas quidem animas felices futuras, et æterna sortituras scripsere: quæ tamen, *cùm Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis*, et ipsæ, parva ruinæ ingentis accessio, *in antiqua elementa* vertendæ sunt. Vide Senecam, *Consol. ad Marciam*, cap. ult. Meliùs veriùsque Macrobius, in Somnium Scipionis, I. 14. *Obtinuit non minùs de incorporalitate animæ, quàm de immortalitate sententia*; eamque nationum omnium consensu adstruit Tullius Libr. I. Tusculan. Quæstionum.

[4] *Temporalibus laudibus.* In hâc Agricolæ vitâ, nihil ad poeticam pompam compositum, omnia ad lugentium modestiam exacta. Inde non immortales, sed temporales tantùm et perituras laudes promittit Tacitus. Nec aliter egregius virtutis laudator et auctor Fredericus III. cùm Henricum, Prussiæ Principem, laudaret, scripsit: *O Prince, qui saviez combien vous m'étiez cher, combien votre personne m'étoit précieuse; si la voix des vivants peut se faire entendre des morts, prêtez attention à une voix qui ne vous fut pas inconnue: souffrez que ce fragile monument, le seul, helas! que je puis ériger à votre mémoire, vous soit élevé. Eloge du Prince Henri, par S. M. le Roi de Prusse.* Observaverim in hujus laudationis conclusione egregiam inesse Taciti imitationem, aut potiùs eumdem naturæ sensum atque impetum.

[5] *Similitudine decoremus.* Ita optimè emendavit eruditus Grotius. Perperam in libris editis, *mili-*

conjunctissimi cujusque pietas. Id filiæ quoque uxorique præceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque ejus secum revolvant, famamque[1] ac figuram animi magis, quàm corporis, complectantur: non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore, aut ære finguntur: sed ut vultus hominum, ita simulacra vultûs imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis æterna; quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Quidquid ex Agricolâ amavimus, quidquid mirati sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, famâ rerum. Nam multos veterum, velut inglorios, et ignobiles, oblivio obruet; Agricola, posteritati narratus et traditus, superstes erit.[2]

tum decoramus. Vide not. et emend. ad cap. 46.

[1] *Famamque.* Mallet Muretus *formam.* Quod quoque nobis plurimùm placet. Quis enim ferat *famam animi—complectantur?* maximè cùm mox sequatur, *forma mentis æterna:* et infra in Dialog. de Oratoribus, cap. 1. *dum formam sui quisque et animi et ingenii redderet. Famam* tamen retinere interpretes plurimi.

[2] *Superstes erit.* Non modò superstes erit Agricola; sed ejus vita absolutissimum laudationis exemplar semper habebitur. Id unum, ad amplificandam et apud nos æternandam Agricolæ famam, optaverim, ut vita hæc, quam illustrissimus Nivernensium Dux Gallico sermone reddidit, publici juris fiat: miro tum virtutum et literarum certamine quis eorum sit maximus, isne qui ita vixerit, an qui ita scripserit, an qui ita fuerit interpretatus.

DIALOGUS

DE ORATORIBUS.

BREVIARIUM

DIALOGI DE ORATORIBUS.

1. Præfatio, scribendique dialogi occasio. 2. Personæ, Curiatius Maternus, M. Aper, Julius Secundus. 3. Maternum poetam à poeticis studiis avocare studet Secundus. 4. Excusat se Maternus. 5. Instat Aper; et contendit utilitate, voluptate, dignitate, famâ oratoriam artem arti poeticæ anteponendam. 8. Quod Marcelli Eprii et Crispi Vibii exemplis et opibus confirmat. 9. Contra poeticæ inanem et infructuosam laudem esse. 10. Hortatur ergò Maternum ut ab auditoriis et theatris ad forum causasque se convertat. 11. Maternus poetas defendit. 12. Iis pura, innocentia, divina sunt studia: magna fama. 13. Speciosæ opes: felix contubernium. Inquieta verò et anxia oratorum vita. 14. Hæc tractantibus, intervenit Vipstanius Messala. Is,

antiquorum admirator, recentium contemtor, Aprum à novorum rhetorum more ad antiquorum oratorum formam trahere nititur. 15. Inde de antiquis et recentibus disputatio. 16. In antiquorum venerationem conspirant Messala, Secundus, et Maternus. Aper antiquos insectatur, et seculi sui partes tuetur. 17. Incertum enim esse et obscurum antiquorum nomen. 18. Plures quoque eloquentiæ species. Malignitate humanâ, vetera in laude, præsentia in fastidio esse. 19. Cassium Severum, quem antiquitatis terminum constituunt, non insciti\u00e2, sed judicio et intellectu ad novum dicendi genus se transtulisse. 20. Multa veteris eloquentiæ vitia. Recentem esse lætiorem et pulchriorem. 21. De Calvo, Cœlio, C. Cæsare, Bruto, eorum Ciceronisque carminibus, de Asinio et Corvino judicia. 22. Ciceronis laudes et vitia. 23. Summam eloquentiæ artem esse, antiquorum egregia quæque imitari, et à recentibus feliciter reperta miscere. 24. Maternus Messalam hortatur non ad laudationem antiquorum, quos fama sua satis laudat, sed ut causas, cur in tantum ab eorum eloquentiâ præsens ætas recesserit, aperiat. 25. Messala quædam tamen de antiquorum nomine, et judicia de Calvo, Asinio, Cæsare, Cœlio, Bruto, Cicerone, retractat. 26. C. Gracchum, L. Crassum laudat. Mæcenatem verò, Gallionem et Cassium Severum repre-

hendit. 27. Messalam longiùs vagantem ad propositum retrahit Maternus. 28. Causas ergò cur eloquentia ceteræque artes à vetere gloriâ desciverint adfert Messala, desidiam juventutis, negligentiam parentum, inscientiam præcipientium, et oblivionem moris antiqui. 33. Hæc cùm evolveret Messala, eum restitantem impellit Maternus ut prosequatur, et quomodò veteres ingenia alerent, doceat. 34. Messala veteris juvenum institutionis artes explicat. 35. Recentioris vitia retegit. *At in hâc parte mutilus est Messalæ sermo. Periit integra Julii Secundi oratio. In Materno desunt quoque initia. Quæ desiderantur supplere juvat, ut faciliùs sit hujusce dialogi sensum adsequi, ejusque utilitates percipere.* 1. Retectis pravæ institutionis vitiis, Messala juvenum inscitiam, cùm ad veros judices ventum est, explodit, eosque, sine ullâ publici privatique juris experientiâ, exili tantùm elegantiâ turgidâve granditate ridiculos scenicisque præceptorum suorum artibus instructos prodire ostendit. 2. Histrionicâ hâc institutione perditam esse eloquentiam concludit. 3. Maternum et Secundum hortatur ut altiores alias, si quæ sint, causas aperiant. 4. Julius Secundus non tam novas corruptæ eloquentiæ causas expromit, quàm à Messalâ allatas explicat, earumque originem demonstrat. 5. Mutatâ nempe republicâ, mutata sunt ingenia; et sub Principibus non

eloquentia, sed ingenii fama, curæ fuit. In Annæo Senecâ cœpit illa ingenii prurigo. 6. Ejus exemplo et fortunâ fuit incitata. 7. Neque pristis Vespasiani virtutibus repressa. Immo in dies audacior forum inrupit. 8. Suasque in laudes subsellia conduxit, duce Largio Licinio. 9. Fessam tantis propudiis eloquentiam cessâsse ait Julius Secundus; Maternumque iis deterritum Musas esse sectatum. 10. Fatetur Maternus se irrepentibus in forum vitiis fuisse commotum; trahente tamen naturâ, ad Musarum castra transfugisse. 11. Mox ut motam quæstionem dirimat, eloquentiæ disertique generis dicendi vices atque ingenia expendit: Rhetoribus indulget. Quintilianum laudat. 12. Nec miratur eloquentiam desiisse, quæ Ciceroni superstes esse non valuit. 13. Neque Principum arbitriis erat accommodata. Nusquam enim eloquentiam esse, nisi ubi sit libertas. 14. Inde tantam eloquentiæ vim fuisse in Demosthene. *Cetera habet Tacitus.* 36. Ipsâ temporum perturbatione et licentiâ, cùm vigeret respublica, eloquentiam olim valuisse. 37. Iis temporibus neminem magnam potentiam sine eloquentiâ fuisse consecutum. 38. Cn. Pompeium eloquentiæ nocuisse, cùm eam adstrinxit, frænosque ei imposuit. 39. Immo ipsis oratorum pœnulis fractam eam fuisse et dejectam, quòd pompâ plausuque indigeat. 40. Probitate quo-

que et modestiâ eam elanguisse, cùm naturâ sit contumax, temeraria et arrogans. 41. Pro varietate ergò temporum variam fuisse eloquentiam; suasque esse quibusvis temporibus laudes et utilitates. 42. Dialogi conclusio.

Habitus est hic dialogus

A. U. C. J. C.

DCCCXXVIII. 75. Coss. { Flavio Vespasiano Aug. IV, Tito Vespasiano Cæsare IV.

C. CORNELII

TACITI

DIALOGUS DE ORATORIBUS.[1]

1. Sæpe ex me requiris, Juste Fabi,[2] cur, cùm priora secula tot eminentium oratorum ingeniis gloriâque efflorue-rint, nostra potissimùm ætas deserta, et laude[3] eloquentiæ orbata, vix nomen ipsum oratoris retineat: neque enim ita appellamus nisi antiquos: horum autem temporum diserti, causidici, et advocati, et patroni, et quidvis potiùs, quàm oratores vocantur. Cui percunctationi tuæ respondere, et tam magnæ quæstionis pondus excipere, ut aut de ingeniis nostris malè existimandum sit, si idem adsequi non possu-mus, aut de judiciis, si nolumus, vix herculè auderem, si mea sententia proferenda, ac non disertissimorum, ut nos-tris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos

[1] *De oratoribus.* De scriptore et titulo hujus dialogi vide not. et emend.

[2] *Juste Fabi.* L. Justus Fabius consul fuit suffectus A. U. C. 854. J. C. 111. Duas epistolas ad illum scripsit Plinius, I. Ep. 11. et VII. Ep. 2.

[3] *Deserta, et laude.* Emendan-dum videtur, *diserta, at laude.* Vide not. et emend. ad cap. 1.

eamdem hanc quæstionem pertractantes, juvenis admodùm audivi. Ita non ingenio, sed memoriâ ac recordatione opus est, ut quæ à præstantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cùm singuli diversas, vel easdem,[1] sed probabiles causas adferrent, dum formam sui quisque et animi, et ingenii redderet, iisdem nunc numeris, iisdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis: neque enim defuit, qui diversam quoque partem susciperet, ac multùm vexatâ et irrisâ vetustate, nostrorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret.

2. NAM postero die, quàm *Curiatius Maternus*[2] Catonem[3] recitaverat, cùm offendisse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragœdiæ argumento sui oblitus, tantùm Catonem cogitâsset, eâque de re per Urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum *M. Aper*,[4] et *Julius Secundus*,[5] celeberrima tum ingenia fori nostri: quos ego in judiciis non utrosque modò studiosè audiebam, sed domi quoque et in publico adsectabar, mirâ studiorum cupiditate, et quodam ardore juvenili, ut fabulas quoque eorum, et disputationes, et arcana semotæ dictionis penitus exciperem: quamvis maligné plerique opinarentur, nec Secundo promtum esse sermonem, et Aprum ingenio potiùs et vi naturæ, quàm institutione et literis famam eloquentiæ consecutum. Nam et Secundo purus, et pressus, et, in

[1] *Vel easdem.* Hæc redundare Mureto-Lipsioque videntur. Fortè tamen non ita peccant, maximè cùm Messala et Maternus in multis easdem corruptæ eloquentiæ causas afferant.

[2] *Curiatius Maternus.* Vide not. et emend. ad cap. 2. Maternum, sophisten, quòd exercendi sui causâ in Tyrannos diceret, à Domitiano occisum memorat Dio, LXVII. p. 765. Idemne sit ac Curiatius Maternus non dixerim.

[3] *Catonem.* Tragœdiam, cujus Cato erat argumentum.

[4] *M. Aper.* Qui fortè pater fuit M. Flavii Apri, consulis A.U.C. 883.

[5] *Julius Secundus. Elegantiam Secundi* laudat Quintilianus, *Instit. Orat.* XII. 10. De ejus laudibus plura dicentur infra cap. 23.

quantum[1] satis erat, profluens sermo non defuit: et Aper communi eruditione imbutus, contemnebat potiùs literas quàm nesciebat, tamquam majorem industriæ et laboris gloriam habiturus, si ingenium ejus nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur. Igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem ipsum, et quem pridie recitaverat, librum intrà manus habentem, deprehendimus.

3. Tum *Secundus:* Nil ne te, inquit, Materne, fabulæ malignorum terrent, quominùs offensas Catonis tui ames? An ideo librum istum apprehendisti, ut diligentiùs retractares, et sublatis, si quæ pravam interpretandi materiam dederunt, emitteres Catonem, non quidem meliorem, sed tamen securiorem? Tum *ille*, Leges tu quidem si volueris,[2] et agnosces, quæ audîsti: quòd si qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes[3] dicet. Hanc enim tragœdiam disposui jam, et intrà me ipse formavi. Atque ideo maturare libri hujus editionem festino, ut dimissâ priore curâ, novæ cogitationi toto pectore incumbam. Adeò te tragœdiæ istæ non satiant, inquit *Aper*, quominùs, omissis orationum et causarum studiis, omne tempus modò circa Medeam, ecce nunc circa Thyesten, consumas? cùm tot amicorum causæ, tot coloniarum et municipiorum clientelæ[4] in forum vocent, quibus vix sufficeres, etiam si non

[1] *In quantum.* Id est, quantum satis erat. Sic *in tantum* usurpavit Tacitus de Moribus German. cap. 45.

[2] *Leges tu quidem si volueris.* Fortè emendandum, *leges tu quid Maternus sibi debuerit.* Vide not. et emend. ad cap. 3.

[3] *Thyestes.* Alterum, et notum tragœdiæ argumentum.

[4] *Clientelæ.* Clientelæ coloniarum et municipiorum, quæ Maternum elegerant patronum. Sic apud Cl. Gori, *Inscriptiones Antiq.* vol. I. p. 65. videre est egregiam Ferentinorum tabulam, quâ censent legatos mitti AD. T. POMPONIVM. BASSVM. CLARISSIMVM. VIRVM. QVI. AB. EO. IMPETRENT. IN. CLIENTELAM. AMPLISSIMAE. DOMVS. SVAE. MVNICIPIVM. NOSTRVM. RECIPERE. DIGNETVR. PATRONVMQVE. SE. COOPTARI. TABVLA. HOSPITALI. INCISA. HOC. DECRETO. IN. DOMO. SVA. POSITA. PERMITTAT.

novum tibi ipse negotium importâsses, Domitium,[1] et Catonem: id est, nostras quoque historias, et Romana nomina, Græcorum fabulis aggregares.

4. Et *Maternus:* Perturbarer hâc tuâ severitate, nisi frequens ac assidua nobis contentio jam prope in consuetudinem vertisset. Nam nec tu agitare et insequi poetas intermittis, et ego, cui desidiam advocationum objicis, quotidianum hoc patrocinium defendendæ adversùs te poeticæ exerceo. Quò lætor magis, oblatum nobis judicem, qui me vel in futurum vetet versus facere, vel, quod jampridem opto, suâ quoque auctoritate compellat, ut omissis forensium causarum angustiis, in quibus satis mihi superque sudatum est, sanctiorem istam et augustiorem eloquentiam colam.

5. Ego verò, inquit *Secundus*, antequàm me judicem Aper recuset, faciam, quod probi et modesti judices solent, ut in his cognitionibus se excusent, in quibus manifestum est, alteram apud eos partem gratiâ prævalere. Quis enim nescit, neminem mihi conjunctiorem esse et usu amicitiæ, et adsiduitate contubernii, quàm Saleium Bassum,[2] cùm optimum virum, tum absolutissimum poetam? porrò si poetica accusatur, non alium video reum locupletiorem. Securus sit, inquit *Aper*, et Saleius Bassus, et quisquis alius studium poeticæ et carminum gloriam fovet, cùm causas agere non possit. Ego enim, quatenus arbitrum[3] litis hujus inveni, non patiar, Maternum societate plurium defendi: sed et ipsum solum apud vos arguam, quòd natus

[1] *Domitium.* Romanum tragœdiæ argumentum. Domitius ille fuisse mihi videtur, qui, Julio Cæsari infensissimus, Pharsalicâ acie occubuit. De eo plura vide apud Suetonium in Ner. 11.

[2] *Saleium Bassum.* De quo Quintilianus, *Institut. Orator.* x. 1. *Vehemens ac poeticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum.*

[3] *Quatenus arbitrum.* Quandò te, Secunde, arbitrum litis hujus inveni. *Quatenus* pro *quandò* usurpatum jam vidimus supra Annal. III. 16.

ad eloquentiam virilem et oratoriam, quâ parare simul et tueri amicitias, adsciscere nationes, complecti provincias possit, amittit studium,[1] quo non aliud in civitate nostrâ vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad Urbis famam pulchrius, vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. Nam si ad utilitatem vitæ omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid erit tutius, quàm eam exercere artem, quâ semper armatus præsidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis verò et inimicis metum et terrorem ultro feras, ipse securus, et velut quâdam perpetuâ potentiâ ac potestate munitus? cujus vis et utilitas, rebus prosperè fluentibus, aliorum præsidio et tutelâ intelligitur: sin proprium periculum increpuit, non herculè lorica, aut gladius in acie firmius munimentum, quàm reo et periclitanti eloquentia, præsidium simul et telum, quo propugnare pariter, et incessere, vel in judicio,[2] sive in senatu, sive apud Principem possis. Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus,[3] quàm eloquentiam suam opposuit? qui accinctus[4] et minax, disertam quidem, sed inexercitatam, et ejusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit. Plura de utilitate non dico, cui parti minimè contradicturum Maternum meum arbitrer.

6. Ad voluptatem oratoriæ eloquentiæ transeo, cujus jucunditas, non uno aliquo momento, sed omnibus prope diebus, et prope omnibus horis contingit. Quid enim dulcius libero et ingenuo animo, et ad voluptates honestas nato, quàm videre plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum? idque scire,

[1] *Amittit studium.* Id est, omittit. *Amittere* pro *omittere* dictum quoque supra Annal. II. 71. et XIV. 26.

[2] *Vel in judicio.* Apud centumviros; de quibus mox dicetur infra cap. 7.

[3] *Nuper Eprius Marcellus.* Id narratum supra Hist. IV. 6.

[4] *Qui accinctus.* Meliùs, *quâ accinctus:* ut Ursinus et Acidalius jam voluere.

non pecuniæ, non orbitati,[1] neque officii alicujus administrationi, sed sibi ipsi dari? illos quinimmo orbos, et locupletes, et potentes venire plerumque ad juvenem, et pauperem, ut aut sua, aut amicorum discrimina commendent. Ullane tanta ingentium opum ac magnæ potentiæ voluptas, quàm spectare homines veteres, et senes, et totius Urbis gratiâ subnixos, in summâ omnium rerum abundantiâ confitentes, id quod optimum sit, se non habere? Jam verò, qui togatorum comitatus, et egressus! quæ in publico species! quæ in judiciis veneratio! quod gaudium consurgendi adsistendique inter tacentes, in unum conversos: coire populum, et circumfundi coram, et accipere affectum quemcumque orator induerit! Vulgata dicentium gaudia, et imperitorum quoque oculis exposita, percenseo. Illa secretiora, et tantùm ipsis orantibus nota, majora sunt. Sive accuratam meditatamque adfert orationem; est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus et constantia: sive novam et recentem curam[2] non sine aliquâ trepidatione animi adtulerit, ipsa solicitudo commendat eventum, et lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciæ, atque ipsius temeritatis vel præcipua jucunditas est. Nam in ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen, quæ suâ sponte nascuntur.

7. EQUIDEM ut de me ipse fatear, non eum diem lætiorem egi, quo mihi latus clavus[3] oblatus est, vel quo homo

[1] *Orbitati.* Cujus magna erant in Urbe pretia. Vide supra Annal. III. 25. et XIII. 52. Quanto Roma fuit corruptior, tanto magis accrevit orbitatis favor. Inde Ammianus Marcellinus, XIV. 5. *Vile esse quidquid extra Urbis pomœrium nascitur æstimant, præter orbos et cœlibes; nec credi potest quâ obsequiorum diversitate coluntur homines sine liberis Romæ.*

[2] *Novam et recentem curam. Curam* eodem sensu usurpavit Tacitus Annal. III. 24. *Aliorum exitus, simul cetera illius ætatis memorabo, si effectis in quæ tendi, plures ad curas vitam produxero.*

[3] *Latus clavus.* Jus senatoriæ dignitatis, cujus insigne erat latus clavus, seu vestis latis ex purpurâ plagis distincta. De hâc dignitate, ejusque auctore Principe, Plinius,

novus,[1] et in civitate minimè favorabili[2] natus, quæsturam, aut tribunatum,[3] aut prætúram accepi: quàm eos, quibus mihi, pro mediocritate hujus quantulæcumque in dicendo facultatis, aut reum prosperè defendere, aut apud centumviros[4] causam aliquam feliciter orare, aut apud Principem ipsos illos libertos et procuratores Principum tueri et defendere datur. Tum mihi supra tribunatus, et prætúras et consulatus ascendere[5] videor, tum habere,[6] quod in se, non in alio, oritur, nec codicillis[7] datur, nec cum gratiâ venit. Quæ fama et laus cujusvis artis cum oratorum gloriâ comparanda est, qui non illustres in Urbe solùm apud negotiosos[8] et rebus intentos, sed etiam apud juvenes et adolescentes, quibus modò recta et indoles est, et bona spes sui? Quorum

II. Ep. 9. *Ego Sexto latum clavum à Cæsare nostro, ego quæsturam impetravi: meo suffragio pervenit ad jus tribunatûs petendi, quem nisi obtinet in senatu, vereor ne decepisse Cæsarem videar.*

[1] *Homo novus.* Cujus majores nondum inclaruerant.

[2] *Minimè favorabili.* Julium Secundum, Curiatium Maternum, et M. Aprum, Gallos fuisse manifestum est ex cap. 10. Minimè autem favorabilis civitas, quòd tum penes Romanos erat omnis favor. Vide supra Ammianum Marcellinum, modò laudatum cap. 6. not. sup.

[3] *Tribunatum.* Tribunatum plebis; ut supra in Vitâ Agric. cap. 6.

[4] *Centumviros.* Fuere Romæ triginta quinque tribus: è singulis tribubus, tres viri deligebantur; qui licèt forent centum et quinque, rotundè tamen centumviri dicebantur. Erant divisi in quatuor tribunalia, et in basilicâ Juliâ cogebantur: non de facto, sed de æquitate, et jure pronuntiabant. Præcipuas centumvirales causas recenset Cicero, de Orat. I. 38. *Jactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium jura versantur.* Judicii centumviralis illustre exemplum habet Plinius, VI. Ep. 33.

[5] *Ascendere.* Nec aliter de libertis dictum supra in libro de Moribus Germanorum, cap. 25. *Ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt.*

[6] *Tum habere.* Hunc locum feliciter restituit Illustr. Huetius. Vide not. et emend. ad cap. 7.

[7] *Codicillis.* Codicilli, literæ erant quibus Princeps dignitates largiebatur. Hos codicillos memorat Suetonius in Tiber. XLII.

[8] *Negotiosos.* Hìc negotiosi sunt homines. Supra Annal. XIII. 41. *negotiosos dies,* quibus negotia peraguntur, vidimus.

nomina priùs parentes liberis suis ingerunt? quos sæpiùs vulgus imperitum, et tunicatus[1] hic populus transeuntes nomine vocat, et digito demonstrat?[2] Advenæ quoque et peregrini, jam in municipiis et coloniis suis auditos, cùm primùm Urbem attigerunt, requirunt, ac vultus agnoscere concupiscunt.

8. Ausim contendere, Marcellum hunc Eprium, de quo modò locutus sum,[3] et Crispum Vibium[4] (libentiùs enim novis et recentibus, quàm remotis et obliteratis exemplis utor) non minùs esse[5] in extremis partibus terrarum, quàm Capuæ, aut Vercellis,[6] ubi nati dicuntur: nec hoc illi alterive ter millies sestertiûm præstat,[7] quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiæ beneficio venisse, sed ipsa eloquentia, cujus numen et cœlestis vis multa quidem omnibus seculis exempla edidit, ad quantam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint. Sed hæc, ut supra dixi,[8] proxima, et quæ non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda haberemus. Nam quò sordidiùs et abjectiùs nati sunt, quòque notabilior paupertas et angustia rerum nascentes eos circumsteterunt, eò clariora, et ad demonstrandam oratoriæ eloquentiæ utilitatem illustriora exempla sunt: quòd sine commendatione natalium, sine substantiâ facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemtus, per multos jam annos potentissimi sunt

[1] *Tunicatus.* Tunicatus hic populus, seu misella plebs, non togâ, sed tunicâ induebatur.

[2] *Et digito demonstrat.* Inde Persius, I. 28.

At pulchrum est digito monstrari et dicier hic est.

[3] *Modò locutus sum.* Supra cap. 5.

[4] *Crispum Vibium.* Jam memoratum supra Annal. XIV. 28. De quo et Quintilianus, *Instit. Orat.* X. 1. *Vibius Crispus, compositus, et jucundus et delectationi natus: privatis tamen causis, quàm publicis, melior.*

[5] *Non minùs esse.* Supplendum videtur, *notos.*

[6] *Capuæ, aut Vercellis.* De Capuâ dictum supra Annal. IV. 57. Vercellæ, nunc *Verceil, in Piedmont.*

[7] *Ter millies sestertiûm præstat.* *Angl.* 2, 500,000*l.*

[8] *Supra dixi.* Cap. 6.

civitatis, ac, donec libuit, principes fori, nunc principes in Cæsaris amicitiâ [1] agunt feruntque cuncta, atque ab ipso Principe cum quâdam reverentiâ diliguntur. Quia Vespasianus, venerabilis senex, et patientissimus veri,[2] benè intelligit, ceteros quidem amicos suos niti iis, quæ ab ipso acceperint, quæque ipsi accumulare, et in alios congerere promtum est: Marcellum autem et Crispum, attulisse ad amicitiam suam, quod non à Principe acceperint, nec accipi possit. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac tituli, et statuæ, quæ neque ipsa tamen negliguntur: tam herculè, quàm divitiæ, et opes, quas faciliùs invenies qui vituperet, quàm qui fastidiat. His igitur et honoribus, et ornamentis, et facultatibus, refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentiâ causis forensibus et oratorio studio dederunt.

9. Nam carmina et versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat, (inde enim omnis fluxit oratio) neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant, neque utilitates alunt: voluptatem autem brevem, laudem inanem et infructuosam consequuntur. Licèt hæc ipsa, et quæ deinde dicturus sum, aures tuæ, ô Materne, respuant, cui bono est, si apud te Agamemnon, aut Jason [3] disertè loquitur? quis ideo domum defensus, et tibi obligatus redit? Quis Saleium nostrum, egregium poetam, vel, si hoc honorificentius est, præclarissimum vatem deducit, aut salutat, aut prosequitur? Nempe, si amicus ejus, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te, Materne, non, quia poeta es, neque ut pro eo versus facias: hi enim Basso domi nascuntur, pulchri

[1] *Cæsaris amicitiâ.* Vespasiani.

[2] *Patientissimus veri.* Quàm facilem literatis viris se præberet Vespasianus videre est apud Plinium, III. Ep. 5. Ut eos audiret, noctibus utebatur. Inde fortè *patientissimus veri* dicitur.

[3] *Agamemnon, aut Jason.* Tragœdias scribebat Maternus; ut jam vidimus supra. Hæc autem sunt tragœdiarum argumenta.

quidem et jucundi: quorum tamen hic exitus est, ut, cùm toto anno, per omnes dies, magnâ noctium parte, unum librum extudit et elucubravit, rogare ultro[1] et ambire cogatur, ut sint, qui dignentur audire: et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur, et auditorium exstruit, et subsellia conducit, et libellos dispergit: et ut beatissimus recitationem ejus eventus prosequatur, omnis illa laus intrà unum aut alterum diem, velut in herbâ vel flore præcepta, ad nullam certam et solidam pervenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cujusquam beneficium, sed clamorem vagum, et voces inanes, et gaudium volucre. Laudavimus nuper, ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quòd quingenta sestertia[2] Basso donâsset. Pulchrum id quidem, indulgentiam Principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere,[3] suum ingenium propitiare, suam experiri liberalitatem? Adjice quòd poetis, si modò dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum, et jucunditas Urbis, deserenda cetera officia, utque ipsi dicunt, *in nemora et lucos,* id est, in solitudinem recedendum est.[4]

10. Ne opinio quidem et fama, cui soli serviunt, et quod unum esse pretium omnis sui laboris fatentur, æquè poetas quàm oratores sequitur: quoniam mediocres poetas[5] nemo novit, bonos pauci. Quandò enim rarissimarum recitatio-

[1] *Rogare ultro.* Iis temporibus, quàm rogandi ambiendique auditores, quæ foret eorum desidia et superbia docet elegantissima Plinii, l. 13. epistola.

[2] *Quingenta sestertia. Angl.* 4166*l.* 13*s.* 4*d.*

[3] *Se ipsum colere.* Quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum ingenium propitiare, suam experiri liberalitatem, quàm Principis numen colere, propitiare, beneficumque experiri. Fortè tamen redundat, *suum ingenium propitiare.* Vide not. et emend. ad cap. 9.

[4] *Recedendum est.* Meliùs *secedendum est;* ut infra cap. 12. *Secedit animus in loca pura.*

[5] *Mediocres poetas.* Verè enim Horatius, in Arte poeticâ, vers. 372.

Mediocribus esse poetis,
Non homines, non Dî, non concessere columnæ.

num fama in totam Urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat. Quotus quisque, cùm ex Hispaniâ, vel Asiâ, ne quid de Gallis nostris loquamur, in Urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeò si quis requirit, et semel vidit, transit et contentus est; ut si picturam aliquam, vel statuam vidisset. Neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eos, quibus natura sua oratorium ingenium denegavit, deterream à carminibus, si modò in hàc studiorum parte oblectare otium, et nomen inserere possunt famæ: ego verò omnem eloquentiam omnesque ejus partes [1] sacras et venerabiles puto: nec solùm cothurnum vestrum,[2] aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque jucunditatem, et elegorum lascivias, et iamborum amaritudinem, et epigrammatum lusus, et quamcumque aliam speciem eloquentia habeat, anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo: sed tecum mihi, Materne, res est, quòd, cùm natura tua in ipsam arcem eloquentiæ ferat, errare mavis, et summa adeptus, in levioribus subsistis. Ut si in Græciâ natus esses, ubi ludicras quoque artes exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur [3] ac vires Dii dedissent, non paterer immanes illos ad pugnam datos lacertos, levitate jaculi aut jactu disci vanescere: sic nunc te ab auditoriis [4] et theatris, in forum et ad causas et ad vera prælia voco: cùm præsertim ne ad id quidem consurgere possis, quod plerisque patrocinatur, tamquam minùs obnox-

[1] *Omnesque ejus partes.* Ego verò omnem eloquentiam, sive oratoria sit, sive poetica, omnesque ejus partes sacras et venerabiles puto.

[2] *Cothurnum vestrum.* Tragœdiæ.

[3] *Nicostrati robur.* De Nicostrato Quintilianus, *Instit. Orat.* II. 9. *At si fuerit, qui docebitur, ille, quem adolescentes senem vidimus, Nicostratus: omnibus in eo docendi partibus similiter utetur, efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quo utroque certamine iisdem diebus coronabatur) invictum.* Nicostratum quoque laudat Pausanias, v. 21. et eum fuisse origine Cilicem docet.

[4] *Ab auditoriis.* In quibus tragœdias suas Maternus recitabat.

ium sit offendere [1] poetarum, quàm oratorum studium. Effervescit enim vis pulcherrimæ naturæ tuæ, nec pro amico aliquo, sed quod periculosius est, pro Catone [2] offendis: nec excusatur offensa necessitudine officii, aut fide advocationis, aut fortuitæ et subitæ dictionis impetu: meditatus videris elegisse personam notabilem, et cum auctoritate dicturam. Sentio quid responderi possit: hinc ingentes [3] ex his assensus, hinc in ipsis auditoriis præcipuè laudari, et mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cùm tibi sumas adversarium superiorem: [4] nobis satis sit privatas et nostri seculi controversias tueri, in quibus expressis si quandò necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides, et libertas excusata.

11. Quæ cùm dixisset Aper acriùs, ut solebat, et intento ore: remissus et subridens *Maternus:* Paravi, inquit, me, non minùs diu accusare oratores, quàm Aper laudat.[5] Fore enim arbitrabar ut à laudatione eorum digressus detrectaret poetas, atque carminum studium prosterneret: arte quâdam mitigavit, concedendo his, qui causas agere non possent, ut versus facerent. Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragœdiarum ingredi famam

[1] *Obnoxium sit offendere.* Tam poetarum, quàm oratorum, studium obnoxium est offensæ.

[2] *Pro Catone.* De quâ tragœdiâ jam dictum supra cap. 2 et seq. Vigente imperio, novâque Vespasiani domo, Cato, libertatis adsertor, invidiosum erat tragœdiæ argumentum, et offensis obnoxium.

[3] *Hinc ingentes.* Hìc aliquid deest. Supplendum puto. *Sentio quid responderi possit: placere hæc argumenta: hinc ingentes ex his assensus; hinc in ipsis auditoriis præcipuè laudari, et mox omnium sermonibus ferri. Fateor. At quanto plus celebritatis, tanto plus offensæ; tanto ruina certior. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem,* &c.

[4] *Adversarium superiorem.* Tolle igitur hanc quietis, et securitatis excusationem, offensæ scilicet minùs obnoxium esse poetarum, quàm oratorum studium, cùm ipse tibi sumas adversarium superiorem, ac Principes offendas.

[5] *Laudat.* Meliùs *laudare.*

auspicatus sum, tum quidem, cùm in Nerone improbam,[1] et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam[2] fregi: et hodie si quid in nobis notitiæ ac nominis est, magis arbitror carminum, quàm orationum gloriâ partum: ac jam me sejungere à forensi labore constitui, nec comitatus istos, et egressus, aut frequentiam salutationum concupisco: non magis quàm æra,[3] et imagines, quæ etiam, me nolente, in domum meam inruperunt. Nam statum hucusque[4] ac securitatem meliùs innocentiâ tueor, quàm eloquentiâ: nec vereor, ne mihi umquam verba in senatu, nisi pro alterius discrimine,[5] facienda sint.

12. NEMORA verò, et luci, et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem, quòd nec in stre-

[1] *In Nerone improbam.* Improba hæc in Nerone carminum studia, quæ Lucano aliisque multis in exitium cessere, narravit Tacitus Annal. XIV. 16. Improbos quoque Neronis versus recitat et irridet Persius, I. 99.

Turca Mimallonetis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, et lyncem Mænas flexura corymbis
Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.

Hi enim versus Neronis sunt, teste vetere Persii Scholiaste. Vesanum illum furorem, Neronis potentiâ subnixum, fregit Maternus. Ergò recitatione tragœdiarum famam ingressus est post A. U. C. 812.

[2] *Vatinii potentiam.* Is sanè fuit Vatinius, qui *inter fœdissima Neronianæ aulæ ostenta fuit.* De quo plura supra Annal. XV. 34. Scurrilibus jocis ludisque studiorum sacra profanabat. Vide not. et emend. ad cap. 11.

[3] *Quàm æra.* Eruditus Cujacius emendabat, *quam cera.* At potiùs intellexerim tum de æreis statuis, tum maximè de tabulis æneis, quæ in patronorum domibus à coloniis municipiisque ponebantur. Talem tabulam memoravimus supra.

[4] *Nam statum hucusque.* Sic emendavit Lipsius. Vide not. et emend. ad cap. 11. Illic autem refutat Maternus, quæ Aper attulit cap. 5. *Si proprium periculum increpuit, reo et periclitanti* firmissimum *esse eloquentiæ præsidium simul et telum.*

[5] *Pro alterius discrimine.* Optimè. Contra verò vulgus oratorum, delationibus infame, cùm auctoritate famâque, Nerone Principe, viguissent, tunc sub æquissimo Vespasiani principatu, in jus vocabantur, et pro suo ipsi discrimine verba in senatu faciebant; ut contigit Eprio Marcello, quem Aper laudaverat supra cap. 5.

pitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrymas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. Hæc eloquentiæ primordia, hæc penetralia: hoc primùm habitu cultuque commoda mortalibus,[1] in illa casta, et nullis contacta vitiis, pectora influxit: sic oracula loquebantur. Nam lucrosæ hujus, et sanguinantis eloquentiæ[2] usus, recens, et malis moribus natus, atque, ut tu dicebas,[3] Aper, in locum teli repertus. Ceterùm felix illud, et more nostro loquar, aureum seculum, et oratorum et criminum inops, poetis et vatibus abundabat, qui benefacta canerent, non qui malè admissa defenderent. Nec ullis aut gloria major,[4] aut augustior honor: primùm apud Deos, quorum proferre responsa, et interesse epulis ferebantur: deinde apud illos Diis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicorum, sed Orphea ac Linum, ac si introspicere altiùs velis, ipsum Apollinem accepimus: vel, si hæc fabulosa nimis et composita videntur, illud certè mihi concedis, Aper, non minorem honorem Homero, quàm Demostheni, apud posteros: nec angustioribus terminis famam Euripidis, aut Sophoclis, quàm Lysiæ, aut Hyperidis[5] includi: plures hodie reperies, qui Ciceronis gloriam, quàm qui Virgilii detrectent. Nec ullus Asinii[6] aut Messalæ liber tam illustris est, quàm Medea Ovidii, aut Varii Thyestes.[7]

[1] *Commoda mortalibus.* Benè verèque Muretus ac Schelius, *commendata mortalibus.*

[2] *Et sanguinantis eloquentiæ.* Lucrosa hæc et sanguinaria eloquentia ter millies sestertiûm Eprio Marcello præstiterat; ut vidimus supra cap. 8.

[3] *Tu dicebas.* Supra cap. 5.

[4] *Aut gloria major.* Fortè scriptum olim, *aut gloria major umquam contigit.* Vide not. et emend. ad cap. 12.

[5] *Lysiæ, aut Hyperidis.* Græcorum oratorum, quorum certè nunc multo minor est fama, quàm Euripidis, aut Sophoclis; quorum nomina, dum literarum studia vigebunt, in dies magis ac magis inclarescent.

[6] *Asinii.* Asinii Pollionis ac Corvini Messalæ: eorum laudes vide supra Annal. XI. 6. Quintilianus, *Instit. Orat.* XII. 10. commendat *diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ.*

[7] *Varii Thyestes.* De utràque tragœdiâ Quintilianus, *Instit. Orat.*

13. Ac ne fortunam quidem vatum, et illud felix contubernium,[1] comparare timuerim cum inquietâ et anxiâ oratorum vitâ: licèt illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint: malo securum et secretum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratiâ caruit, neque apud populum Romanum notitiâ. Testes Augusti epistolæ, testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, et fortè præsentem spectantemque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum.[2] Ne nostris quidem temporibus, Secundus Pomponius[3] Afro Domitio,[4] vel dignitate vitæ, vel perpetuitate famæ, cesserit. Nam Crispus et Marcellus,[5] ad quorum exempla me vocas, quid habent in hâc præsenti fortunâ concupiscendum? quòd timent? an quòd timentur? quòd cùm quotidie aliquid rogentur, hi, quibus præstant, indignantur?[6] quòd alligati cum adulatione, nec imperantibus umquam satis servi videntur, nec nobis satis liberi? Quæ hæc summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. Me verò dulces, ut Virgilius ait,[7] Musæ, remotum à solicitudinibus,

x. 1. *Jam Varii Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare, quàm indulgere maluisset.* Ambæ illæ tragœdiæ periere, magno Romanarum literarum detrimento; cùm vix supersit, unde æstimemus quid Romani in tragœdiâ valuerint.

[1] *Felix contubernium.* In privatâ domesticâque vitâ felix illud vatum Musarumque contubernium.

[2] *Quasi Augustum.* Apud Romanos moris fuit in theatro præsentem Principem venerari.

[3] *Secundus Pomponius.* Scriptor tragœdiarum; de quo diximus in not. et emend. ad Annal. xi. 13.

[4] *Afro Domitio.* Cujus laudes vitiaque vide supra Annal. iv. 52. et xiv. 19. Quintilianus, *Instit. Orat.* xii. 10. *maturitatem Afri* prædicat.

[5] *Crispus et Marcellus.* Vibius Crispus et Marcellus Eprius, quorum exempla allata sunt supra cap. 8.

[6] *Indignantur.* Indignantur, quòd causidicis tantum debere cogantur. Quanta enim tunc causarum pretia, cùm causidici ad eas opes, quas vidimus supra cap. 8. evherentur.

[7] *Ut Virgilius ait.* Virgilius, Georgic. ii. 475.

Me verò primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant.

et curis, et necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi, in illa sacra illosque fontes[1] ferant: nec insanum ultra et lubricum forum, famamque pallentem, trepidus experiar: non me fremitus salutantium, nec anhelans libertus excitet: nec incertus futuri, testamentum pro pignore[2] scribam: nec plus habeam, quàm quod possim, cui velim,[3] relinquere, quandòcumque fatalis et meus dies veniet: statuarque tumulo non mœstus et atrox,[4] sed hilaris et coronatus:[5] et pro memoriâ mei, nec consulat[6] quisquam nec roget.

[1] *Illosque fontes.* Sic et Virgilius, Georgic. II. 485.

Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem sylvasque inglorius. O, ubi campi
Sperchecos, et virginibus bacchata Lacænis
Taygeta: ô, qui me gelidis in vallibus Hæmi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbrâ.

[2] *Pro pignore.* Pro pignore securitatis; ut scribere cogebantur, qui delationibus fœdâque eloquentiâ immensas opes parâverant. Sic et ipse Agricola, vir optimus, sed sub Domitiano pessimo Principe, testamentum pro pignore scripsit, ut vidimus supra in vitâ Agricolæ, cap. 43.

[3] *Cui velim.* Contra verò oratores, ut opum suarum, iniquè comparatarum, partem liberis, iisque quibus vellent, relinquerent, Principem, Principisque libertos heredes, scribere tenebantur.

[4] *Non mœstus et atrox.* Quod sæpe contingebat oratoribus, qui et sub malis, et sub bonis Principibus, nonnumquam puniebantur.

[5] *Coronatus.* Ex usu apud Romanos antiquissimo, quem lex ipsa duodecim tabularum sanciverat, corona virtute parta et ei qui peperisset, et ejus parenti, post mortem imponebatur. Inde Ciccro, de Legibus, II. 24. *Illa jam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, coronam virtute partam, et ei qui peperisset, et ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet.* Expressiùs autem Plinius, XXI. 3. *Semper tamen auctoritas* coronarum, *vel ludicro quæsitarum, fuit. Namque ad certamina in Circum per ludos et ipsi descendebant, et servos suos quique mittebant. Inde illa* XII *tabularum lex: Qui coronam parit ipse, pecuniave ejus, virtutis ergò duitor ei* (id est, *dator ei*, vel *ei detur*). *Quam servi equive meruissent, pecuniâ partam lege dici, nemo dubitavit. Quis ergò honos? ut ipsi mortuo, parentibusque ejus, dum intus positus esset, forisve ferretur, sine fraude esset imposita. Aliàs in usu promiscuo ne ludicræ quidem erant.*

[6] *Nec consulat.* Cùm ipsa reorum memoria sæpe damnaretur, tituli, imagines, ceteraque honorum monumenta abolerentur, consulebantur vates, ut quid esset timendum audiretur: rogabantur Principes, ne tantùm sævirent.

14. Vix dum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus,[1] cùm *Vipstanius Messala*[2] cubiculum ejus ingressus est, suspicatusque ex ipsâ intentione singulorum, altiorem inter eos esse sermonem: Num parùm tempestivus, inquit, intervêni, secretum consilium et causæ alicujus meditationem tractantibus? Minimè, minimè, inquit *Secundus;* atque adeò vellem maturiùs intervenisses: delectâsset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cùm Maternum, ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret, exhortatus est, et Materni pro carminibus suis læta, utque poetas defendi decebat, audentior, et poetarum quàm oratorum similior oratio. *Me* verò, inquit, et sermo ipse infinitâ voluptate adfecisset, atque id ipsum delectat, quòd vos viri optimi et temporum nostrorum oratores, non forensibus tantùm negotiis, et declamatorio studio ingenia vestra exercetis, sed ejusmodi etiam disputationes adjungitis, quæ et ingenium alunt, et eruditionis et literarum jucundissimum oblectamentum, cùm vobis qui illa disputatis, adferunt, tum etiam his, ad quorum aures pervenerint. Itaque herculè non minùs probari video in te, Secunde, quòd Julii Asiatici[3] vitam componendo, spem hominibus fecisti plurium ejusmodi librorum, quàm in Apro,[4] quòd nondum à scholasticis controversiis[5] recessit; et otium suum mavult novorum rhetorum more, quàm veterum oratorum,[6] consumere.

[1] *Instinctus.* Poetarum est esse instinctos, et quasi divino spiritu afflatos.

[2] *Vipstanius Messala.* Jam memoratus supra Hist. III. 10. et IV. 42.

[3] *Julii Asiatici.* Is mihi videtur esse Asiaticus, Galliarum dux, qui pro Vindice bellaverat; ut vidimus supra Hist. II. 94.

[4] *Quàm in Apro.* Cl. Morabin, Gallicus hujusce dialogi interpres, voculam supplet, *quàm in Apro parùm, quòd*, &c. Vulgatam scripturam retinet Cl. de la Monnoye, sed hæc ironicè dicta fuisse contendit: quod verius puto.

[5] *Scholasticis controversiis.* Harum controversiarum exempla habemus in Senecæ et Quintiliani declamationibus.

[6] *Veterum oratorum.* E quorum libris manent aurea Ciceronis Philosophica opera atque oratoria.

15. Tum *Aper:* Non desinis, Messala, vetera tantùm et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia inridere atque contemnere. Nam hunc tuum sermonem sæpe excepi, cùm oblitus et tuæ, et fratris tui[1] eloquentiæ, neminem hoc tempore oratorem esse contenderes. Atque ideo credo audaciùs, quòd maligni in iis opinionem non verebaris, cùm eam gloriam, quam tibi alii concedunt, ipse tibi denegares. Neque illius, *inquit*, sermonis mei pœnitentiam ago, neque aut Secundum, aut Maternum, aut teipsum, Aper, (quamquam interdum in contrarium disputes) aliter sentire credo. Ac velim impetratum ab aliquo vestrûm, ut causas hujus infinitæ differentiæ scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro: et quod quibusdam solutio est, mihi auget quæstionem, quia video etiam Graiis accidisse, ut longiùs absit Æschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes,[2] et si quis alius Ephesum vel Mitylenas[3] contentis scholasticorum clamoribus[4] quatit, quàm Afer, aut Africanus,[5] aut vos ipsi à Cicerone, aut Asinio[6] recessistis.

[1] *Fratris tui.* Aquilii Reguli; de quo supra Hist. IV. 42. Ei insanum potiùs ingenium, quàm eloquentia, teste Plinio, I. Ep. 5. et IV. Ep. 7.

[2] *Sacerdos iste Nicetes.* Sacerdos Nicetes, Smyrnæus fuit, rhetor nobilis, à vetere dicendi genere alienus, et quasi numine Bacchi actus, dithyrambos canebat, teste Philostrato, *Vit. Sophist.* cap. 19. *Ὑπέβαχχος γὰρ καὶ διθυραμβώδης· τὰς δ' ἰνσίας ἰδίας τι καὶ παραδόξους ἐξεδίδοσαν.* Licet *à discipulis non audiri* desideraret, ut scribit Seneca, Controvers. IV. 25. frequentabatur tamen, et auditorem Plinium habuit, Plin. VI. Ep. 6.

[3] *Ephesum vel Mitylenas.* De Epheso dictum supra Annal. III. 61. de Mitylenis, Annal. VI. 18.

[4] *Contentis scholasticorum clamoribus.* Quòd, corruptâ apud Græcos eloquentiâ, ut Sacerdos Nicetes, sic Ephesi et Mitylenarum rhetores, abstrusas sententias et altè sonantia verba aucupabantur. De scholasticis, seu rhetoribus, vide infra cap. 29.

[5] *Afer, aut Africanus.* Quintilianus, *Instit. Orat.* XII. 10. *vires Africani, maturitatem Afri* commendat. Pluribus eos laudaverat supra Lib. X. 1. *Eorum, quos viderim, Domitius Afer, et Julius Africanus, longè præstantissimi. Verborum arte ille, et toto genere dicendi præferendus, quem in numero veterum locare non timeas: hic concitatior, sed in curâ verborum nimius, et compositione nonnumquam longior, et translationibus parùm modicus.*

[6] *Asinio.* Asinio Pollione, de quo dictum supra cap. 12.

16. MAGNAM, inquit *Secundus*, et dignam tractatu quæstionem movisti: sed quis eam justiùs explicaverit, quàm tu, ad cujus summam eruditionem et præstantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit? Et *Messala*, Aperiam, inquit, cogitationes meas, si illud à vobis antè impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adjuvetis. Pro duobus, inquit *Maternus*, promitto: nam et ego et Secundus exsequemur partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quàm nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire, et tu paulo antè dixisti, et ipse satis manifestus est jamdudum in contrarium accingi, nec æquo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam. Non enim, inquit *Aper*, inauditum et indefensum seculum nostrum patiar hâc vestrâ conspiratione damnari. Sed hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum ætatem significatione istâ determinetis? Ego enim cùm audio antiquos, quosdam veteres et olim natos intelligo; ac mihi versantur ante oculos Ulysses et Nestor, quorum ætas mille ferè et trecentis annis[1] seculum nostrum antecedit: vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse: ita tamen ut utrique superstites essent. Ex quo apparet, non multò plures quàm cccc. annos[2] interesse inter nostram et Demosthenis ætatem: quod spatium temporis, si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum videatur: si ad naturam seculorum et respectum immensi hujus ævi, perquàm breve, et in proximo est. Nam si, ut Cicero in Hortensio scribit, "is est magnus et verus annus, "quo eadem positio cœli siderumque, quæ cùm maximè

[1] *Mille ferè et trecentis annis.* Rectè: nam inter belli Trojani initia et sextum Vespasiani annum, quo hic dialogus habitus est, intercessere anni 1268. Vide not. et emend. ad cap. 16.

[2] *Quàm* cccc. *annos.* Perperam in veteribus editionibus ccc. *annos.* Mortuus est enim Demosthenes A. U. C. 432. annus verò Vespasiani sextus fuit ab U. C. 828. De Demosthene, et de Hyperide, Demostheni proximo, multa habet Cicero, de Claris Orat. c. 35 et 36.

" est, rursum existet, isque annus horum, quos nos voca-
" mus, annorum XII M DCCCCLIV.[1] complectitur;" incipit Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solùm eodem anno quo nos, sed ferè eodem mense[2] extitisse.

17. SED transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium, ut puto, Agrippam,[3] qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis: sed Ciceronem, et Cæsarem,[4] et Cœlium,[5] et Calvum,[6] et Brutum,[7] et Asinium, et Messalam:[8] quos quidem cur antiquis temporibus potiùs adscribatis, quàm nostris, non video: nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansâ consulibus,[9] ut Tiro libertus ejus scripsit, septimo Idus Decembris occisus est, quo anno divus Augustus in locum Pansæ et Hirtii se et Q. Pedium consules suffecit:[10] statue

[1] *Annorum* XII M DCCCCLIV. Malè in libris hactenus editis *annorum* XII M DCCCLIV. Vide not. et emend. ad cap. 16. ubi de magno anno dicetur fusiùs.

[2] *Ferè eodem mense.* Redundare videtur *ferè*, et additum à sciolo aliquo, qui non attenderet in magno anno, si 12954. per 12. divideris, singulos menses esse fermè 1080. annorum. Unde in magno anno, non *ferè*, sed reverà eodem mense Demosthenes et Aper extitere. Hi sunt menses, de quibus Virgilius, Eclog. IV. 12.

Incipient magni procedere menses.

[3] *Agrippam.* Menenius Agrippa Lanatus consul fuit A. U. C. 251. A. C. 502.

[4] *Et Cæsarem.* Julium Cæsarem, dictatorem.

[5] *Cœlium.* M. Cœlium Rufum, cujus extant epistolæ inter Ciceronianas, Lib. VIII. ad Famil.

[6] *Calvum.* C. Licinius Macer Calvus *diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit*, ut testatur Seneca, Controvers. III. 19. Illum laudat Cicero, de claris Orat. cap. 82. *Sanctitatem Calvi* celebrat Quintilianus, *Inst. Orat.* XII. 10.

[7] *Brutum.* M. Junium Brutum, Cæsaris interfectorem, cui Tullius librum de Oratoribus, et Oratorem inscripsit.

[8] *Asinium, et Messalam.* Jam laudatos supra cap. 12.

[9] *Hirtio—et Pansâ consulibus.* A. U. C. 711. quo occisus est Cicero die septimâ Decembris. De ejus cæde vide Velleium Paterculum, II. 66.

[10] *Suffecit.* Interfectis consulibus Pansâ et Hirtio, suffecti sunt consules Cæsar Octavius, dictus postea Augustus, et Q. Pedius.

sex et quinquaginta annos,[1] quibus mox divus Augustus rempublicam rexit: adjice Tiberii tres et viginti, et prope quadriennium Caii,[2] ac bis quaternosdenos[3] Claudii et Neronis annos, atque ipsum Galbæ, et Othonis, et Vitellii unum annum,[4] ac sextam jam felicis hujus principatûs stationem,[5] quâ Vespasianus rempublicam fovet, centum et viginti anni[6] ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis ætas. Nam ipse ego in Britanniâ vidi senem, qui se fateretur ei pugnæ[7] interfuisse, quâ Cæsarem inferentem arma Britanniæ, arcere littoribus, et pellere adgressi sunt. Ita si eum, qui armatus C. Cæsari restitit, vel captivitas, vel voluntas, vel fatum aliquod in Urbem pertraxisset, idem Cæsarem ipsum et Ciceronem audire potuit, et nostris quoque actionibus interesse. Proximo quidem congiario[8] ipsi vidistis plerôsque senes, qui se à divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant: ex quo colligi potest, et Corvinum[9] ab illis et Asinium audiri potuisse. Nam Corvinus in medium usque Augusti princi-

[1] *Sex et quinquaginta annos.* Totidem numerantur ab hoc Augusti consulatu ad ejus mortem, quæ contigit A. U. C. 767.

[2] *Caii.* Caii Caligulæ.

[3] *Bis quaternosdenos annos.* Fermè quatuordecim annos imperavit Claudius: totidem Nero.

[4] *Unum annum.* In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *longum et unum annum.*

[5] *Principatûs stationem.* Sextum Vespasiani annum, qui cœpit Julio mense, A. U. C. 827.

[6] *Centum et viginti anni.* Rotundè dictum. Nam inter Ciceronis mortem et Vespasiani annum sextum sunt tantùm anni 117.

[7] *Ei pugnæ.* Fuit hæc pugna A. U. C. 699. Illum verò senem in Britanniâ videre non potuit, nisi post A. U. C. 800.

[8] *Proximo quidem congiario.* Biennio antè: anno Vespasiani quarto, U. C. 826. datum est illud congiarium, cujus memoria extat in nummo Domitiani, CONG. II. COS. II. id est, *congiarium alterum*, Domitiano *consule secundùm.* In nummo quoque Titi, T. CAESAR VESPASIANUS TR. P. COS. II. et ex aversâ parte, CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. id est, *congiarium tertium populo Romano impensis maximis datum.* De his aliisque Principum Romanorum congiariis fusiùs dicetur in not. et emend. ad cap. 17. Ibique illustrabitur egregium Cæsareæ Bibliothecæ Vindobonensis monumentum.

[9] *Corvinum.* Corvinum Messalam, et Asinium Pollionem, sæpe supra laudatos.

patum, Asinius pænè ad extremum duravit. Nec dividatis seculum, et antiquos ac veteres vocetis oratores, quos eorumdem hominum aures agnoscere ac velut conjungere et copulare potuerunt.

18. Hæc ideo prædixi, ut si qua, ex horum oratorum famâ gloriâque, laus temporibus adquiritur, eamdem docerem in medio sitam, et propiorem nobis, quàm Ser. Galbæ,[1] C. Carboni,[2] quosque alios antiquos meritò vocaremus. Sunt enim horridi, et impoliti, et rudes, et informes, et quos utinam nullâ parte imitatus esset Calvus vester,[3] aut Cœlius, aut ipse Cicero? Agere enim fortiùs jam et audentiùs volo, si illud antè prædixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. Sic Catoni seni[4] comparatus C. Gracchus,[5] plenior et uberior; sic Graccho politior et ornatior Crassus;[6] sic utroque distinctior, et

[1] *Ser. Galbæ.* Servius Sulpicius Galba, consul A. U. C. 610. eloquentiâ præstitit. At ejus orationes *exiliores sunt et redolentes magis antiquitatem, quàm aut Lælii, aut Scipionis, aut etiam ipsius Catonis. Itaque exaruerunt; vix jam ut appareant*, teste Cicerone de claris Oratoribus, cap. 21. Vide et Suetonium in Galbâ, III. De eo jam dictum supra Annal. III. 66.

[2] *C. Carboni.* C. Papirius Carbo, consul fuit A. U. C. 634. Eum Tullius, de claris Orat. cap. 27. appellat *canorum oratorem, et volubilem, et satis acrem, atque eumdem et vehementem, et valdè dulcem, et perfacetum.* Orationes ejus nondum satis splendidas verbis, sed acutas, prudentiæque plenissimas antè dixerat.

[3] *Calvus vester.* Calvus Cœliusque jam memorati supra cap. 17.

[4] *Catoni seni.* Quem egregiè commendat Quintilianus, *Institut. Orat.* XII. 11. *Marcus Censorius Cato, idem orator, idem historiæ conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus, inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi sæculo literas Græcas ætate jam declinatâ didicit, ut esset hominibus documento, ea quoque percipi posse, quæ senes concupissent.*

[5] *C. Gracchus.* C. Gracchus, tribunus plebis, cùm biennio eloquentiâ et seditionibus populum agitâsset, interemtus est, L. Opimio consule, A. U. C. 633. Vide Plinium, XIV. 4. et XXXIII. 3. Sect. 14. Plutarchum quoque in Gracchis, p. 824.

[6] *Crassus.* L. Crassus vir fuit eloquentissimus et clarissimus, teste Cicerone in Verrem, III. 1. Plura adhuc de eo in libro de Oratore III. 1. *Illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi, morte extincta sibi tâ est.* Multa manent ejus dicta citatis argumenta; quorum pra

urbanior, et altior Cicero; Cicerone mitior Corvinus,[1] et dulcior, et in verbis magis elaboratus. Nec quæro, quis disertissimus: hoc interim probâsse contentus sum, non esse unum eloquentiæ vultum, sed in illis quoque, quos vocatis antiquos, plures species deprehendi; nec statim deterius esse, quod diversum est: vitio autem malignitatis humanæ vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse.[2] Num dubitamus inventos, qui pro Catone Appium Cæcum[3] magis mirarentur? Satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores[4] defuisse, quibus inflatus, et tumens, nec satis pressus, sed supra modum exsultans, et superfluens, et parùm Atticus[5] videretur. Legistis utique et Calvi et

cipuum est ejus dictum in Cn. Domitium Ahenobarbum: *Non esse mirandum, quòd æneam barbam haberet, cui os ferreum, cor plumbeum esset.* Sueton. in Nerone, II. De eo adhuc infra cap. 25.

[1] *Corvinus.* Messala Corvinus, jam sæpe supra laudatus.

[2] *In fastidio esse.* Velleius Paterculus, II. 95. *Præsentia invidiâ, præterita veneratione prosequimur.*

[3] *Appium Cæcum.* Qui censor fuit A. U. C. 442. cùm nondum vigeret eloquentia Romana. Appii laudes paucis habet vetus marmor, cujus inscriptionem retulit eruditus Antonius Augustinus, *Dialogos de Medallas,* Dialogo, X. p. 412.

APPIVS CLAVDIVS
C. F. CAECVS
CENSOR. COS. BIS. DICT. IN-
TERREX. III.
PR. II. AED. CUR. II. Q. TR. MIL.
III. COM.
PLVRA. OPPIDA. DE. SAMNITI-
BVS. CEPIT
SABINORVM. ET. TVSCORVM EXERCI
TVM. FVDIT. PACEM. FIERI. CVM.
PYRRHO
REGE. PROHIBVIT. IN. CENSVRA.
VIAM
APPIAM. STRAVIT. ET. AQVAM. IN
VRBEM. ADDVXIT. AEDEM. BELLONAE
FECIT.

Vide et eruditum Gori, *Inscript. Antiq.* Vol. II. p. 237. Ob hanc ædem Bellonæ de Appio dixit Ovidius, Fast. VI. 201.

Hûc sacrata die Tusco Bellona duello
Dicitur, et Latio prospera semper adest.
Appius est auctor, Pyrrho qui pace negatâ
Multum animo vidit, lumine cæcus erat.

De egregio illo sene vide Ciceronem in libro de Senectute, VI.

[4] *Obtrectatores.* De his obtrectatoribus Quintilianus, *Instit. Orat.* XII. 10. Ciceronem *et suorum hominum temporum incessere audebant, ut tumidiorem et Asianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquandò frigidum, et in compositione fractum, exsultantem, ac pænè (quod procul absit) viro molliorem.*

[5] *Parùm Atticus. Antiqua* oratorum *divisio inter Asianos atque Atticos fuit, cùm hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes ha-*

Bruti[1] ad Ciceronem missas epistolas: ex quibus facile est deprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum, Brutum autem otiosum[2] atque disjunctum. Rursumque Ciceronem à Calvo quidem malè audivisse, tamquam solutum et enervem: à Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tamquam fractum atque elumbem. Si me interroges, omnes mihi videntur verum dixisse. Sed mox ad singulos veniam, nunc mihi cum universis negotium est.

19. Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, quem usque ad Cassium Severum[3] faciunt, quem primum adfirmant flexisse ab illâ vetere, atque directâ dicendi viâ: non infirmitate ingenii, nec inscitiâ literarum, transtulisse se ad id dicendi genus contendo, sed judicio et intellectu. Vidit namque, ut paulo antè dicebam, cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse

berentur—Attici limati quidem et emuncti nihil inane ac redundans ferebant. Asiana gens tumidior alioqui atque jactantior, vaniore etiam dicendi gloriâ inflata est. Ciceronem præcipuè premebant, *qui videri Atticorum imitatores* concupiscebant. Vide Quintilianum, loc. cit.

[1] *Calvi et Bruti.* Ea fuit semper inter summos viros æmulatio, de quâ Quintilianus, *Institut. Orat.* XII. 1. *Neque ipsi Ciceroni Demosthenes* videtur *satis esse perfectus, quem dormitare interim dicit: nec Cicero Bruto Calvoque, qui certè compositionem illius, etiam apud ipsum reprehendunt: nec Asinio utrique, qui vitia orationis ejus etiam inimicè pluribus in locis insequuntur.*

[2] *Otiosum.* Mallet Lipsius, *odiosum:* id est, adfectatione quâdam et asperitate dictionis molestum. At Brutus, utpote sententiosus et animosâ philosophiâ plenus potuit otiosus esse circa sententias et philosophicos locos; ita Cicero fuit *otiosus circa excessus*, ut mox dicetur infra cap. 22. *Disjunctum* autem intellige, quo sensu Senecam appellabat C. Caligula, *Arenam sine calce.* Sueton. in Caio Caligulâ, LIII. Talis autem eloquentia decebat Brutum, de quo Julius Cæsar solitus erat dicere: MAGNI REFERT, HIC QUID VELIT: SED QUIDQUID VOLT, VALDE VOLT. Cicero Ep. ad Atticum, XIV. 1. Infra cap. 21, memoratur Bruti philosophia, lentitudo, tepor. Inde otiosus hìc dicitur.

[3] *Ad Cassium Severum.* Puto emendandum, *constituere solent usque ad Cassium Severum, quem reum faciunt, quemque primum adfirmant*, &c. Vide not. et emend.

mutandam. Facilè perferebat prior iste populus, ut imperitus et rudis, imperitissimarum orationum spatia: atque id ipsum laudi dabatur, si dicendo quis diem eximeret. Ita verò longa principiorum præparatio, et narrationis altè repetita series, et multarum divisionum ostentatio, et mille argumentorum gradus, et quidquid aliud aridissimis Hermagoræ et Apollodori [1] libris præcipitur, in honore erat: quòd si quis odoratus philosophiam, atque ex eâ [2] locum aliquem orationi suæ insereret, in cœlum laudibus ferebatur. Nec mirum: erant enim hæc nova et incognita: et ipsorum quoque oratorum paucissimi præcepta rhetorum, aut philosophorum placita, cognoverant. At herculè pervulgatis jam omnibus, cùm vix in cortinâ [3] quisquam adsistat, qui elementis [4] studiorum et si non instructus, at certè imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiæ itineribus opus est, per quæ orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos judices,

ad cap. 19. De Cassio Severo, orandi valido, seu sordidæ originis et maleficæ vitæ, dictum est supra Annal. IV. 21. Extremis Augusti temporibus et Tiberii principatu floruit. Formam ejus ingenii describit Quintilianus, *Institut. Orat.* X. 1. *Multa, si cum judicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus: qui, si cæteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret. Nam et ingenii plurimum est in eo, et acerbitas mira et urbanitas et vis summa: sed plus stomacho, quàm consilio dedit: præterea ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est.*

[1] *Hermagoræ et Apollodori.* Duo illi rhetores sub Augusto floruere. Immo Apollodorus Augusti præceptor fuit et familiaris. Vide Quintilianum, *Institut. Orat.* III. 1. et Strabonem, XIII. p. 625. Præceptore Apollodoro, cœpit eloquentia in sectas dividi, et evanuit. Adeò infensa infaustaque sectarum studia.

[2] *Atque ex eâ. Atque* omitendum videtur.

[3] *In cortinâ.* De hoc loco eruditus Jos. Scaliger, *Conjectan. in Varronem de Ling. Lat.* p. 127. edit. an. 1581. *Cortina ea est propriè, in quâ lana suffecta succos ebibit. Ab eo usus est metaphorâ Corn. Tacitus in Dialogo, cùm ait in cortinâ esse—quæ enim in cortinâ sunt, nondum penitus imbiberunt succum.* Fortè simpliciùs intelligendum de assistentium auditorumque coronâ. Sic Severus in Ætnâ, v. 294.

Longas emugit buccina voces,
Carmineque irriguo magni cortina theatri:
Imparibus numerosa modis canit arte regentis.

[4] *Qui elementis.* Fortè scriptum olim, *quin.*

qui vi, aut potestate, non jure et legibus cognoscunt, et nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec expectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed sæpe ultro admonent, atque aliò transgredientem revocant, et festinare se testantur.

20. Quis nunc feret oratorem de infirmitate valetudinis suæ præfantem? qualia sunt ferè principia Corvini. Quis quinque in Verrem libros[1] expectabit? Quis de exceptione et formulâ[2] perpetietur illa immensa volumina, quæ pro M. Tullio,[3] aut A. Cæcinâ legimus? Præcurrit hoc tempore judex dicentem, et nisi aut cursu argumentorum, aut colore sententiarum, aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem. Vulgus quoque adsistentium, et adfluens et vagus auditor, adsuevit jam exigere lætitiam, et pulchritudinem orationis; nec magis perfert in judiciis tristem et impexam antiquitatem, quàm si quis in scenâ, Roscii,[4] aut Turpionis Ambivii[5] exprimere gestus velit. Jam verò juvenes, et in ipsâ[6] studiorum incude positi, qui profectûs sui causâ oratores sectantur, non solùm audire, sed etiam referre domum aliquid illustre et dignum memoriâ volunt. Traduntque invicem, ac sæpe

[1] *In Verrem libros.* A Cicerone scriptos, et notissimos.

[2] *De exceptione et formulâ.* Erant actiones de exceptione, nempe ob exceptiones, seu exclusiones, quæ opponebantur, vel adversùs personas, vel adversùs res ipsas, vel adversùs actiones, vel adversùs ipsa judicia. Vide Digest. Lib. XLIV. Tit. 1. de Exceptionibus, præscriptionibus, et præjudiciis. Formula verò dicebatur, quòd in instituendâ actione certis ac præscriptis verbis esset utendum. Vide Cujacium, observat. XXIII. 21.

[3] *Pro M. Tullio.* Periit oratio Ciceronis pro M. Tullio, cam laudat Macrobius, de Differ. et Soc. Græci Latinique verbi, cap. de Tempore perfecto. *Sed Cicero pro Tullio* explicavit *ait*. Extat adhuc oratio pro A. Cæcinâ.

[4] *Roscii.* Roscius, histrio, Syllæ ac Ciceronis gratiâ celeberrimus: adeò acceptus fuit populo Romano, *ut mercedem diurnam de publico mille denarios, Angl. 33l. 6s. 8d. sine gregalibus solus acceperit*, Macrobius, Saturnal. III. 7.

[5] *Turpionis Ambivii.* Cujus meminere Cicero de Senectute, cap. 14. et Symmachus, I. Ep. 25. et X. Ep. 2.

[6] *Et in ipsâ. Et* fortè omittendum.

in colonias ac provincias suas scribunt,[1] sive in suis[2] aliquis argutâ et brevi sententiâ effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit. Exigitur enim jam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii[3] veterno inquinatus, sed ex Horatii, et Virgilii, et Lucani sacrario[4] prolatus. Horum igitur auribus et judiciis obtemperans nostrorum oratorum ætas, pulchrior et ornatior extitit. Neque ideo minùs efficaces sunt orationes nostræ, quia ad aures judicantium cum voluptate perveniunt. Quid enim si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi cæmento, et informibus tegulis exstruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur?[5]

21. EQUIDEM fatebor vobis simpliciter, me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere, nec unum de populo Canuti[6] aut Aride Furnio et Toranio, quique alios in eodem valetudinario hæc ossa et

[1] *Scribunt.* Ad populares suos.

[2] *Sive in suis.* Hìc aliquid excidit. Lipsius tentat *in sensibus suis:* Meliùs Muretus, *sive sensus aliquis.* Vide not. et emend. ad cap. 20.

[3] *Accii aut Pacuvii.* Veterum poetarum, quorum adhuc extant fragmenta. Quintilianus, *Institut. Orat.* x. 1. *Tragœdiæ scriptores Accius atque Pacuvius, clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, et auctoritate personarum.*

[4] *Et Lucani sacrario.* Inde frequentes illæ Horatianæ et Virgilianæ imitationes, quas in libris superioribus adnotavimus. Lucani verò laudes vidimus supra Annal. xv. 49. et xvi. 17.

[5] *Radiantur.* Sic quoque Ovidius, iii. de Ponto, iv. 103.

Bruta sed et galeæ gemmis radientur et auro,
Stentque super victos truncæ trophæa viros.

[6] *Nec unum de populo Canuti.* Locus omnino corruptus, quem, dum quis meliora suadeat, ita supplendum puto, *nec unum de populo, sed rusticum videri, qui Canutio, aut Arrio delectatur, Furniove aut Toranio, quique alios in eodem valetudinario, hæc ossa, et hanc maciem, probant.* Vide not. et emend. ad cap. 21. Porrò C. Canutius memoratur à Suetonio, de claris Rhetoribus, cap. 4. Q. Arrius à Cicerone, de claris Orator. cap. 69. C. Furnius fortè ille ipse ad quem scripsit Tullius, Epist. ad Familiares, x. 25 et 26. Toranius illene puerorum mango, qui Antonio, triumviro, eximiâ formâ pueros duos ducentis sestertiis, *Angl. 1666l. 13s. 4d.* vendidit, ut refert Plinius, vii. 12. an potiùs L. Turius, homo parvi ingenii, sed multi laboris, de quo Tullius, de clar. Orat. cap. 67.

hanc maciem probant. Ipse mihi Calvus, cùm unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in unâ aut alterâ oratiunculâ satisfacit: nec dissentire ceteros[1] ab hoc meo judicio video: quotus enim quisque Calvi in Asitium, aut in Drusum legit? at herculè in hominum studiosorum manibus versantur accusationes, quæ in Vatinium inscribuntur, ac præcipuè secunda ex his oratio: est enim verbis ornata, et sententiis auribus judicum accommodata: ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem quin sublimiùs et cultiùs diceret, sed ingenium ac vires defuisse. Quid? ex Cœlianis orationibus?[2] nempe hæ placent, si non universæ, at partes earum,[3] in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem verborum, et hians compositio, et inconditi sensus redolent antiquitatem: nec quemquam adeò antiquarium puto, ut Cœlium ex eâ parte laudet, quâ antiquus est. Concedamus sanè C. Cæsari,[4] ut propter magnitudinem cogitationum[5] et occupationes rerum, minùs in eloquentiâ effecerit, quàm divinum ejus ingenium postulabat: tam

[1] *Nec dissentire ceteros.* Non ita suffragatur Quintilianus, *Institut. Orat.* x. 1. *Inveni qui Calvum præferrent omnibus, inveni qui Ciceroni crederent, eum nimiâ contra se calumniâ verum sanguinem perdidisse: sed est et sancta et gravis oratio et castigata, et frequenter vehemens quoque. Imitator est autem Atticorum, fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus, non si quid detracturus fuit.* Locum Ciceronis de Calvo vide in Bruto, cap. 82.

[2] *Ex Cœlianis orationibus.* Quintilianus, *Institut. Orat.* x. 1. *Multum ingenii in Cœlio, et præcipuè in accusando multa urbanitas, dignusque vir, cui et mens melior, et vita longior contigisset.*

[3] *Si non universæ, at partes earum.* Vide not. et emend. ad cap. 21.

[4] *C. Cæsari.* Dictatori. Pariter Quintilianus, *Institut. Orat.* x. 1. *C. Cæsar, si foro tantùm vacâsset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cujus propriè studiosus fuit, elegantia.*

[5] *Magnitudinem cogitationum.* Sic Velleius Paterculus, II. 41. Caius Cæsar *animo super humanam et naturam et fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientiâ periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo, simillimus.*

herculè,[1] quàm Brutum philosophiæ suæ relinquamus. Nam in orationibus minorem esse famâ suâ, etiam admiratores ejus fatentur: nisi fortè quisquam [2] aut Cæsaris pro Decio Samnite,[3] aut Bruti pro Dejotaro rege,[4] ceterosque ejusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorumdem miratur: fecerunt enim et carmina, et in bibliothecas [5] retulerunt, non meliùs quàm Cicero, at feliciùs, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios [6] studuisse.[7] Pacuvium certè, et Accium, non solùm tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressit: adeò durus et siccus est. Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in quâ non eminent venæ, nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra, et exsurgit toris,[8] ipsosque nervos rubor tegit et decor commendat. Nolo Corvinum [9] insequi,

[1] *Tam herculè.* Tam herculè Caium Cæsarem suis occupationibus, quàm Brutum Philosophiæ suæ relinquamus. Stoicam philosophiam sectatus est Brutus, multosque de eâ libros scripsit. Inde et Quintilianus, *Institut. Orat.* x. 1. In philosophiâ *egregius, multòque, quàm in orationibus, præstantior Brutus, suffecit ponderi rerum: scias cum sentire, quæ dicit.*

[2] *Nisi fortè quisquam.* Emendandum videtur, *nec fortè quisquam*, ut Gronovio placuit.

[3] *Pro Decio Samnite.* Oratio hæc, ut et alia multa Cæsaris scripta, periit.

[4] *Pro Dejotaro rege. Causam* tamen *Dejotari*, fidelissimi atque *optimi regis, ornatissimè et copiosissimè à Bruto defensam* ait Cicero, de claris Oratoribus, cap. 5. Immo in Epistolis ad Atticum, XIV. 1. tradit Julium Cæsarem *animadvertisse, cùm* Brutus *pro Dejotaro Nicææ dixerit, valdè vehementer eum visum et liberè dicere.* Sed cùm haberetur hic dialogus, aliæ erant Romanorum aures, et ingeniosiores, ac proinde difficiliores.

[5] *Bibliothecas.* Memorantur adhuc infra cap. 37.

[6] *Menenios et Appios.* Menenium Agrippam et Appium Cæcum; de quibus dictum supra cap. 17 et 18.

[7] *Studuisse.* Sic et Quintilianus, *Institut. Orat.* x. 1. *Multa in Asinio Pollione inventio, summa diligentia: adeò ut quibusdam etiam nimia videatur: et consilii et animi satis: à nitore et jucunditate Ciceronis ita longè abest, ut videri possit seculo prior.*

[8] *Exsurgit toris.* Sic Plinius, v. Ep. 8. de oratione et historiâ: *hanc sæpiùs ossa, musculi, nervi; illam tori quidam et quasi jubæ decent.*

[9] *Corvinum.* M. Corvinum Mes-

quia non per ipsum stetit, quominùs lætitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret: viderimus, inquam,[1] judicio ejus vis aut animi, aut ingenii suffecerit.

22. Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum æqualibus suis fuit, quæ mihi vobiscum est. Illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat: nec ullâ re magis ejusdem ætatis oratores præcurrit, quàm judicio. Primus enim excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit, et compositioni artem: locos quoque lætiores attentavit, et quasdam sententias[2] invenit; utique in his orationibus, quas senior jam et juxta finem vitæ composuit, id est, postquàm magis profecerat, usuque et experimentis didicerat, quod optimum dicendi genus est. Nam priores ejus orationes non carent vitiis antiquitatis: lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus, tardè commovetur, rarò incalescit: pauci sensus aptè et cum quodam lumine terminantur: nihil excerpere, nihil referre possis: et velut in rudi ædificio, firmus sanè paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac laudatum patrem familiæ, non eo tantùm volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet: non eâ solùm instrui supellectile, quæ necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu ejus et aurum, et gemmæ,[3] ut

salam; de quo Quintilianus, *Institut. Orat.* x. 1. *At Messala nitidus et candidus, et quodammodò præ se ferens in dicendo nobilitatem suam, viribus minor.* Vide et Plinium, v. Ep. 3.

[1] *Viderimus, inquam.* Pro *inquam*, vel emendandum *in quantum*: eo sensu, licèt Corvinum non insequar, viderimus tamen in quantum judicio ejus vis aut animi, aut ingenii suffecerit: vel fortè legendum, *utinam judicio ejus vis aut animi, aut ingenii sufficeret.* Vide not. et emend. ad cap. 21.

[2] *Sententias.* Sententiarum sensuumque discrimen docet Quintilianus, *Institut. Orat.* viii. 5. *Consuetudo jam tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus: lumina autem, præcipuèque in clausulis posita, sententias.*

[3] *Aurum, et gemmæ.* Insignis locus, quo privatam horum temporum elegantiam et opulentiam docemur.

sumere in manus, et aspicere sæpiùs liceat: [1] quædam verò procul arceantur, ut jam obliterata et olentia: nullum sit verbum velut rubigine infectum, nulli sensus tardâ et inerti structurâ, in morem Annalium,[2] componantur: fugiat fœdam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo terminet.[3]

23. NOLO irridere *rotam fortunæ*,[4] et *jus Verrinum*,[5] et illud tertio quoque sensu[6] in omnibus orationibus pro sententiâ positum, *esse videatur*. Nam et hoc invitus retuli, et plura omisi, quæ tamen sola mirantur atque exprimunt hi, qui se antiquos oratores vocant: neminem nominabo, genus hominum signâsse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos, qui Lucilium pro Horatio,[7] et Lucretium

[1] *Sæpiùs liceat.* Fortè *libeat*, ut Rodolpho Agricolæ et Lipsio placebat.

[2] *Morem Annalium.* Hæc cùm essent veterum Annalium vitia, ab iis ita se vindicavit Tacitus, ut ejus Annalibus nihil sit acrius, vividius, et splendidius.

[3] *Terminet.* Id quoque sapienter monet Quintilianus, *Institut. Orat.* IX. 4. *Verbo sensum cludere, multò, si compositio patiatur, optimum est. In verbis enim sermonis vis inest. At si id asperum erit, cedat hæc ratio numeris, ut fit apud summos Græcos Latinosque oratores frequentissimè.*

[4] *Rotam fortunæ.* Hæc aliaque frigidiora habet Cicero in Pisonem, cap. 10. *Quis te illis diebus sobrium, quis agentem aliquid, quod esset libero dignum, quis denique in publico vidit? cùm collegæ tui domus cantu et cymbalis personaret, cùm ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, cùm illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat.*

[5] *Jus Verrinum.* Ea quoque, à Verris nomine ad jus è verrinâ, seu porcinâ, carne expressum alludens, crepat Cicero in Verrem, I. 46. *Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore: quorum alii, ut audistis, negabant mirandum esse, jus tam nequam esse Verrinum.*

[6] *Tertio quoque sensu.* Sensum hìc et apud Quintilianum, *Institut. Orat.* IX. 4.

[7] *Lucilium pro Horatio.* Quintilianus, *Institut. Orat.* X. 1. *Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modò operis, sed omnibus poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui* Lucilium fluere lutulentum, *et* esse aliquid, quod tollere possis, *putat. Nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque inde acerbitas, et abundè salis. Multò est tersior ac purus magis Horatius, et ad notandos hominum mores præcipuus.*

pro Virgilio[1] legunt: quibus eloquentia tui Aufidii Bassi, aut Servilii Noniani,[2] ex comparatione Sisennæ aut Varronis[3] sordet: qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calvi mirantur: quos more prisco apud judicem fabulantes,[4] non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur: adeò mœsti et inculti, illam ipsam quam jactant sanitatem, non firmitate,[5] sed jejunio, consequuntur. Porrò ne in corpore quidem valetudinem medici probant, quæ animi anxietate contingit, parùm est ægrum non esse, fortem, et lætum, et alacrem volo: prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. Vos verò, disertissimi, ut potestis, ut facitis, illustrate seculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. Nam et te, Messala, video lætissima quæque antiquorum imitantem: et vos, Materne ac Secunde,[6] ita gravitati sensuum nitorem et

[1] *Lucretium pro Virgilio.* Neque adhuc Lucretianus ille favor penitus intercidit. In plurimis quidem eminet Lucretius, at in omnibus fermè Virgilius.

[2] *Aufidii Bassi, aut Servilii Noniani.* De his duobus historiæ scriptoribus Quintilianus, *Instit. Orat.* x. 1. *Servilius Nonianus—ipse à nobis auditus est, clari vir ingenii, et sententiis creber, sed minùs pressus, quàm historiæ auctoritas postulat. Quam, paulum ætate præcedens eum Bassus Aufidius, egregiè, utique in libris belli Germanici, præstitit, genere ipso probabilis in omnibus, sed in quibusdam suis ipse viribus minor.* De Servilio Noniano plura vide supra Ann. vi. 31. et xiv. 19.

[3] *Sisennæ aut Varronis.* Varronem, Romanorum eruditissimum, nemo non novit. Sisenna, idem est, de quo Quintilianus, *Instit. Orat.* i. 5. *Sisenna dixit, assentio.* et viii. 3. *Cæcilius ac Sisenna* primi dixere, *albenti cœlo.* Paucis verò Sisennæ indolem expressit Cicero, de claris Oratoribus, cap. 64. *L. Sisenna, doctus vir, et studiis optimis deditus, benè latinè loquens, gnarus reipublicæ, non sine facetiis: sed neque laboris multi, nec satis versatus in causis.*

[4] *Fabulantes.* Benè. Nam non orabant, sed fabulabantur.

[5] *Non firmitate.* Vide not. et emend. ad cap. 23.

[6] *Secunde.* Quem valdè laudat Quintilianus, *Instit. Orat.* x. 1. *Julio Secundo si longior contigisset ætas, clarissimum profectò nomen oratoris apud posteros foret. Adjecisset enim, atque adjiciebat ceteris virtutibus suis, quod desiderari potest. Id est autem, ut esset multò magis pugnax, et sæpiùs ad curam rerum ab elocutione respiceret. Cæterùm interceptus quoque magnum sibi vindicat locum. Ea est facundia, tanta in explicando, quod velit, gratia: tam candidum,*

cultum verborum miscetis; ea electio inventionis, is ordo rerum, et quotiens causa poscit, ubertas; ea, quotiens permittitur, brevitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis affectus, sic libertatem temperatis, ut etiam si nostra judicia malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint [1] posteri nostri.

24. Quæ cùm Aper dixisset, Agnoscitisne, inquit *Maternus*, vim et ardorem Apri nostri? quo impetu seculum nostrum defendit! quàm copiosè ac variè vexavit antiquos! quanto non solùm ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte, ab ipsis mutuatus est, per quæ mox ipsos incesseret! Tuum tamen, Messala, promissum immutâsse non debes: neque enim defensores antiquorum exigimus, nec quemquam nostrorum, quamquam modò laudati sumus, his, quos insectatus est Aper, comparamus: ac ne ipse quidem ita sentit, sed more veteri, et à vestris philosophis [2] sæpe celebrato, sumsit sibi contradicendi partes. Exprome nobis, non laudationem antiquorum, satis enim illos fama sua laudat, sed causas, cur in tantum ab eloquentiâ eorum recesserimus; cùm præsertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum [3] collegerit.

25. Tum *Messala:* Sequar à te præscriptam formam, Materne: neque enim diu contradicendum est Apro, qui primùm, ut opinor, nominis controversiam movit, tamquam parùm propriè antiqui vocarentur, quos satis constat ante centum annos fuisse. Mihi autem de vocabulo pugna non

et lene, et speciosum dicendi genus: tanta verborum, etiam quæ assumta sunt, proprietas: tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia.

[1] *Dicturi sint.* Rectè enim Quintilianus, *Instit. Orat.* III. 1. *Ad posteros enim virtus durabit, non perveniet invidia.*

[2] *A vestris philosophis.* Academicis scilicet.

[3] *Ratio temporum.* Quam vide supra cap. 17.

est, sive illos antiquos, sive majores, sive quo alio mavult nomine, appellet: dummodò in confesso sit, eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. Ne illi quidem parti sermonis ejus[1] repugno, si quominùs fatetur,[2] plures formas dicendi etiam iisdem seculis, nedum diversis, extitisse. Sed quomodò inter Atticos oratores primæ Demostheni tribuuntur, proximum autem locum Æschines, et Hyperides, et Lysias, et Lycurgus[3] obtinent, omnium autem consensu hæc oratorum ætas maximè probatur: sic apud nos Cicero quidem ceteros eorumdem temporum disertos antecessit: Calvus autem, et Asinius, et Cæsar, et Cœlius, et Brutus, suo jure, et prioribus, et sequentibus anteponuntur: nec refert, quòd inter se specie differant, cùm genere consentiant. Adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cœlius, gravior Brutus, vehementior, et plenior, et valentior Cicero; omnes tamen eamdem sanitatem eloquentiæ ferunt:[4] ut si omnium pariter libros in manus sumseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quamdam judicii ac voluntatis similitudinem et cognationem. Nam quòd invicem se obtrectaverunt, et sunt aliqua epistolis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium, sed hominum. Nam et Calvum, et Asinium, et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere, et livere, et ceteris humanæ infirmitatis vitiis adfici: solùm inter hos arbitror Brutum, non malignitate, nec invidiâ, sed simpliciter, et ingenuè, judicium animi sui detexisse: an invideret Ciceroni,[5] qui mihi videtur ne Cæsari quidem invidisse? Quod ad Ser. Galbam et

[1] *Parti sermonis ejus.* Supra cap. 18.

[2] *Si quominùs fatetur.* Ita veteres editiones. Benè emendabat Illustr. Huetius, *immo nos fatemur*, vel *quominùs fateamur*; ut postulat orationis series.

[3] *Lycurgus.* Lysiæ, Lycurgi, Demosthenis et Hyperidis, celeberrimorum Græciæ oratorum, vitas scripsit Plutarchus, Vol. II. p. 835 et seq.

[4] *Ferunt.* Præ se ferunt, vel libris suis ferunt. Sic fermè supra Hist. II. 65. *lætitiam et gratulationem vultu ferens.*

[5] *An invideret Ciceroni.* Observat Illustr. Huetius: *Brutus*

C. Lælium[1] attinet, et si quos alios antiquorum agitare non desistit, non exigit[2] defensorem, cùm fatear quædam eloquentiæ eorum, ut nascenti adhuc, nec satis adultæ, defuisse.

26. CETERUM si, omisso optimo illo, et perfectissimo genere eloquentiæ, eligenda sit forma dicendi, malim herculè C. Gracchi[3] impetum, aut L. Crassi[4] maturitatem, quàm calamistros Mæcenatis,[5] aut tinnitus Gallionis:[6] adeò

potuit Ciceronis eloquentiam invidere, etsi Cæsari tyrannidem non invideret, quam oderat et damnabat.

[1] *C. Lælium.* De Servio Galbâ dictum supra cap. 18. Eloquentiâ quoque præstitit C. Lælius, consul A. U. C. 614. Sed et ipse antiquior atque horridior: *et, cùm sint in dicendo variæ voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, et libenter verbis etiam uti paulo magis priscis.* Cicero de claris Oratoribus, cap. 21.

[2] *Non exigit.* Illustr. Huetius corrigebat, *non exigit id*, vel *non exigunt.*

[3] *C. Gracchi.* Jam laudati supra cap. 18. Eum *præstantissimo ingenio et flagranti studio* fuisse, nec *quemquam pleniorem et uberiorem ad dicendum* testatur Cicero de claris Oratoribus, cap. 33.

[4] *L. Crassi.* In Crasso *erat*, teste Cicerone, loc. cit. cap. 38. *summa gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis lepos. Latinè loquendi accurata et sine molestiâ diligens elegantia: in disserendo mira explicatio.*

[5] *Calamistros Mæcenatis.* Locum hunc Taciti laudavit Pomponius Sabinus, mediæ ætatis grammaticus. Vide Testimonia Veterum. Mæcenatis autem calamistros notos pariter ac ridiculos facit Seneca, Ep. 114. *Videbis itaque eloquentiam ebrii hominis involutam, et errantem, et licentiæ plenam. Mæcenas in cultu suo. Quid turpius,* "Amne sylvisque "ripâ comantibus?" *Vide ut,* "Alveum lentribus arent, verso-"que vado remittant hortos." *Quid?* "Si quis fœminæ cirro "crispatæ et labris columbatur." *Incipitque suspirans, ut* "cervice "laxâ feratur"—"Nemo tyranni." "Irremediabilis factio." "Riman-"tur epulis, lagenâque tentant mor-"bos, et sæpe mortem exigunt"—"Genium festo vix suo testem." "Tenuis cerei fila, et crepacem "molam"—"Focum mater aut "uxor investiunt." *Non statim, cùm hæc legeris, occurrit, hunc esse, qui, solutis tunicis, in Urbe semper incesserit.* Sed tota hæc epistola omnino legenda. Plena est rerum, et in artis scribendi præceptis eximia.

[6] *Tinnitus Gallionis. Gravitatem* tamen *Gallionis* laudat Sidonius Apollinaris, v. Ep. 10. Sed, corruptâ Sidonii ævo eloquentiâ, gravitas nominabatur oratio antithetis tinniens. Oratoria Gallionis, patris, scripta memorat Quintilianus, *Institut. Orat.* III. 1. Utrum idem sit, ac Junius Gallio, Senecæ frater, de quo supra Annal. XV.

melius est oratorem vel hirtâ togâ induere, quàm fucatis et meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, immo, herculè, ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lasciviâ verborum, et levitate sententiarum, et licentiâ compositionis, histrionales modos exprimant: quodque vix auditu fas esse debeat, laudis, et gloriæ, et ingenii loco plerique jactant, cantari saltarique commentarios suos. Unde oritur illa fœda et præpostera, sed tamen frequens quibusdam exclamatio, ut oratores nostri tenerè dicere,[1] histriones disertè saltare dicantur. Equidem non negaverim Cassium Severum,[2] quem solum Aper noster nominare ausus est, si his comparetur, qui posteà fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magnâ parte librorum suorum plus vis habeat, quàm sanguinis.[3] Primus enim, contemto ordine rerum, omissâ modestiâ, ac pudore verborum, ipsis etiam, quibus utitur, armis incompositus, et studio feriendi plerumque detectus, non pugnat, sed rixatur. Ceterùm, ut dixi, sequentibus comparatus, et varietate eruditionis, et lepore urbanitatis, et ipsarum virium robore, multùm ceteros superat: quorum neminem Aper nominare, et velut in aciem educere sustinuit. Ego autem expectabam, ut incusato Asinio, et Cœlio, et Calvo, aliud novum agmen produceret, pluresque, vel certè totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Cæsari, singulis demum singulos opponeremus. Nunc

73. non satis compertum. Verè autem dixit Quintilianus, *Institut. Orat.* II. 3. *Tumidos, et corruptos, et tinnulos, et quocumque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non virium, sed infirmitatis vitio laborare: ut corpora non robore, sed valetudine inflantur.*

[1] *Tenerè dicere*, Id quoque queritur Plinius, II. Ep. 14. *Pudet referre, quæ, quàm fractâ pronuntiatione dicantur: quibus quàm teneris clamoribus excipiantur. Plausus tantùm, ac sola cymbala et tympana illis canticis desunt.*

[2] *Cassium Severum.* De cujus ingenio vide notuta supra cap. 19.

[3] *Quàm sanguinis.* Benè quidem. Multum enim dabat stomacho, at color et gravitas orationi deerant. Inde plus ei vis aut roboris, quàm sanguinis, aut coloris.

detrectâsse nominatim antiquos oratores contentus, neminem sequentium laudare ausus est, nisi in publicum et in commune. Veritus, credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset: quotus enim quisque scholasticorum[1] non hâc suâ persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed planè post Gabinianum?[2]

27. At ego non verebor nominare singulos, quò faciliùs, propositis exemplis, appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia. Appropera, inquit *Maternus*, et potiùs exsolve promissum: neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me equidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare,[3] paulo antè, planè mitiore eloquentiâ, et temporum nostrorum, miratus,[4] antequàm te Aper offenderet majores tuos lacessendo. Non sum, *inquit*, offensus Aprinâ disputatione; nec vos offendi decebit, si quid fortè aures vestras perstringet; cùm sciatis hanc esse ejusmodi sermonum legem, judicium animi, citra damnum affectûs, proferre. Perge, inquit *Maternus*, et cùm de antiquis loquaris, utere antiquâ libertate, à quâ vel magis degeneravimus, quàm ab eloquentiâ.

28. Et *Messala*, non reconditas, Materne, causas requiris, nec aut tibi ipsi, aut huic Secundo, vel huic Apro ignotas, etiamsi mihi partes adsignatis proferendi in medium, quæ omnes sentimus. Quis enim ignorat et eloquentiam, et ceteras artes, descivisse ab istâ vetere gloriâ, non inopiâ

[1] *Scholasticorum.* Rhetorum, seu rhetorices præceptorum; ut infra cap. 29.

[2] *Post Gabinianum.* Tunc oratoriâ famâ insignem. Eusebius in Chronic. ad VIII. Vespasiani annum: *Gabinianus, celeberrimi nominis rhetor, in Galliâ docuit.*

[3] *Solitum tractare.* Vide supra cap. 15. et mox infra cap. 28 et seq.

[4] *Miratus.* Fortè emendandum *mirati sumus.* Intelligi tamen potest, *miratus sum.* Vide not. et emend. ad cap. 27.

hominum, sed desidiâ juventutis, et negligentiâ parentum, et inscientiâ præcipientium, et oblivione moris antiqui? quæ mala primùm in Urbe nata, mox per Italiam fusa, jam in provincias manant: quamquam nostra nobis notiora sunt. Ego de Urbe, et his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quæ natos statim excipiunt, et per singulos ætatis gradus cumulantur; si priùs de severitate ac disciplinâ majorum circa educandos formandosque liberos pauca prædixero. Jam primùm, suus cuique filius, ex castâ parente natus, non in cellâ emtæ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat, tueri domum, et inservire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis spectatisque moribus omnis ejusdem familiæ soboles committeretur, coram quâ neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modò curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum, sanctitate quâdam ac verecundiâ temperabat. Sic Corneliam Gracchorum,[1] sic Aureliam Cæsaris,[2] sic Atiam[3] Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus: quæ disciplina ac severitas eò pertinebat, ut sincera, et integra, et nullis pravitatibus detorta, uniuscujusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas, et sive ad rem mili-

[1] *Corneliam Gracchorum.* Cicero de clar. Orat. cap. 27. *Fuit Gracchus diligentiâ Corneliæ matris à puero doctus, et Græcis literis eruditus:* deinde cap. 58. *Legimus epistolas Corneliæ, matris Gracchorum: apparet filios non tam in matris gremio educatos, quàm in sermone matris.* De laudibus Corneliæ plura habet Plutarchus in Gracch. p. 836. Ei statua Romæ posita, de quâ Plinius, XXXIV. 6. *Extant Catonis in censurâ vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas poni, Nec tamen potuit inhibere, quò minùs Romæ quoque ponerentur, sicuti Corneliæ Gracchorum matri, quæ fuit Africani* (Scipionis majoris) *prioris filia. Sedens huic posita, soleisque sine amento* (id est, *sine loro*) *insignis, in Metelli publicâ porticu: quæ statua nunc est in Octaviæ operibus.*

[2] *Aureliam Cæsaris.* Aurelia C. Julii Cæsaris, dictatoris, mater. Vide Stem. Cæs. n. 2.

[3] *Atiam.* De Atiâ, Augusti matre, dictum quoque in Stem. Cæs. n. 14.

tarem, sive ad juris scientiam, sive ad eloquentiæ studium inclinâsset, id solum ageret, id universum hauriret.

29. At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis et erroribus [1] teneri statim et rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in totâ domo pensi habet, quid coram infante domino,[2] aut dicat, aut faciat: quandò etiam ipsi parentes nec probitati, neque modestiæ, parvulos adsuefaciunt, sed lasciviæ et libertati; [3] per quæ paulatim impudentia irrepit, et sui alienique contemtus. Jam verò propria et peculiaria hujus Urbis vitia pænè in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor,[4] et gladiatorum equorumque studia: quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? quotum quemque inveneris, qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quandò auditoria intravimus? Ne præceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent: colligunt enim discipulos non severitate disciplinæ, nec ingenii experimento, sed ambitione salutantium,[5] et illecebris adulationis.

[1] *Et erroribus.* Hâc de re, sicut de ceteris omnibus, quæ ad optimam liberorum educationem pertinent, vide Plutarchum, Vol. II. p. 1. Περὶ παίδων ἀγωγῆς.

[2] *Infante domino.* Egregiè Juvenalis, Satyr. XIV. 44.

Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat,
Intrà quæ puer est: procul hinc, procul inde puella
Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, nec tu pueri contemseris annos:
Sed peccaturo obstat tibi filius infans.

Alia plurima et egregia de hoc argumento ibidem vide.

[3] *Libertati.* Libertatem pro licentiâ effrænique libidine usurpavit quoque Tullius.

[4] *Histrionalis favor.* Qui Romæ vigebat maximè. Inde Petronius in Satyrico, cap. 5. studiosum juvenem monet,

Neve plausor in scenâ
Sedeat redemtus histrionæ addictus.

[5] *Ambitione salutantium.* Malè, *salutantium.* Optimè emendant Acidalius, Schelius et Schultingius, *salutationum.* Præceptores enim salutabant parentes, liberis adulabantur, sicque discipulos colligebant.

Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parùm elaboratur: nec in auctoribus cognoscendis, nec in evolvendâ antiquitate, nec in notitiâ vel rerum, vel hominum, vel temporum, satis operæ insumitur: sed expetuntur, quos rhetoras vocant: quorum professio quandò primùm in hanc Urbem introducta sit, quamque nullam apud majores nostros auctoritatem habuerit, statim docuero.[1]

30. REFERAM necesse est animum ad eam disciplinam, quâ usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor, et quotidiana meditatio, et in omni genere studiorum exercitationes, ipsorum etiam continentur libris. Notus est nobis utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur,[2] in cujus extremâ parte, (nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua initia, suos gradus, suæ eloquentiæ velut quamdam educationem refert: se apud Q. Mucium[3] jus civile didicisse; apud Philonem Academicum,[4] apud Diodotum Stoicum[5] omnes philosophiæ partes penitus hausisse: neque his doctoribus contentum,[6] quorum ei copia in Urbe contigerat, Achaiam quoque et Asiam pera-

[1] *Statim docuero.* Vide infra cap. 35.

[2] *Brutus inscribitur.* Extat adhuc liber optimus, nec umquam satis laudandus legendusque, qui *Brutus*, seu *de claris Oratoribus*, inscribitur.

[3] *Q. Mucium.* Quintum Mucium Scævolam; de quo Cicero, *de claris Orat.* cap. 89. *Ego autem, juris civilis studio, multùm operæ dabam Q. Scævolæ, P. F.* Memoratur quoque in Digest. Libr. 1. Tit. 2. de Origine Juris, Leg. 2. ex Pomponio, n. 45.

[4] *Philonem Academicum.* Cicero, loc. cit. *Eodemque tempore, cùm princeps Academiæ Philo—Romam venisset, totum ei me tradidi.*

[5] *Diodotum Stoicum.* Quem laudat Cicero, ibid. cap. 90. *Eram cum Stoico Diodoto—à quo cùm in aliis rebus, tum studiosissimè in dialecticâ exercebar.*

[6] *Contentum.* Cicero, ibid. cap. 91. *Itaque cùm essem biennium versatus in causis, et jam in foro celebratum meum nomen esset, Româ sum profectus. Cùm venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiæ nobilissimo et prudentissimo philosopho, fui. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiosè exercere volebam. Post à me Asia tota peragrata est, cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis labentibus.*

grâsse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Itaque herculè in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriæ, non musicæ, non grammaticæ, non denique ullius ingenuæ artis scientiam ei defuisse. Ille dialecticæ[1] subtilitatem, ille moralis partis[2] utilitatem, ille rerum motus causasque cognovit: ita enim est, optimi viri, ita ex multâ eruditione, ex pluribus artibus, et omnium rerum scientiâ, exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia: neque oratoris vis et facultas, sicut ceterarum rerum, angustis et brevibus terminis cluditur: sed is est orator, qui de omni quæstione pulchrè, et ornatè, et ad persuadendum aptè dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit.

31. Hæc sibi illi veteres persuadebant: ad hæc efficienda intelligebant opus esse, non ut rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad veritatem accedentibus, controversiis[3] linguam modò et vocem exercerent, sed ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo et injusto disputatur. Hæc enim est oratori subjecta ad dicendum materia. Nam in judiciis ferè de æquitate, in deliberationibus de honestate dicimus, ita ut plerumque hæc ipsa invicem misceantur: de quibus copiosè, et variè, et ornatè nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam, et vim virtutum, pravitatemque vitiorum, et intellectum eorum, quæ nec in virtutibus, neque in vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam

[1] *Dialecticæ.* De quâ Quintilianus, *Institut. Orat.* XII. 2. *Hæc pars dialectica, sive illam dicere malimus disputatricem, est utilis sæpe et finitionibus, et comprehensionibus, et separandis, quæ sunt differentia, et resolvenda ambiguitate, et distinguendo, dividendo, illiciendo, implicando.—Jam quidem pars illa moralis, quæ dicitur Ethicè, certè tota oratori est accommodata.*

[2] *Moralis partis.* Cicero, de Fato, cap. 1. *Nos eam partem philosophiæ, de moribus appellare solemus: sed decet augentem linguam Latinam nominare moralem.*

[3] *Controversiis.* Quales adhuc extant Senecæ controversiæ, et Quintiliani declamationes.

illa profluunt, ut faciliùs iram judicis vel instiget, vel leniat, qui scit quid ira; promtiùs ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia, et quibus animi motibus concitetur. In his artibus[1] exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos, sive apud cupidos, sive apud invidentes, sive apud tristes, sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit habenas animorum: et prout cujusque natura postulabit, adhibebit manum, et temperabit orationem, parato omni instrumento, et ad omnem usum reposito. Sunt apud quos adstrictum, et collectum, et singula statim argumenta concludens dicendi genus, plus fidei meretur: apud hos dedisse operam dialecticæ proficiet. Alios fusa, et æqualis, et ex communibus ducta sensibus oratio, magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur à Peripateticis[2] aptos, et in omnem disputationem paratos jam locos.[3] Dabunt Academici pugnacitatem,[4] Plato altitudinem, Xenophon jucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes[5] adsumere, hisque, prout res poscet, uti, alienum erat oratori: neque enim sapientem informamus, neque Stoicorum civitatem, sed eum, qui non quasdam artes audire,[6] sed omnes liberaliter debet. Ideoque et juris

[1] *His artibus.* Nec aliter Petronius, in Satyrico, cap. 5.

Mox et Socratico plenus grege, mittat habenas
Liber, et ingentis quatiat Demosthenis arma.

[2] *Mutuabimur à Peripateticis.* Vide not. et emend. ad cap. 31.

[3] *Paratos jam locos.* His de locis libros octo Topicorum edidit Aristoteles, Peripateticorum princeps. Vide et Ciceronem, Topic. cap. 1 et 2.

[4] *Academici pugnacitatem.* Academicis enim *mos* est *in utramque partem disserendi;* quod *ad exercitationem forensium causarum proximè* accedit. Quintilianus, *Institut. Orat.* XII. 2. Quænam philosophiæ secta magis ad eloquentiam conferat ibi expendit. Peripateticam et Academicam anteponebat Cicero, Libr. III. de Oratore.

[5] *Honestas quasdam exclamationes.* Exclamationes illas ἀνακραυγάσματα ἱερὰ appellabat Epicurus, iisque sæpissimè utebatur. Exempla suppeditat vita Epicuri apud Diogenem Laertium, libr. 10. Vide quoque notas Casauboni, cap. 5. Metrodorus autem discipulus fuit Epicuri. Utriusque herma, conjunctis capitibus, repertus est anno 1743. Romæ in Liberianæ Basilicæ fundamentis, ut docet P. Galeotti, *Ficoroni Gemmæ illustratæ*, p. 136.

[6] *Artes audire.* Veriùs, *adire.*

civilis scientiam veteres oratores comprehendébant, et grammaticâ, musicâ, et geometriâ imbuebantur. Incidunt enim causæ plurimæ quidem, ac pænè omnes, quibus juris notitia desideratur: pleræque autem, in quibus hæ quoque scientiæ requiruntur.

32. Nec quisquam respondeat sufficere ut ad tempus simplex quiddam [1] et uniforme doceamur. Primùm enim aliter utimur propriis, aliter commodatis: longèque interesse manifestum est, possideat quis quæ profert, an mutuetur. Deinde ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque ubi minimè credas, eminet et excellit. Idque non doctus modò et prudens auditor, sed etiam populus intelligit: ac statim ita laude prosequitur, ut legitimè studuisse, ut per omnes eloquentiæ numeros îsse, ut denique oratorem etiam fateatur: quem non posse aliter exsistere, nec extitisse umquam confirmo, nisi eum, qui, tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit: quod adeò negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum fex quoque quotidiani sermonis, fœda ac pudenda vitia deprehendantur, ut ignorent leges, non teneant senatusconsulta, jus civitatis ultro derideant: sapientiæ verò studium et præcepta prudentium penitus reformident, in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam, velut expulsam regno suo: ut quæ olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, pænè dixerim sine ingenuitate,[2] quasi una ex sordidissimis artificiis, discatur. Ego hanc primam et præcipuam causam arbitror, cur tantum ab eloquentiâ antiquorum oratorum recesserimus. Si testes desi-

[1] *Simplex quiddam.* Sufficere ut, cùm tempus resque postulant, simplicia quædam et uniformia artium principia à peritis doceamur.

[2] *Sine ingenuitate.* Ingenuitas servituti opponitur. *Ingenui sunt, qui ex matre liberâ nati sunt,* Digest. Libr. 1. Tit. 5. de Statu hominum. Leg. 5. ex Marciano.

derantur, quos potiores nominabo, quàm apud Græcos Demosthenem? quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriæ proditum est.[1] Et Cicero, his, ut opinor, refert verbis, *quidquid in eloquentiâ effecerit, id se non rhetorum, sed Academiæ spatiis consecutum.* Sunt aliæ causæ magnæ et graves, quas à vobis aperiri æquum est, quoniam quidem ego jam meum munus explevi, et, quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi: qui si fortè hoc audirent,[a] certum habeo dicturos, me, dum juris et philosophiæ scientiam, tamquam oratori necessariam, laudo, ineptiis meis plausisse.

33. Et *Maternus*, mihi quidem, inquit, susceptum à te munus adeò peregisse nondum videris, ut inchoâsse tantùm, et velut vestigia ac lineamenta quædam ostendisse videaris. Nam quibus instrui veteres oratores soliti sint, dixisti, differentiamque nostræ desidiæ et inscientiæ adversùs acerrima et fœcundissima eorum studia demonstrâsti: cetera expecto, ut, quemadmodùm ex te didici quid aut illi scirent, aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus juvenes, jam et forum ingressi, confirmare et alere ingenia sua soliti sint: neque enim arte et scientiâ, sed longè magis facultate[3] eloquentiam contineri, nec tu, puto, abnues, et hi significare vultu videntur. Deinde cùm Aper quoque et Secundus idem annuissent, *Messala*, quasi rursus

[1] *Memoriæ proditum est.* Idem prodit Quintilianus, *Institut. Orat.* XII. 2. Constat *Demosthenem, principem omnium Græciæ oratorum, dedisse operam Platoni. Nam M. Tullius, non tantum se debere scholis rhetorum, quantum Academiæ spatiis, frequenter ipse testatus est. Neque se tanta in eo umquam fudisset ubertas, si ingenium suum concepto fori, non ipsius naturæ finibus terminâsset.*

[a] *Hoc audirent.* Malim, *fortè hæc audierint.*

[3] *Facultate.* Facultate dicendi. Sic ab Asinio Pollione egregiè dictum: *Commodè agendo factum est, ut sæpe agerem: sæpe agendo, ut minùs commodè: quia scilicet assiduitate nimia facilitas magis quàm facultas, nec fiducia, sed temeritas paratur.* Facultatem quoque pro extemporali dicendi facilitate usurpavit Quintilian. *Instit. Orat.* II. 4.

incipiens: Quoniam initia et semina veteris eloquentiæ satis demonstrâsse videor, docendo quibus artibus antiqui oratores institui erudirique soliti sint, persequar nunc exercitationes eorum, quamquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot reconditas, aut tàm varias res potest, nisi ut [1] scientiæ meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiæ accedat: per quæ colligitur eamdem esse rationem, et percipiendi, quæ proferas, et proferendi, quæ perceperis: sed si cui obscuriora hæc videntur, isque scientiam ab exercitatione separat, id certè concedet, instructum et plenum his artibus animum, longè paratiorem ad eas exercitationes venturum, quæ propriæ circa oratoriam [2] videntur.

34. Ergo apud majores nostros juvenis ille, qui foro et eloquentiæ parabatur, imbutus jam domesticâ disciplinâ, refertus honestis studiis, deducebatur à patre, vel à propinquis, ad eum oratorem, qui principem in civitate locum obtinebat: hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus adsuescebat, ita ut altercationes quoque excipere, et jurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in prælio disceret: magnus ex hoc usus, multum constantiæ, plurimum judicii juvenibus statim contingebat, in mediâ luce studentibus, atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impunè stultè aliquid, aut contrariè dicit, quominùs et judex respuat, et adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur verâ statim et incorruptâ eloquentiâ imbuebantur: et quamquam unum sequerentur, tamen omnes ejusdem ætatis patronos in plurimis et causis et judiciis cognoscebant: habebantque ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex quâ facilè deprehenderent quid in quoque vel probaretur,

[1] *Nisi ut.* Mallet Illustr. Huetius, *nisi et.*

[2] *Propriæ circa oratoriam.* Emendandum videtur, *propriæ oratorum.* Vide not. et emend. ad cap. 33.

vel displiceret. Ita nec præceptor deerat optimus quidem, et electissimus, qui faciem eloquentiæ, non imaginem præstaret: nec adversarii [1] et æmuli, ferro, non rudibus [2] dimicantes: sed auditorium semper plenum, semper novum, ex invidis et faventibus, ut nec benè dicta [3] dissimularentur. Scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiæ famam non minùs in diversis subselliis parari, quàm suis: quinimmo constantiùs surgere ibi, fideliùs corroborari. Atque herculè sub ejusmodi præceptoribus juvenis ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator judiciorum, eruditus et adsuefactus alienis experimentis, cui, quotidie audienti, notæ leges, non novi judicum vultus, frequens in oculis consuetudo concionum, sæpe cognitæ populi aures, sive accusationem susceperat, sive defensionem, solus statim et unus [4] cuicumque causæ par erat. Nonodecimo [5] ætatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo [6] Cæsar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio

[1] *Nec adversarii.* Nec deerant adversarii et æmuli, qui ferro, non rudibus dimicabant.

[2] *Non rudibus.* Rudis, erat virga, quâ gladiatorum tirones exercebantur, antequàm ferro mucronibusque dimicarent.

[3] *Nec benè dicta.* Emendabat Rodolphus Agricola, *Nec benè nec malè dicta.* Ad sensum appositè.

[4] *Solus statim et unus.* Benè Illustr. Huetius: *Non hoc sibi vult nullum alium præter ipsum cuicumque causæ parem fuisse, sed quamcumque causam ad eum detulisses, solum ipsum, nullo in subsidium assumto, nullius advocato auxilio, sustinere ipsam potuisse.*

[5] *Nonodecimo.* Error aliquis in numeris irrepsit. Natus est enim L. Crassus, teste Cicerone de clar. Orat. cap 43. Q. Cæpione et C. Lælio consulibus, A. U. C. 614. Consul fuit C. Papirius Carbo A. U. C. 634. Anno sequenti Carbonem accusavit Crassus annos natus unum et viginti, ut ipse testatur apud Ciceronem, Libr. III. de Oratore, cap. 74. ipse *omnium maturrimè ad publicas causas* accessi, *annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in judicium* vocavi. Posteà maturiùs oratum fuisse testis est Plinius, v. Ep. 8. qui *undevicesimo ætatis anno dicere in foro* cœpit. Nobis quoque non defuere præmaturæ eloquentiæ exempla. Visus est superiore seculo Jacobus Corbin, quem senatus Parisiensis in album advocatorum retulit annos tantum tredecim natum: primam causam publicè egit die primâ mensis Aprilis, anno 1632. ætatis suæ quartodecimo.

[6] *Uno et vicesimo.* Julius Cæsar natus est A. U. C. 654. Cornelium Dolabellam, consularem et

C. Catonem, non multò ætate antecedens Calvus Vatinium,[1] iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.

35. At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum,[2] qui rhetores vocantur: quos paulo ante Ciceronis tempora[3] extitisse, nec placuisse majoribus nostris, ex eo manifestum est, quòd, L. Crasso et Domitio[4] censoribus, cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiæ[5] jussi sunt. Sed, ut dicere institueram, deducuntur in scholas, quibus, non facilè dixerim, utrùmne locus ipse, an condiscipuli, an genus studiorum plus mali ingeniis adferant.

triumphalem virum, repetundarum postulavit A.U.C. 677. ut videtur ex Suetonio in Jul. IV. et ex Plutarcho in Jul. p. 708. Ergò tunc viginti tres, aut viginti quatuor annos natus erat Cæsar.

[1] *Calvus Vatinium.* De Calvo dictum supra cap. 17. Is Vatinium de ambitu accusavit. Paucis Quintilianus, *Institut. Orat.* XII. 6. *Calvus, Cæsar, Pollio, multùm ante quæstoriam omnes ætatem gravissima judicia* susceperunt.

[2] *Scenas scholasticorum.* Benè Lipsius: *Appositè scenas appellat, loca in quibus fucata illa et personata eloquentia exercetur velut per lusum.*

[3] *Ciceronis tempora.* Rhetores Româ pulsi sunt Valerio Messalâ et Fannio Strabone, consulibus, A.U.C. 593. Gellius, XV. 11. Natus est verò Tullius, Q. Cæpione et Q. Serrano, consulibus, A.U.C. 648. teste eodem Gellio, XV. 28.

[4] *L. Crasso et Domitio.* A.U.C. 662. censores fuere Lucius Licinius Crassus et Cneius Domitius Ahenobarbus: quorum memoria extat in nummis familiæ Domitiæ, L. LIC. CN. DOMIT. Eorum decretum de rhetoribus refert Suetonius, de clar. Rhet. cap. 1. *Renuntiatum est nobis esse homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt: ad quos juventus in ludos conveniat: eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras: ibi homines adulescentulos totos dies desidere. Majores nostri, quæ liberos suos discere, et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quâpropter et iis qui eos ludos habent, et iis qui eò venire consueverunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, Nobis non placere.* Vide et Gellium, XV. 11.

[5] *Ludum impudentiæ.* Cicero, Libr. III. de Oratore, cap. 94. L. Crassum hâc de re ita loquentem inducit: *Hos verò novos magistros* nihil *intelligebam posse docere, nisi ut auderent: quod, etiam cum bonis rebus conjunctum, per seipsum est magnoperè fugiendum. Hoc cùm unum traderetur, et cùm impudentiæ ludus esset, putavi esse censoris, ne longiùs id serperet, providere.*

Nam in loco nihil reverentiæ, sed in quem nemo nisi æquè imperitus intrat. In condiscipulis nihil profectûs, cùm pueri inter pueros, et adolescentuli inter adolescentulos, pari securitate et dicant, et audiantur. Ipsæ verò exercitationes magnâ ex parte contrariæ. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetores tractantur, suasoriæ, et controversiæ.[1] Ex iis suasoriæ quidem, etsi tamquam planè leviores et minus prudentiæ exigentes, pueris delegantur; controversiæ robustioribus adsignantur, quales per fidem,[2] et quàm incredibiliter compositæ! Sequitur autem ut materiæ, abhorrenti à veritate, declamatio quoque adhibeatur. Sic fit ut tyrannicidarum præmia,[3] aut vitiatarum electiones,[4] aut pestilentiæ remedia,[5] aut incesta matrum, aut quidquid in scholâ quotidie agitur, in foro vel rarò, vel numquam, ingentibus verbis persequantur: cùm ad veros

[1] *Suasoriæ, et controversiæ.* Extant adhuc M. Annæi Senecæ, rhetoris, suasoriarum liber unus, controversiarum libri decem.

[2] *Per fidem.* Exclamatio, ut *proh fidem! Dii!*

[3] *Tyrannicidarum præmia.* Præmia, quæ, occiso tyranno, tyrannicidæ petebant. Hujus argumenti, eorumque quæ sequuntur, quæque adolescentibus proponi numquam debuissent, exempla manent plurima in Senecæ, Quintiliani et Calpurnii Flacci declamationibus.

[4] *Vitiatarum electiones.* Frequens enim in his scholis declamationum materia, raptæ, quæ raptoris mortem, vel nuptias optabant. Inde vitiatarum electiones.

[5] *Pestilentiæ remedia.* Absurda hæc argumenta jam exsibilaverat Petronius in Satyrico, cap. 1. *Ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quæ in usu, habemus, aut audiunt, aut vident, sed piratas cum catenis in littore stantes, et tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis ut patrum suorum capita præcidant; sed responsa in pestilentiam data, ut virgines tres aut plures immolentur, sed mellitos verborum globulos, et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa. Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quàm benè olere qui in culinâ habitant.* Talia quoque et absurda argumenta repudiavit Quintilianus, *Institut. Orat.* II. 10. *Sint ergò et ipsæ materiæ, quæ fingentur, quàm simillimæ veritati. Nam magos, et pestilentium, et responsa, et sæviores tragicis novercas, aliaque magis adhuc fabulosa, frustra inter sponsiones et interdicta quæremus.* Fingebant enim isti rhetores pestilentiæ tempore adiri oracula, vates consuli, responderi immolandam virginem, aliave similia, quæ mirum in modum exaggerabant.

judices ventum est,[1] [juvenes, puerilibus institutis[2] sine ullâ privati publicique juris experientiâ per plures annos innutriti, nihil afferunt quod fori dignitatem deceat, aut clientium alat utilitates. At vitia, quæ umbratici doctores[3] iis infudere, irreverenter et temerè explicant. Hinc, si præceptorem audaciâ turgidum fuerint nacti, hos videas altâ cervice, torvis oculis, plenis buccis, superboque totius corporis habitu declamationum portenta cum inani verborum fragore crepantes. Contra si iis fuerit doctor ex illo mellitorum hominum grege, qui fucatæ artis lenociniis ingenii famam aucupantur, crispantes cernas adolescentulos, qui renidenti vultu, fractâ pronuntiatione, gestu supplici verba suspendant, sententias intricent, argutias agglomerent, seque ad omnes scenicas artes vertant, quibus fucum faciant, atque sui admirationem moveant.

II. HISTRIONICA hâc institutione eloquentiam perdidimus, quæ non venalibus præceptis, sed egregiâ naturâ in libertatem pronâ et ad quosvis motus paratâ, bonâ mente recti verique studiosâ, magnis exemplis, plurimâ legum scientiâ, fervidâ civium patriæque caritate, longâ ac severâ[4]

[1] *Ventum est.* Hìc multa perìere: extrema scilicet sermonis Messalæ, integra Julii Secundi oratio: initia quoque periere in sermone Materni, ad quem hæc referas, *rem cogitare, nihil humile*, &c. Vide not. et emend. ad cap. 35. Ne hiulca maneret pars illa dialogi utilissima, et oratoriam artem ex usu Romanorum hujusque seculi moribus explicarem, opus fuit defectum hunc supplere.

[2] *Juvenes puerilibus institutis.* Hæc prima sunt Supplementi nostri verba, quæ satis indicat ipsa dialogi series.

[3] *Umbratici doctores.* Umbraticos illos doctores eorumque vitia irridet Petronius initio Satyrici et Plinius Ep. II. 14.

[4] *Longâ ac severâ.* Hæc vitia arguit Petronius, loc. cit. *Parentes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severâ lege proficere. Primùm enim sicut omnia, spes quoque suas ambitione donant: deinde cùm ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt, et eloquentiam, quâ nihil esse majus confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus. Quod si paterentur laborum gradus fieri, ut studiosi juvenes lectione severâ mitigarentur, ut sapientiæ præceptis animos componerent, ut verba atroci stylo effoderent, ut quod vellent imitari diu audirent, sibi nihil esset magnificum quod pueris placeret.*

cùm cogitandi, tum scribendi ac dicendi exercitatione formatur et perficitur. Hæc dum apud nos viguere, floruit simul eloquentia. Ubi senescere cœpere, paulatim quoque eloquentia relanguit; adventitiisque vitiis obruta, jacet consepulta, nec umquam, (utinam me mea fallat opinio) resurget. Constat enim ætatum artiumque omnium experientiâ à modicis et rudibus initiis ad summum perfectumque evectas fuisse bonas hominum mentes: ab illo autem perfectionis apice si semel exciderint, humanarum virium humanæve sortis non esse, unde descensum est regredi.

III. MESSALA, cùm hæc acri intentione dixisset, ad Maternum et Secundum conversus,[1] vestrum est, inquit, altiores illas rerum vices, aut si qua alia est causa cur ab eloquentiâ deflexerimus, evolvere. Tibi enim, Materne, pro poetico tuo jure, credita Deûm arcana. Te, Secunde, quidquid in foro reconditum docuere longa experientia ingensque gloria. Tum subridens *Maternus*, à te, Messala, impositas, à nobis susceptas partes exsequemur. At, licèt me Deûm interpretem dixeris, prior tamen Secundus sententiam suam aperiat. In his enim, quas tractamus, quæstionibus explicandis, plus valet usus et meditatio, quàm vel divinus numinum afflatus.

IV. OBSEQUAR, inquit *Secundus:* idque tanto libentiùs præstitero, quòd Messalæ sententiam potiùs sum confirmaturus, quàm novam meamque inducturus. Semper enim existimavi, ut pictores à pictoribus, poetas à poetis, sic oratores ab oratoribus esse instituendos; multùmque vitii esse in scholis rhetorum,[2] qui se doctores eloquentiæ profitentur,

[1] *At Maternum et Secundum conversus.* Id postulat superior dialogi pars.

[2] *In scholis rhetorum.* Inde Petronius, loc. cit. *Pace vestrâ liceat dixisse, primi omnem eloquentiam perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quædam excitando effecistis, ut corpus orationis enervarctur et cadcret—*

quam numquam novere, aut si novere, numquam discipulis sunt tradituri, cùm scholarum tædiis vel decora præceptorum ingenia deterantur, discipulorum obruantur. Lentiùs tamen mutata fuisset veteris eloquentiæ forma, si sola ingruissent scholarum vitia. At ubi supervenere pessima exempla, juvenum licentia, popularisque assentatio, tum eloquentia præcipiti casu in exitiabilem irreparabilemque ruinam prolapsa est; nosque ad eas, quibus nunc coarctamur, diserti sermonis angustias fuimus detrusi. Quàm autem pessimis exemplis id fuerit factum ipsi vidistis.

V. Illorum enim temporum meministis, quibus hæc civitas famæ, quam armis literisque paraverat, pertæsa, intentatas iniit vias, ut non majorum, sed suis, laudibus celebraretur. Reipublicæ libertas in Principum dominationem cesserat, eorumque artibus cavebatur, ut fastiditâ externâ vetereque gloriâ toti ad domesticas novasque delicias converteremur. Dum in hæc otia resolvimur, et suum quisque ingenium miris modis contorquet, quibus ignotos ad gloriam aditus aperiat, omnes vicit infelix L. Annæi Senecæ[1] facilitas. Absit à me inhonesta hæc malignitas, ut veras viri laudes deteram. Egregia in eo sapientiæ studia, nec fractum malorum Principum odiis animum ipse suspexi semperque suspiciam. At neque veritas patitur ut, quam perniciem eloquentiæ intulerit, dissimulem.

VI. Ceterum naturâ fortunâque paratus fuit Seneca, ut eam literis mutationem inveheret. Copiosum enim illi erat ingenium, molle, amœnum, eruditio multiplex, majorque commendatio ex sapientiæ studiis, quæ numquam plus lau-

Grandis, et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa, nec turgida, sed naturali pulchritudine exturgit. Nuper ventosa ista et enormis loquacitas Athenas ex Asiâ commigravit, &c.

[1] *L. Annæi Senecæ.* Ejus virtutes vitiaque diligenter notavit Quintilianus, *Institut. Orat.* x. 1.

dis obtinent, quàm cùm mores periere. Usus et seculi sui auribus, dicendi genus attemperavit facile, breve, sermoni proximum, verbis circumcisum, sententiis frequens, et jugi vitiorum insectatione ad admirationem compositum. Mirum ut placuit nova hæc orationis species,[1] in quâ cuivis obvia semperque expedita ingenii ac virtutis ostentatio. Forum Senecæ laudibus statim personuit. Incensa ad imitandum omnium studia. Super hæc adfuit fortuna, quæ eum aulæ deliciis, fortè et libidinibus immiscuit. Subsecuta mox Caii Cæsaris invidia, deinde pericula, quibus æquè inclaruit. Novissimum tandem ac maximum celebritatis adjumentum Nero Princeps discipulus, pòst interfector, ingenii famæ pondus et splendorem addidere. Tum puduit eloquentiæ, quæ apud animos novitatis furore circumactos non modò nihil pristinæ dignitatis retinebat, sed cujus etiam ars cultusque in ludibria verterant. Favebat adhuc temporum ratio, quibus virtus erat pavida, sceleri nihil illicitum. Utrique contraria eloquentia, quæ huic lentior, illi invalidior videbatur. Juvit ergò in hâc temporum acerbitate verbis parcere, præcipitare sensus, momento exitium inferre aut avertere, et, si esset pereundum, insigni dicto notescere. His dulcibus Senecæ vitiis tantisque fortunæ varietatibus victa est eloquentia, et diserti sermonis invecta necessitas.

VII. MUTATIS tamen posteà temporibus, cùm vigilantissimus Vespasianus, priscæ virtutis quâ sese Romana res in summum laudis fastigium olim extulit observantissimus, publicam tranquillitatem simul et libertatem restituit, studiis addidit decus et emolumentum, illuxit spes emendari posse fori ingenia. Conspirabat non modò voluntas Principis,

[1] *Nova hæc orationis species.* Ita placuit Senecæ ingenium, ut posteà ii ipsi, qui Ciceronem laudabant, et eloquentiæ laudem affectabant, in Senecæ imitationem semper recíderent, ejusque flosculos sectarentur. Nec umquam, dum adhuc stetit Romanum imperium, revixit eloquentia.

qui optima quæque laudibus et præmiis promovebat: aderant quoque ejus filiorum[1] exempla, dum literarum monumentis generis sui nobilitatem, partamque bellis gloriam amplificant. At præterquàm quòd vitiata semel ingenia, plerumque sunt inemendabilia, quominùs emendarentur obstitit juvenilis licentia et popularis favor. Vobis enim compertum est quàm audacter, post prostratam forensem eloquentiam, eruperit juvenum licentia. Nihil modesti, nihil antiqui moris fuit reliquum. Antè ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente,[2] qui eos ostenderet foro, adsignaret famæ. Ubi autem exarsit licentia, refractis pudoris et reverentiæ claustris, omnia omnibus patuere. Juvenes sine fautore, sine commendatore, solâ suâ audaciâ confisi, non inducuntur, sed irrumpunt. Non eos moratur loci majestas, legum sanctitas, officii dignitas: ne eos quidem movet novitatis et tenuitatis suæ conscientia. Quanto quis obscurior, tanto est arrogantior.

VIII. In hâc mali summâ unicum supererat subsidium, famæ periculum. Leve illud et extremum præsidium infregit Largius Licinius.[3] Is enim, ne fama foret in ancipiti, primus auditores corrogavit, pretio implevit subsellia, ingenti coronâ se accinxit, infinitos clamores conduxit. Quos cùm audiisset Domitius Afer,[4] forense artificium periisse exclamavit. Perire quidem cœperat, nunc verò prope funditùs extinctum et eversum est. Nam si paucos exceperis, quos excelsa mens à liberalibus honestisque studiis nondum

[1] *Ejus filiorum.* Titi et Domitiani. Uterque literarum studiis *inclaruit.*

[2] *Aliquo consulari producente.* Hæc quidem fusè explicat Plinius, Ep. II. 14. Eumdem eâ de re adhuc vide Ep. VIII. 14.

[3] *Largius Licinius.* Plinius, Ep. II. 14. *Primus hunc audiendi morem induxit Largius Licinius: huctenus tamen, ut auditores corrogaret. Ita certè ex Quintiliano, præceptore meo, audisse memini.*

[4] *Domitius Afer.* Jam sæpe laudatus. Vide et supra Annal. IV. 52. et XIV. 19.

retraxit, ceteros omnes sequuntur auditores, actoribus similes, conducti et redemti[1] mancipes. Convenitur in mediâ basilicâ, ubi tam palam sportulæ, quàm in triclinio dantur. Ex judicio in judicium pari mercede transitur. Græcâ quidem Latinâque linguâ tantam fœditatem notavimus; et, ob novam infamiam, novis excogitatis nominibus σοφοκλεῖς illos et *laudicenos*[2] irrisimus. Quibus tamen jocularibus dicteriis vitium non sustulimus; sed, quod vulgò contingit, celebritatem fiduciamque ei addidimus.

IX. Inde crescit in dies indignitas; nec tantùm ingenui, sed et servi, vix pueritiam egressi, ad laudandum trahuntur: nec intelligentes, aut intelligentibus similes, sed ne audientes quidem, maximè si quis imperitissimus, ideoque laudum avidissimus juvenis ad dicendum accesserit, basilicas implent clamoribus, aut potiùs ululatibus. Neque enim alio vocabulo potest exprimi theatris quoque indecora laudatio. Quæ cùm reputo fori nostri propudia, haud miror, Materne,[3] te jam dudum receptui cecinisse, et, cùm perierit forensis gloria, te Musis totum te addixisse. Id unum oro, quoniam nostræ disputationi, de causis corruptæ apud nos eloquentiæ finem impositurus es, addas velim utrùm tibi sit meliorum temporum spes, et quæ possit esse emendationis ratio doceas.

[1] *Conducti et redemti.* Nomenclatores suos tenis denariis, *Angl.* 2*s.* ad laudandum tractos memorat Plinius, Ep. II. 14. Tam exiguâ mercede parabatur apud imperitos disertissimi fama. Penes autem peritos tanto major erat contemtus. Unde Plinius, ibid. *Scito eum pessimè dicere, qui laudabitur maximè.*

[2] *Laudicenos.* Plinius, ibid. *Inde jam non inurbanè σοφοκλεῖς vocantur: iisdem Latinum nomen impositum est laudiceni: et tamen crescit in dies fœditas utrâque linguâ notata.* Inter acclamationes præcipua erat σοφῶς. Inde Martialis, Epigramm. I. 50.

Mercetur alius grande et insanum sophos.

Ideoque dicebantur σοφοκλεῖς.

[3] *Haud miror, Materne.* Maternum dialogo finem imposuisse videre est ex iis quæ sequuntur.

X. FATEOR, inquit *Maternus*, me irrepentibus in forum vitiis haud mediocriter fuisse commotum. Magis adhuc me offendebat; quòd in dies invalesceret ferox scelus, pudendum cùm defenderetur, exitiabile si impugnaretur. Nondum tamen à forensi studio fuissem retractus, ni imperiosior natura me Musis devovisset. Certum enim ac deliberatum mihi erat, quod in foro nobilissimum et incorruptum superat sequi, veterum oratorum exempla non eâdem eloquentiæ vi, quam nostra non ferunt tempora, sed pari constantiâ æmulari, pro virili parte adversùs imminentia mala me accingere, et civium fortunas, dignitatem, salutem tueri. At, ut modò dixi,[1] naturæ aliò trahenti parere jussus, ad tranquilliora et securiora Musarum castra transfugi. Animo tamen hæret semper fori amor et cura.

XI. SÆPE etiam, cùm meditabundus solusque obambulo, in forenses revolvor cogitationes, mecumque reputo veteris eloquentiæ casum, diserti nostri sermonis originem, utriusque causas et utilitates. Quid hâc super re mihi visum explicabo, non contradicendi studio, neque ut sensus meos persuadeam; sed ut in hâc disputatione partes meas impleam, nostrisque vel discordibus sententiis magis elucescat veritas. Ignoscat itaque Aper, si hujus temporis ingenia majorum ingeniis non anteferam, licèt nostra minimè deprimam. Ne succenseat Messala, quem tu quoque, Secunde, adsectatus es. Vitia quæ acerrimè, ut integerrimos decebat viros, exagitâstis, ego pariter odi. Vos tamen rhetoribus haud ita infensos voluissem, non quòd eos renovandæ eloquentiæ habiles existimem, sed quòd multos noverim morum integritate, severitate disciplinæ, literarum cultu formandæ juventuti utilissimos. Hos etiam inter unus eminere cœpit,[2] qui quantum hâc in re consequi valet

[1] *Ut modò dixi.* Vide supra cap. XI et XII.

[2] *Unus eminere cœpit.* Quintilianus tum Romæ profitebatur rhe-

humana industria, tantum præstabit. Illum prior ætas laudâsset, mirabitur postera. At ne tibi, Secunde, vana spes illudat: neque hujus, neque aliûs cujusvis artificio reviviscet eloquentia, quam, cùm nondum pullulâssent nostræ ætatis vitia, rerum et temporum necessitate amisimus.

XII. Nihil enim hìc constans et æternum: omnia mutationi obnoxia. Atque ut corporibus valetudinis, ita quoque ingeniis fatale est summum claritatis incrementum. Ubi primùm crescere non possunt, statim decrescunt, et semper in deterius vergunt. Ea est humanarum rerum suprema lex, cui omnis ætas, gentes omnes, quæ sui memoriam reliquere, ante nos paruerunt. Insuper viget egregia quidem, dura tamen, naturæ necessitas, numquam magis quàm in literis potens. Una enim et simplex unicum tantummodò patitur exemplar,[1] ad quod, si semel emicuit, accedere arduum est, quod superare velle vanum est et absurdum. Ineluctabile illud fatum ne vincere quidem potuit ipsa Græcia, fœcundissima ingeniorum parens. Unicus illi Homerus, unicus Plato, unicus Demosthenes. Pari lege premimur; nec vereor superba futuræ ætatis judicia: ut apud nos unicus est Virgilius, unicus quoque erit Cicero. Per septingentos fermè annos de hâc exemplaris gloriâ oratoribus nostris certare licuit. Postquàm intonuit sublime et eloquentissimum Ciceronis os, desiit certamen. Occupatâ eloquentiæ gloriâ, novalaus per disertum dicendi genus fuit quærenda, quod ipsa invexisset mutata reipublicæ forma.

XIII. Temporibus enim et fortunæ semper attemperata est oratio. Apud agrestes ferosque homines, pauca sunt

toricam artem. Extant adhuc ejus Institutiones oratoriæ, optimum præstantissimumque artis monumentum.

[1] *Patitur exemplar.* Ea lex apud Græcos, apud Romanos viguit. Viget et apud nos. Utinam non vigeat semper; deturque nobis vincere egregia, quæ tulimus, exemplaria.

verba, dura, ac vix juncta, quæ necessitati tantùm sufficiant. Contra iis, qui Principum arbitriis reguntur, regnorumque tranquillitati et opibus insuevere, elegans copiosusque sermo, ad assentationem compositus, qui otio et luxui abundè suppetat. Gentibus autem, quæ communi societatis legumque vinculo continentur, at primævum libertatis jus retinuere, quod singuli vel capitis periculo defendere teneantur, et à nemine sine scelere violari valeat, promta, acris, vivida pugnaxque oratio. Et si fortè interna oriantur dissidia, aut si externa vis servitium minitans ingruat, statim in eloquentiæ fulmina erumpunt, quibus aut turbida ingenia seditionum flammas exsuscitent, aut egregii cives publicos hostes arceant, et commune libertatis bonum tueantur, eloquentiâ suâ [1] haud minùs, quàm armis, terribiles.

XIV. Inde liberas apud gentes nobilitata tot oratorum nomina. Inde oratorum summus, Demosthenes, ad summum eloquentiæ gloriæque fastigium evectus est. Vidit patriam deliciis diffluentem, opibus corrumpi facilem, nec jam servitium paventem. Vidit patriæ inhiantem regem, victoriis nobilem, exercitibus formidandum, auri copiâ superbum, dolo, virtute potentem, omnia ausurum, dum modò invisam sibi libertatem exscinderet. Unus Demosthenes, solâque suâ eloquentiâ armatus, adversùs domesticos externosque hostes stat interritus: patriam à veternò revocat, et novo libertatis amore succendit: Philippum eludit, artes ejus retegit, ei conflat odia. Quantis opus fuit eloquentiæ fulguribus, ut animos perstringeret? Quantâ orationis vi, ut parata tot machinamenta subverteret? Quot illi subeunda pericula! At iis valescebat discriminibus. Patriæ caritate, servitii odio, libertatis æstu instinctus, certâque immortalitatis spe, quam jam præsentiscebat, animatus, nihil

[1] *Eloquentiâ suâ.* In acerrimis tantùm ingeniis, et ex acerrimis causis, nascitur eloquentia. Nihil autem libertate acrius.

valebat nisi excelsum, nisi sublime, sine ullo privatæ utilitatis studio, ob patriam tantùm et publicam [1] rem cogitare, nihil humile, nihil abjectum eloqui poterat.

36. MAGNA eloquentia, sicut flamma, materiâ alitur, et motibus excitatur, et urendo clarescit. Eadem ratio in nostrâ quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. Nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt,[2] quæ, compositâ, et quietâ, et beatâ republicâ,[3] tribui fas erat: tamen istâ perturbatione ac licentiâ plura sibi adsequi videbantur, cùm, mixtis omnibus, et moderatore uno carentibus, tantum quisque orator saperet, quantum erranti populo persuaderi poterat. Hinc leges assiduæ et populare nomen, hinc conciones magistratuum pænè pernoctantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum, et adsignatæ etiam domibus inimicitiæ,[4] hinc procerum factiones, et assidua senatûs adversùs plebem certamina: quæ singula etsi distrahebant rempublicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam, et magnis cumulare præmiis videbantur: quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto faciliùs honores adsequebatur; tanto magis, in ipsis honoribus, collegas suos anteibat; tanto plus apud principes [5] gratiæ, plus auctoritatis apud patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem parabat: hi clientelis etiam exterarum nationum [6] redundabant: hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant: hos et præturæ et consulatus vocare ultro videbantur: hi ne privati quidem sine potestate erant, cùm et populum, et senatum consilio et auctoritate

[1] *Ob patriam tantùm et publicam.* Hæc sunt suprema Supplementi nostri verba ab iis ipsis, quæ mox sequuntur, satis indicata.

[2] *Consecuti sunt.* Vide quæ hâc de re dicta sunt supra Annal. XI. 7.

[3] *Beatâ republicâ.* Hæc ad Principum, ac maximè ad Vespasiani Imperatoris laudes referas.

[4] *Domibus inimicitiæ.* Quia invisæ præpotentes domus.

[5] *Apud principes.* Sic infra cap. 40. P. Scipio, Sylla, Pompeius, *principes viri* appellantur.

[6] *Exterarum nationum.* Urbes, provinciæ, nationes exteræ, patronos suos Romæ habebant. Exemplum vidimus supra.

regerent: quinimmo sibi ipsi persuaserant, neminem sine eloquentiâ aut adsequi posse in civitate, aut tueri conspicuum et eminentem locum: nec mirum, cùm etiam inviti ad populum producerentur: cùm parum esset in senatu breviter censere, nisi qui[1] ingenio et eloquentiâ sententiam suam tueretur: cùm in aliquam invidiam aut crimen vocati, suâ voce respondendum haberent, cùm testimonia[2] quoque in publicis[3] non absentes, nec per tabellam dare, sed coram et præsentes dicere cogerentur. Ita ad summa eloquentiæ præmia magna etiam necessitas accedebat, et commoda.[4] Disertum haberi, pulchrum et gloriosum: sed contra mutum et elinguem videri, deforme habebatur. Ergò non minùs rubore, quàm præmiis stimulabantur: ne clientelarum loco potiùs, quàm patronorum numerarentur: ne traditæ à majoribus necessitudines ad alios transirent: ne tamquam inertes, et non suffecturi honoribus, aut non impetrarent, aut impetratos malè tuerentur.

37. Nescio an venerint in manus vestras hæc vetera, quæ et in antiquorum bibliothecis adhuc manent, et cùm maximè à Muciano[5] contrahuntur: ac jam undecim, ut opinor, Actorum libris,[6] et tribus Epistolarum composita, et edita

[1] *Nisi qui.* Emendandum, *nisi quis*; ut rectè annotavit Lipsius.

[2] *Testimonia.* Tunc ergò in publicis judiciis non absentes nec per tabellam testimonia dare, sed coram et præsentes dicere cogebantur. Quo in usu plurimum valebat eloquentia. De his testimoniis Quintilianus, *Institut. Orat.* v. 7. *Maximus tamen patronis circa testimonia sudor est. Ea dicuntur aut per tabulas, aut à præsentibus. Simplicior contra tabulas pugna.* Minor enim pudor, *et pro diffidentiâ premitur absentia—Cùm præsentibus verò ingens dimicatio est, ideoque velut duplici contra eos, proque his acie confligitur, actionum, et interrogationum.*

[3] *In publicis.* Rodolphus Agricola supplet, *in publicis judiciis.* Ernestus emendat, *in judiciis.*

[4] *Et commoda.* Hæc redundare videntur. Ni fortè sit emendandum, *nec modò disertum habere*, &c. Vide not. et emend. ad cap. 36.

[5] *A Muciano.* Cujus frequens fuit mentio in Historiarum libris. Ejus mores vide Hist. II. 5.

[6] *Actorum libris.* Ergò collecta veterum oratorum acta libris undecim, eorumque epistolæ tribus libris.

sunt. Ex his intelligi potest Cn. Pompeium et Marcum Crassum[1] non viribus modò et armis, sed ingenio quoque et oratione valuisse: Lentulos, et Metellos, et Lucullos, et Curiones, et ceteram procerum manum, multum in his studiis operæ curæque posuisse: nec quemquam illis temporibus magnam potentiam, sine eloquentiâ, consecutum. His accedebat splendor rerum, et magnitudo causarum, quæ et ipsa plurimum eloquentiæ præstant. Nam multùm interest, utrùmne de furto, aut formulâ,[2] et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis, et civibus trucidatis: quæ mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus est, quo nihil tale patimur:[3] ita cùm acciderent, ingentem eloquentiæ materiam subministrabant. Crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit. Non, opinor, Demosthenem orationes illustrant, quas adversùs tutores suos[4] composuit: nec Ciceronem, magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina, et Milo, et Verres, et Antonius, hanc illi famam circumdederunt:[5] non, quia tanti fuit reipublicæ malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde admoneo, quæstionis meminerimus, sciamusque nos de eâ re loqui, quæ faciliùs turbidis et inquietis temporibus

[1] *M. Crassum.* M. Crassi ingenium eloquentiamque exprimit Cicero, *de claris Oratoribus*, cap. 66. Ibidem et in libris *de Oratore*, videre est laudes Lentulorum, Metellorum, Lucullorum et Curionum.

[2] *Aut formulâ.* De formulâ dictum supra cap. 1. Quæstiones autem de interdictis et furtis vide in Digest. Libr. XLIII. Tit. 1. et Libr. XLVII. Tit. 2.

[3] *Nihil tale patimur.* Hæc ad Vespasiani laudem adhuc pertinent. Vide jam dicta, cap. sup.

[4] *Adversùs tutores suos.* Demosthenes, annos septem natus, patrem amisit: tutores habuit Aphobum, Therippidem, et Demophontem; quos, cùm rem pupillarem suos in usus vertissent, malè administratæ tutelæ accusavit, reosque peregit anno ætatis suæ septimodecimo. Extant adhuc tres ejus orationes adversùs Aphobum. Demosthen. p. 895 et seq.

[5] *Circumdederunt.* Sic supra in Vit. Agric. XX. *Egregiam famam paci circumdedit.*

extitit.[1] Quis ignorat utilius ac melius esse frui pace, quàm bello vexâri? Plures tamen bonos præliatores bella, quàm pax ferunt. Similis eloquentiæ conditio. Nam quò sæpiùs steterit tamquam in acie, quòque plures et intulerit ictus, et exceperit, quò major adversarius; eò acrior,[2] qui pugnas sibi asperas desumserit, tanto altior, et excelsior; et illis nobilitatus criminibus, in ore hominum agit, quorum ea natura est, ut secura velint.

38. Transeo ad formam et consuetudinem veterum judiciorum: quæ etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen[3] illud forum magis exercebat, in quo nemo intrà paucissimas horas[4] perorare cogebatur, et liberæ comperendinationes[5] erant, et modum dicendi sibi quisque sumebat,

[1] *Extitit.* Placebat Lipsio, *existitit.*

[2] *Eò acrior.* Eò acrior est orator, qui pugnas illas asperas sibi desumserit, tanto altior est et excelsior; et illis nobilitatus criminibus, *meliùs* discriminibus, in ore hominum agit, quorum ea est natura, ut tuta spernant, secura velint. Tuta dicuntur, quæ sunt sine discrimine, secura, quæ cum discrimine. Vide not. et emend. ad cap. 37.

[3] *Aptior est veritati, eloquentiam tamen.* Locum hunc optimè restituit Rodolphus Agricola. Vide not. et emend. ad cap. 38.

[4] *Intrà paucissimas horas.* Sic, cùm Julium Bassum, repetundarum reum, defenderet Plinius, *è lege accusator sex horas, novem reus* accepit, Plin. IV. Ep. 9. Adeò jam circumscripta erant dicendi tempora; quæ posteà magis adhuc coarctata. Id queritur Plinius, VI. Ep. 2. *Increbuit passim et invaluit consuetudo, binas vel singulas clepsydras interdum et dimidias, et dandi, et petendi. Nam et qui dicunt, egisse malunt, quàm agere; et qui audiunt, finire, quàm judicare. Tanta negligentia, tanta desidia, tanta denique irreverentia studiorum periculorumque est. An nos sapientiores majoribus nostris? nos legibus ipsis justiores, quæ tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur! hebetes illi et supra modum tardi! Nos apertiùs dicimus, celeriùs intelligimus, religiosiùs judicamus, qui paucioribus clepsydris præcipitamus causas, quàm diebus explicari solebant!— Temerarium existimo, divinare quàm spatiosa sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cujus modum ignores: præsertim cùm primam religioni suæ judex patientiam debeat, quæ pars magna justitiæ est.*

[5] *Comperendinationes.* Comperendinatio est ab utrisque litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendinum, seu tertium, diem. Asconius Pedianus in Accusat. Verris. p. 75.

et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus hujusmodi spatia, tertio consulatu,[1] Cn. Pompeius adstrinxit, imposuitque veluti frænos eloquentiæ, ita tamen, ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud prætores gererentur: apud quos quanto majora negotia olim exerceri solita sint, quod majus argumentum est, quàm quòd causæ centumvirales,[2] quæ nunc primum obtinent locum, adeò splendore aliorum judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Cæsaris, neque Bruti, neque Cœlii, neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii, quæ *pro heredibus Urbiniæ*[3] inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitæ, postquàm longa temporum quies, et continuum populi otium, et assidua senatûs tranquillitas, et maximi Principis disciplina, ipsam quoque eloquentiam, sicut omnia alia, pacaverat?

39. PARVUM et ridiculum fortasse videbitur, quod dicturus sum, dicam tamen, vel ideo, ut rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse penulas istas,[4] quibus adstricti et velut inclusi cum judicibus fabulamur? quantum virium detraxisse orationi auditoria et tabularia[5] credimus,

[1] *Tertio consulatu.* Tertium consulatum iniit Cneius Pompeius A.U.C. 702. A.C. 51. primò sine collegâ: deinde collegam adsumsit Q. Metellum Scipionem.

[2] *Causæ centumvirales.* Quæ coram centumviris agebantur. De his dictum supra cap. 7.

[3] *Pro heredibus Urbiniæ.* Quintilianus, *Institut. Orat.* IV. 1. *Asinius pro Urbiniæ heredibus Labienum, adversarii patronum, inter argumenta malæ causæ posuit.* De totâ lite vide eumdem Quintilianum, ibid. VII. 2.

[4] *Penulas istas.* Penulæ istæ oratorum penulis viatorum non absimiles fuisse videntur. De his Cicero, pro Milone, cap. 20. *Quid minùs promtum pugnæ? cùm penulâ irretitus, rhedâ impeditus, uxore pœnè constrictus esset.* Non inelegantem de penulâ dissertationem scripsit Joannes Baptista Donius.

[5] *Auditoria et tabularia.* De auditoriis jam actum supra cap. 9 et 34. Tabularia verò, loca erant, ubi tabulæ æraque publica adservabantur, quibus leges, forma agrorum, aliaque id genus continebantur, quæque in controversiis

in quibus jam ferè plurimæ causæ explicantur? Nam quomodò nobiles equos cursus et spatia probant; sic est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi et soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. Ipsam quinimmo curam et diligentis styli anxietatem contrariam experimur: quia sæpe interrogat judex; quandò incipias: et ex interrogatione ejus incipiendum est. Frequenter probationibus et testibus, silentium patronus indicit:[1] unus inter hæc dicenti ac alter adsistit,[2] et res velut in solitudine agitur. Oratori autem clamore plausuque opus est, et velut quodam theatro: qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant: cùm tot pariter ac tam nobiles forum coarctarent: cùm clientelæ quoque, et tribus, municipiorum etiam legationes, ac pars Italiæ periclitantibus adsisteret: cùm in plerisque judiciis crederet populus Romanus sua interesse quid judicaretur. Satis constat C. Cornelium, et M. Scaurum, et T. Milonem, et L. Bestiam,[3] et P. Vatinium, concursu totius civitatis et accusatos et defensos: ut frigidissimos quoque oratores, ipsa certantis populi studia, excitare et incendere potuerint. Itaque herculè ejusmodi libri extant, ut ipsi quoque, qui egerunt, non aliis magis orationibus censeantur.

inspiciebantur, ut videre est in Digest. Libr. XLVIII. Tit. 13. Ad legem Juliam Peculatûs. Leg. 8. de Tabulis. Porrò in his auditoriis et tabulariis causæ explicabantur, non verò orabantur. Ac proinde nullus eloquentiæ impetus, nullus calor, vigor nullus: quâ de re vide elegantissimam Plinii epistolam, II. 19.

[1] *Patronus indicit.* Cl. Morabin, emendat, *patrono:* Cl. de la Monnoye, *patronis.* Fortè tamen, ob verborum compagem, quæ vix mutationem patitur, nihil hìc peccat. Sed patronus, qui causam præcipitare volebat, probationibus et testibus, quasi causâ satis cognitâ, nec refragantibus judicibus, silentium indicebat.

[2] *Adsistit.* Contra verò olim auditorium semper plenum, semper novum, ut vidimus supra cap. 34.

[3] *L. Bestiam.* Oratio Ciceronis pro L. Bestiâ periit: ceteræ, quæ hìc memorantur, vel mutilæ, vel refectæ. Una in Vatinium extat integra. De oratione pro Bestiâ vide Ciceronem ad Quintum Fratrem, III. Ep. 2.

40. JAM verò conciones assiduæ, et datum jus potentissimum quemque vexandi, atque ipsa inimicitiarum gloria, cùm se plurimi disertorum, ne à P. quidem Scipione, aut Sullâ, aut Cn. Pompeio abstinerent, et ad incessendos principes viros, ut est natura invidiæ, populi etiam histriones auribus[1] uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant! Non de otiosâ et quietâ re loquimur, et quæ probitate et modestiâ gaudeat: sed est magna illa et notabilis eloquentia, alumna licentiæ, quam stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrænati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, arrogans, quæ in benè constitutis civitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedæmonium, quem Cretensem accepimus? quarum civitatum severissima disciplina, et severissimæ leges traduntur. Ne Macedonum quidem, ac Persarum, aut ullius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, plurimi Athenienses oratores extiterunt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. Nostra quoque civitas, donec erravit, donec se partibus, et dissensionibus, et discordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in judiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus, tulit sine dubio valentiorem eloquentiam, sicuti indomitus ager habet quasdam herbas lætiores. Sed nec tanti reipublicæ Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur et leges:[2] nec bonæ[3] formam eloquentiæ Cicero tali exitu[4] pensavit.

[1] *Histriones auribus.* Meliùs sanè, *auribus histriones.*

[2] *Pateretur et leges.* Non tanti fuit reipublicæ Tiberii et Caii Gracchorum eloquentia, ut seditiosas eorum leges pateretur.

[3] *Nec bonæ.* Meliùs, *nec benè.* Vide not. et emend. ad cap. 40.

[4] *Tali exitu.* Scelere Antonii peremtus. Vide Velleium Paterculum, II. 66.

41. Sic quoque, quod superest ex antiquis oratoribus,[1] forum, non emendatæ, nec usquam ad votum compositæ, civitatis argumentum est. Quis enim nos advocat, nisi aut nocens, aut miser? quod municipium in civitatem nostram venit, nisi quod aut vicinus populus, aut domestica discordia agitat? quam provinciam tuemur, nisi spoliatam vexatamque? Atqui melius fuisset non quèri, quàm vindicari. Quòd si inveniretur aliqua civitas, in quâ nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus. Quomodò tamen minimum usûs minimumque profectûs ars medentis habet in his gentibus, quæ firmissimâ valetudine ac saluberrimis corporibus utuntur: sic minor oratorum obscuriorque gloria est inter bonos mores, et in obsequium regentis paratos. Quid enim opus est longis in senatu sententiis, cùm optimi citò consentiant? Quid multis apud populum concionibus, cùm de republicâ non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus et unus?[2] Quid voluntariis accusationibus, cùm tam rarò et tam parcè peccetur? Quid invidiosis et excedentibus modum defensionibus, cùm clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat? Credite, optimi, et, in quantum opus est, disertissimi viri, si aut vos prioribus seculis, aut isti, quos miramur, his nati essent, ac Deus aliquis vitas vestras, vestra tempora repentè mutâsset; nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentiâ, neque illis modus et temperamentum defuisset. Nunc quoniam nemo eodem tempore adsequi potest magnam

[1] *Quod superest ex antiquis oratoribus.* Forum ipsum, quod superest ex antiquis oratoribus, non est argumentum emendatæ et ad votum compositæ civitatis. Vide not. et emend. ad cap. 41.

[2] *Sapientissimus et unus.* Laus est Vespasiani, qui in nummis appellatur, ADSERTOR LIBERTATIS PVBLICAE. FELICITAS PUBLICA. FIDES FELICITATIS. Inde cùm Plinius, II. 7. innumerabilia Deorum agmina à mortalibus reperta memorâsset, addit: *Deus est mortali juvare mortalem, et hæc ad æternam gloriam via. Hâc proceres iere Romani: hâc nunc cælesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens.*

famam et magnam quietem, bono seculi sui quisque, citra obtrectationem alterius, utatur.

42. FINIERAT Maternus. Tum *Messala:* erant quibus contradicerem, erant de quibus plura dici vellem,[1] nisi jam dies esset exactus. Fiet, inquit *Maternus*, posteà arbitratu tuo, et si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt, de his rursus conferemus. Ac simul adsurgens, et Aprum complexus, Ego, *inquit*, te poetis; *Messala*, antiquariis, criminabimur. At ego vos rhetoribus et scholasticis, *inquit*. Cùm adrisissent, discessimus.

[1] *Plura dici vellem.* Inde quidam opinantur alterum habitum fuisse dialogum, qui periit. At in his disputationibus cùm et modestiæ sit, ut nemo se victorem arrogantiùs prædicet, et humanitatis, ut nemo se victum fateatur, sic sæpe concluduntur, quasi adhuc anceps sit quæstio, et enucleatiùs explicanda. Nec aliter apud Ciceronem, de Naturâ Deorum, III. 40. Balbus, Cotta et Velleius discedunt. Integer ergò est ex hâc parte dialogus. Utinam alia multa, quæ notavimus supra cap. 35. non periissent! Ut in Annalium Historiarumque libris absolutissimum habemus politicæ artis monumentum, in libro de Moribus Germanorum egregium humanitatis rudimentum, nostrarumque legum fundamentum, in Vitâ Cn. Julii Agricolæ splendidum cultissimæ virtutis exemplum, ita quoque in Dialogo de Oratoribus haberemus optimum literarum documentum, validissimumque ingeniorum incitamentum. Ut ut est, manet adhuc in hoc Dialogo uberrima præceptorum seges, quibus literæ ad meliora promoveantur. Sic in uno Tacito reperimus quomodò regantur imperia, formentur homines, instituantur leges, alantur virtutes, vigeant literæ. Quæ, cùm sint in vitæ utilitates voluptatesque fœcundissima, si hâc nostrâ opellâ inclaruere, magisque invalescunt, nec nos, nec posteros laboris nostri pœnitebit. Supremum id nobis votum.

SUPPLEMENTA

LIBRORUM V. VII. VIII. IX. X. XI et XVI.

ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

BREVIARIUM

SUPPLEMENTI

LIBRI QUINTI ANNALIUM.

1. Julia Augusta moritur. 2. Ex eo gravior Tiberii dominatio; audacior Sejani ambitio. Agrippina et Nero accusantur. 6. Inauspicatæ Drusi et Æmiliæ Lepidæ nuptiæ. 7. Accusationum facilitas simul et atrocitas. 8. Mors Jesu Christi et prodigia. 10. Agrippina in insulam Pandatariam, Nero in Pontiam deportati. 13. Drusus in imâ palatii parte clauditur. 15. Sejanus, successu scelerum superbus, insolescit: adversùs eum Tiberii artes. Ob ejus amicitiam Asinius Gallus pervertitur. 23. Velleius Paterculus scriptor et adulator. 24. Sejanus honoribus mactatur. 26. Geminius Rufus et Publia Prisca mortem voluntariam oppetunt. 27. Urbs in Sejani venerationem intenta: Tiberius ejus in ruinam intentior. 30. Caius imperii heres ostentatur.

Nero interficitur. 32. Sejanus, inritâ spe amens, conjurationem machinatur. Tiberius, eam ab Antoniâ edoctus, Macronem deligit, qui Sejanum opprimat. Perit Sejanus, ruinâ, quàm fortunâ insignitior. 43. Ejus in filium et avunculum sævitum. Visâ filii cæde, Apicata ad scelerum Sejani et Liviæ confessionem evicta. 44. Livia fame enecta. 45. In omnes Sejani asseclas advertitur. 50. Pseudo-Drusus apud Cycladas visus. 51. Consulum discordia.

Hæc triennio gesta

A. U. C.	J. C.		
DCCLXXXII.	29.	Coss.	L. Rubellio Gemino, C. Fufio Gemino.
DCCLXXXIII.	30.	Coss.	M. Vinicio, L. Cassio Longino.
DCCLXXXIV.	31.	Coss.	Tiberio Augusto V, L. Ælio Sejano.

SUPPLEMENTUM

LIBRI QUINTI

ANNALIUM.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

A. U. C. 782. J. C. 29.

1. Rubellio et Fufio consulibus,[1] quorum utrique Geminus cognomentum erat, Julia Augusta mortem obiit, ætate extremâ, nobilitatis per Claudiam familiam, et adoptione Liviorum Juliorumque clarissimæ. Primum ei matrimonium et liberi fuere, cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumviros pactâ, in Urbem rediit. Exin Cæsar, cupidine formæ, aufert marito, incertum an invitam, adeò properus, ut ne spatio quidem ad enitendum dato, penatibus suis gravidam induxerit. Nullam posthàc subolem edidit. Sed sanguini Augusti per conjunctionem Agrippinæ et Germanici adnexa, communes pronepotes habuit: sanctitate domûs priscum ad morem, comis ultra quàm antiquis fœminis probatum, mater impotens, uxor facilis, et cum artibus mariti, simulatione

[1] *Rubellio et Fufio coss.* Ad majorem historiæ lucem quinque priora C. Cornelii Taciti capita hic repræsentâsse haud erit inutile. Ea suo loco notis illustravimus, quas iterum edere supervacaneum foret, et ingratum.

filii, benè composita. Funus ejus modicum, testamentum diu inritum fuit: laudata est pro rostris à C. Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est.

2. At Tiberius, quòd supremis in matrem officiis defuisset, nihil mutatâ amœnitate vitæ, " magnitudinem nego- " tiorum" per literas excusavit: honoresque memoriæ ejus ab senatu largè decretos, quasi per modestiam imminuit, paucis admodùm receptis, et addito, " ne cœlestis religio " decerneretur; sic ipsam maluisse." Quin et parte ejusdem epistolæ increpuit " amicitias muliebres," Fufium consulem obliquè perstringens: is gratiâ Augustæ floruerat, aptus alliciendis fœminarum animis, dicax idem, et Tiberium acerbis facetiis inridere solitus: quarum apud præpotentes in longum memoria est.

3. Ceterum ex eo prærupta jam et urgens dominatio: nam incolumi Augustâ, erat adhuc perfugium; quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque Sejanus audebat auctoritati parentis anteire. Tunc velut frænis exsoluti proruperunt: missæque in Agrippinam ac Neronem literæ, quas pridem adlatas, et cohibitas ab Augustâ, credidit vulgus: haud enim multùm post mortem ejus recitatæ sunt. Verba inerant quæsitâ asperitate: sed non arma, non rerum novarum studium; " amores juvenum, et impu- " dicitiam" nepoti objectabat: in nurum ne id quidem confingere ausus, " adrogantiam oris et contumacem ani- " mum" incusavit, magno senatûs pavore ac silentio: donec pauci, queis nulla ex honesto spes, et publica mala singulis in occasionem gratiæ trahuntur, " ut referretur" postulavere, promtissimo Cottâ Messalino cum atroci sententiâ: sed aliis à primoribus, maximèque à magistratibus, trepidabatur: quippe Tiberius, etsi infensè invectus, cetera ambigua reliquerat.

4. Fuit in senatu Junius Rusticus, componendis patrum actis delectus à Cæsare, eòque meditationes ejus introspicere creditus: is fatali quodam motu (neque enim antè specimen constantiæ dederat) seu pravâ solertiâ, dum, imminentium oblitus, incerta pavet, inserere se dubitantibus, ac monere consules "ne relationem inciperent:" disserebatque, "brevibus momentis summa verti posse, quandòque "Germanici stirpem, ubi spatium pœnitentiæ senis, resur-"gere." Simul populus, effigies Agrippinæ ac Neronis gerens, circumsistit curiam, festisque in Cæsarem ominibus, "falsas literas, et, Principe invito, exitium domui ejus "intendi," clamitat: ita nihil triste illo die patratum. Ferebantur etiam sub nominibus consularium fictæ in Sejanum sententiæ, exercentibus plerisque per occultum, atque eò procaciùs, libidinem ingeniorum: unde illi ira violentior, et materies criminandi, "spretum dolorem Principis ab "senatu; descivisse populum; audiri jam et legi novas "conciones, nova patrum consulta: quid reliquum, nisi "ut caperent ferrum? et quorum imagines pro vexillis "secuti forent, duces imperatoresque deligerent."

5. Igitur Cæsar, repetitis adversùm nepotem et nurum probris, increpitâque per edictum plebe, questus apud patres, "quòd fraude unius senatoris imperatoria majestas elusa "publicè foret, integra tamen sibi cuncta" postulavit: nec ultra deliberatum, quominùs, non quidem extrema decernerent, id enim vetitum, sed "paratos ad ultionem vi "Principis impediri" testarentur: olim ad servitutem proni,[1] nunc projecti.

6. Sejanus, hâc Principis et senatûs inclinatione factus audacior, nisi tamen intestinis discordiis grassaretur, semper

[1] *Olim ad servitutem proni.* C. Cornelii Taciti Annales supplere aggredior. Opus arduum: quod utinam quantâ cum historiæ necessitate, tantâ cum laude exsequar.

invalidus, ad atrociora adspirabat. Casus, an consilium, easdem adversùm Germanici stirpem, quibus ipsum Tiberii sanguinem fuerat adgressus, artes obtulit. Drusus enim, L. Othonis filiæ quondam pactus,[1] uxorem accepit Æmiliam Lepidam,[2] generis nobilitate insignem, ingenii pravitate fœdam, marito discordem, Cæsaris odio, Sejani ambitione exitiabiliorem.

7. In tantâ regnatricis domûs confusione, non deferbuit publica accusandi rabies: acriùs etiam exarsit. Princeps, naturâ immitis, et, defunctâ matre, truculentus, ut sævitiam diu coercitam exereret, omnes Juliæ amicitias[3] et familiaritates adflixit; eique intimum equestris ordinis virum, quò pœnæ infamiâ diuturniorem terrorem faceret, ceterosque, quæ imminerent, doceret, in antliam condemnavit. Violentior quoque Sejani, dicteriis fictisque sententiis inlusi, ira; præmiis inritata vestigatorum et accusatorum aviditas, præclaros quosque et in civitate præstantes corripuit, civilique bello graviùs confecit. Excipiebatur lætantium risus, querentium dolor, jocantium simplicitas,[4] ipse ebriorum sermo. Nihil erat tutum: omnis sæviendi placebat occasio: unusque reorum omnium eventus, aut mors propera, aut turpe supplicium.

[1] *L. Othonis filiæ quondam pactus.* Suet. in Oth. I. Lucius Otho *tulit et filiam, quam nondum nubilem Druso, Germanici filio, despondit.*

[2] *Æmiliam Lepidam.* Ejus flagitia et mortem memorat Tacitus, Annal. VI. 40. Vide stem. Cæs. n. 84.

[3] *Omnes Juliæ amicitias.* Sueton. in Tiber. LI. *Testamentum quoque ejus pro irrito habuit, omnesque amicitias et familiaritates, etiam quibus ea funeris curam moriens demandârat, intrà breve tempus afflixit: uno ex his equestris ordinis viro et in antliam condemnato.*

[4] *Jocantium simplicitas.* Senec. de Benefic. III. 26. *Sub Tiberio Cæsare fuit accusandi frequens et pænè publica rabies, quæ omni civili bello graviùs togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium: nihil erat tutum: omnis sæviendi placebat occasio. Nec jam reorum expectabatur eventus, cùm esset unus.*

8. Cum Romana civitas in sui internecionem ita fureret, scelus unum, sed in plura scelera et portentosa mala erupturum, patravere Hierosolyma.[1] Pontius Pilatus,[2] quem Cæsar Judææ procuratorem fecerat, non vecors, imbellis tamen, Jesum Christum,[3] novæ religionis auctorem, à Judæis pervicaciùs accusatum, nullius criminis compertum, morte adfecit. Diffissa saxa, concussa terra, sol cassus lumine,[4] ejus cædem ulcisci et innocentiam testari visa:

[1] *Patravere Hierosolyma.* Mortem Jesu Christi paucis memoratam, Annal. xv. 44. fortè in hàc Annalium parte omiserat Tacitus. At Christianum scriptorem puderet id silere, quo nihil majus peperere secula, et in quo salus nostra, spes, amor et gloria.

[2] *Pontius Pilatus.* Joseph. Antiq. Jud. xviii. 2. Πόντιος δὲ Πιλάτος διάδοχος αὐτῷ, Γρατος ἦλθεν, *Pontius Pilatus Grato successit.*

[3] *Jesum Christum.* Licèt ex D. Lucâ iii. 1. et Antiochenorum nummis Jesus Christus non xv. sed xix. Tiberii anno mortuus esse videatur; cùm tamen veteres omnes scriptores in priore sententiâ consentiant, ab iis in vetere scriptore supplendo discedere nefas duxi. Ne autem omnes appellem, sit satis laudâsse Lactantium, Divin. Instit. iv. 10. *Exinde Tetrarchas habuerunt* Judæi *usque ad Herodem, qui fuit sub imperio Tiberii Cæsaris; cujus anno quinto decimo, id est, duobus Geminis consulibus, ante diem decimam Calendarum Aprilium Judæi Christum cruci affixerunt:* et Tertullianum adversùs Judæos, viii. *Passio hujus exterminii intrà tempora septuaginta hebdomadum perfecta, sub Tiberio Cæsare, coss. Rubellio Gemino, et Fusio,* (corrige *Fufio,*) *Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die* 8. *Kal. April.* Eadem fuit Julii Africani, Clementis Alexandrini, Hieronymi, Augustini aliorumque veterum et eruditorum Patrum sententia. In fastis quoque consularibus duobus Geminis coss. Christus passus esse dicitur. Ergò saltem quadriennio ante vulgarem æram erat natus: quod fatentur eruditi fermè omnes, duce Josepho, qui, Antiq. Jud. xvii. 8 et 11. Herodem quadriennio ante vulgarem æram mortuum narrat.

[4] *Sol cassus lumine.* Non modò Christianorum, sed ipsius populi Romani acta, prodigia in Christi morte patrata testabantur. Inde Tertullianus, Apologetic. xxi. *Eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est—cum mundi casum in archivis vestris habetis*—et cùm varia mortis ac resurrectionis Christi miracula recensuisset, addit: *ea omnia super Christo Pilatus, et ipse jam pro suâ conscientiâ Christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiavit.* Martyr quoque Lucianus apud Rufin. Hist. Eccl. ix. 6. *Requirite in annalibus vestris, invenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole, interruptum tenebris diem.* Olim fuisse vera Pilati acta, posteà, circa Maximini tempora, alia, adversùm Christum probrosa, esse conficta nôrunt viri omnes eruditi. Moses Choronensis, Hist. Armeni-

ipse, effracto sepulcro, adstantibus custodibus, redivivus ac integer egressus, magnum fuit numinis argumentum; Tiberiumque omnibus intentum advertit,[1] religionem non infixit.

9. PRINCEPS, in pacis curas fixus, inturbidum fovebat imperium. Idque majore felicitate incertum an industriâ, adsecutus, ut dum Urbem luctu fatigaret, provincias diffusâ in omnes terrarum orbis partes tranquillitate recrearet;[2] præmiorum parcus, injuriarum vindex acerrimus, præcellentis virtutis rarò invidus, semper metuens: ducibus magistratibusque usus non optimis, sed bonis, à quibus sibi minor gloriæ, at major dominationis spes.

ac. II. 30. literas Abgari ad Tiberium, Tiberii ad Abgarum, de morte Christi, et prodigiis, quæ in eâ evenere, recitat; et in Edesseno tabulario asservari affirmat. Utinam penes scriptorem plus foret auctoritatis!

[1] *Tiberiumque omnibus intentum advertit.* Teste enim Tertulliano Apologet. v. *Tiberius, cujus tempore nomen Christianum in seculum intravit, annuntiata sibi ex Syriâ Palæstinâ, quæ illic veritatem istius divinitatis revelârant, detulit ad senatum cum prærogativâ suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententiâ mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Senatum ac præcipuè Sejanum contradixisse ne ex Tiberii relatione *Christus Deus haberetur* testatur Orosius, VII. 4. At, ut egregiè observat Eusebius Hist. Eccles. II. 2. Τῇ δ' ἀληθείᾳ, ὅτι μὴ δι' τῆς ἐξ ἀνθρώπων ἐπιτροπίας τι καὶ συστάσεως, ἡ σωτήριος τοῦ θεοῦ κηρύγματος ἐδίδου διδασκαλία. *Id verè contigit, quòd salutaris divinæ doctrinæ prædicatio auctoritate et auxilio hominum minimè indigeret.* Eadem pro more suo fusiùs eloquentiùsque prosequitur D. Chrysostomus, Homil. XXVI. in Ep. II. ad Corinth. Tertulliani verò auctoritatem hâc in re meritò adseruit eruditus Pearson, Lectiones in Acta Apostolor. Lect. IV. 15. *Nihil igitur est quod in hâc historiâ refelli possit. Et cùm Tertullianus adeò gravis, adeò antiquus auctor, adeò rerum Romanarum peritus fuerit, tutius multò est istam Tiberii ad senatum de divinitate Christi relationem amplecti.*

[2] *Tranquillitate recrearet.* Velleius, II. 126. *Quandò pax lætior? Diffusa in Orientis Occidentisque tractus, et quidquid meridiano aut septemtrione finitur, pax augusta per omnes terrarum orbis angulos à latrociniorum metu servat immunes.* Inde nummus Tiberii cusus, ut videtur, Corinthi, PACE AVG. PERP. *pace Augusti perpetuâ:* ara incoronâ querce â.

A. U. C. 783. J. C. 30.

10. M. VINICIO et L. Cassio consulibus,[1] Tiberius, atrox odii, tandem in Agrippinæ et nepotum pœnas duravit. Adseverabat Sejanus, " impunitate gliscere reorum animos, " non jam verbis, sed factis pudendisque libidinibus grassa- " ri: patres, milites corrumpi: Neronem Principem osten- " tari; Tiberium Capreis, Agrippinam Romæ dominari." Cæsar, iræ non retinens, ubi dominationis anceps, duces, exercitus firmat, ad senatum scribit, " doloribus animum " suum lacerari,[2] abstruso pectus flagrare incendio: se ex " nuru, ex nepote dolere, indignari, erubescere: Deos, " imperii custodes, obtestari, ut in majestatis reos, meritas, " et à patribus negatas, pœnas immittant."

11. TERRITI senatores, mala sibi imminentia deprecentur, an in Agrippinæ et Neronis cædem ruant dubii, paventes consultant, et atroci senatusconsulto in eorum damnationem[3] conspirant; inito tamen consilio, " suspensis et ambi- " guis literis pertentandum Principem. Se ejus doloribus " anxios, periculis exanimos, scelera exhorrescere: ad " ultionem paratissimos, non retardari nisi Principis jussu, " qui integra sibi cuncta postulavit, et imperatoriæ majes- " tatis dignitate, quæ non festinatis, sed lentis suppliciis " vindicatur. In Cæsaris discrimine non modò reorum " pœnâ, at retectis et oppressis eorum consiliis, consulen- " dum."

[1] *L. Cassio coss.* M. Vinicius et L. Cassius Longinus consules fuere A. U. C. 783. J. C. 30. Tiberio acceptissimi, duas Germanici filias uxores accepere; Drusillam Cassius Longinus, Juliam Vinicius. Vide stem. Cæs. n. 95. 96. 97 et 99.

[2] *Doloribus animum—lacerari.* Velleius, II. 130. *Abstruso, quod miserrimum est, pectus ejus flagrare incendio, quod ex nuru, quod ex nepote dolere, indignari, erubescere, coactus est.*

[3] *In eorum damnationem.* Quam memorat Suet. in Tiber. LXIV.

12. TIBERIUS, his literis obsequii patrum certus, centuriones mittit, qui Agrippinam[1] in Pandatariam insulam,[2] Neronem in Pontiam,[3] catenatos projiciant.[4] Accusationum fama, pœnæ celeritas, populum in subitis incertum, in adversis pavidum, percellit. Agrippina, sui conscia, injuriæ impatiens, trahenti obnititur, in Principis convicia erumpit, exuere ferociam, et sævienti fortunæ submittere animum nescia: centurio, ad acerbissima secretò exstimulatus, os ejus verberat, oculum excutit, tantâque audaciâ accusationibus fidem, animis terrorem addit. Malorum invicta, fortunâ major, ipsâ vulneris indignitate lætatur Agrippina, gnara vel in sceleribus modum esse, potentiamque Sejani, in insanas atrocitates effrænam, esse ruinæ proximam.

13. AT ille, successu scelerum superbus, Drusum adgreditur: eumque ut pervertat, Æmiliam Lepidam stupris sibi inligatam,[5] adfinitatis et dominationis spe ad fœdas accusatricis partes excitat. Fœmina, quanto in libidinem projec-

[1] *Centuriones mittit, qui Agrippinam.* Sueton. in Tiber. LIII. *Novissimè calumniatus* Agrippinam, *Pandatariam relegavit: convitiantique oculum per centurionem verberibus excussit.*

[2] *In Pandatariam insulam.* In Puteolano sinu Pandataria, nunc *the isle St. Mary.* Pontia, nunc *Ponza.*

[3] *Neronem in Pontiam.* Sueton. in Tiber. LIV. *Pateſactâ interiore animi sui notâ, omnium criminatoribus obnoxios* Neronem et Drusum *reddidit: variâque fraude inductos, ut et concitarentur ad convitia, et concitati perderentur, accusavit per literas, amarissimè congestis etiam probris, et judicatos hostes fame necavit: Neronem in insulâ Pontiâ, Drusum in imâ parte palatii.*

[4] *Catenatos projiciant.* Sueton. in Tiber. LXIV. *Nurum ac nepotes numquam aliter post damnationem, quàm catenatos, obsutâque lecticâ, loco movit: prohibitis per militem obviis ac viatoribus respicere usquam vel consistere.*

[5] *Æmiliam Lepidam stupris sibi inligatam.* Dio, LVIII. p. 623. Ὁ δὲ Σηϊανὸς καὶ τὸν Δρῦσον διέβαλλε διὰ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ. Πάσας γὰρ, ὡς εἰκὸς, τὰς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν γαμετὰς μοιχεύων, τά τε λεγόμενα ἢ καὶ πραττόμενα ὑπ' ἐκείνων ἐμάνθανε, καὶ προσῆγε καὶ συνεργὸς σφᾶς ὡς καὶ γαμηθησομένας οἱ ἐποιεῖτο. *Sejanus verò et Drusum per uxorem ejus calumniatus est. Omnes enim propemodùm matronas illustrium virorum stupro cognitas habebat, quarum ope à conjugibus dicta factaque resciscceret: quinetiam ad consiliorum societatem, velut sibi nupturas, pellexerat.* De Druso et Æmiliâ Lepidâ vide stem. Cæs. n. 83 et 84.

tior, tanto audacior, adit Principem; plurimis in Agrippinam, in Neronem criminationibus, vetera odia, recentes iras inflammat: tum iisdem sceleribus Drusum innectit; ætate tamen imparem, sibique junctum thalamo paululum excusat, ut magis urgeat. Indefensus juvenis statim in Urbem amovetur.

14. SATIS Principi, non satis Sejano consultum: animum injuriâ exacerbatum, Tiberii pœnitentiam metuit; duoque imperii munimenta [1] superesse invidet. Cassium Longinum,[2] consulem, venali magistratu sordidum, ad novam Drusi accusationem subornat. "Juvenem, pœnâ ferocio-"rem, res novas moliri, et malevolorum civium gratiam "populari ambitu aucupari," ad senatum retulit, Cæsarique scripsit consul. "Nepotem, mitiore pœnâ indignum, "in imâ palatii parte [3] claudi; acri custodiâ cingi: omnia-"que ejus facta et dicta excipi, describi, sibique mitti," à Principe rescriptum.

15. IMPERATORIAM dignitatem senili capite,[4] et imbelli juventâ subnixam, tandem in se totam inclinare Sejanus eò effusiùs gaudebat, quòd spes suas certus ipse pasceret, securus senesceret Tiberius. Ut suspicacem ejus animum magis adhuc obfirmet, "sapientiâ Principis oppressam "ambitionem, dominationem adsertam, firmatam heredita-"tem, perennem imperii tranquillitatem," ei gratulatur, Cæsar, laudibus spernendis validus, ingenii tamen et dominationis commendationem lætus excepit; maximâque parte

[1] *Duoque imperii munimenta.* Drusum et Caium.

[2] *Cassium Longinum.* Dio, loc. cit. Ἔπειτα δὲ ὁ Τιβέριος ἁπλῶς τὸν Δρῦσον ἐς τὴν Ῥώμην ἔπεμψεν, ὁ Σηϊανὸς δείσας μὴ μεταβάλητε, ἔπεισε τὸν Κάσσιον χρηματίσαι τι κατ' αὐτοῦ. *Postquàm Tiberius Drusum simpliciter Romam misit, veritus Sejanus, ne sententiam mutaret, Cassio persuasit ut de Druso ad senatum referret.*

[3] *In imâ palatii parte.* Sueton. in Tiber. LIV. Tacit. Annal. VI. 24.

[4] *Senili capite. Senili capite* Tiberii, *imbelli juventâ* Caii Caligulæ.

in Sejanum cessit, dictitans, "se ejus vigilantiâ defendi,[1] "consiliis juvari, recreari obsequiis: in illo præcipuum esse "imperii levamentum, senectæ suæ præsidium." Verbis honores addit, ut, qui usu necessarius, dignitate emineat.

16. TUM ruere omnes in Sejani venerationem: legationibus, gratulationibus,[2] votis studia ostentat senatus, eques-ter ordo, populus Romanus, plebs ipsa, novarum rerum intemperans. In foro, in templis, in privatis ædibus, ponuntur ejus statuæ: passim fumant altaria: dies ejus natalis celebratur: per Tiberii ac Sejani fortunam juratur: Princeps et amicus Principis Diis commendantur, honoribus æquales, appellatione vix dispares.

17. ADBLANDIENTIS fortunæ magna accessere subsidia, Asinius Gallus et Lentulus Gætulicus. Ille, patre et uxore[3] incertum an sobole clarior, Sejanum sectari, patrum obsequia adpromittere, tanto acriùs quòd ob causas supra memoratas[4] Tiberio esset invisus. Hic, legionum superioris Germaniæ legatus, Sejani adfinitatem ambire;[5] ipso Principe conscio, obtinere, et exercitus, in quorum cognomentum adsciscebantur imperatores,[6] pignus præmiumque adfinitatis, ostentare. Numquam summæ rei propior fuit Sejanus: at quò altior, eò magis in lubrico; eniti valuit,

[1] *Se ejus vigilantiâ defendi.* Hæc omnia indicat Vell. II. 126 et 127. Tum maximè *in* Sejani *virtutum æstimatione judicia civitatis cum judiciis Principis certavere.*

[2] *Legationibus, gratulationibus.* De hâc Sejani veneratione plurima habet Dio, LVIII. p. 623 et 624.

[3] *Patre et uxore.* De patre et uxore supra Annal. I. 12. De ejus quoque sobole et stemmate vide not. et emend. ad Annal. III. 75.

[4] *Supra memoratas.* Annal. I. 12.

[5] *Sejani adfinitatem ambire.* Ipsius Tiberii consilio *Sejani filium generum* destinaverat Lentulus Gætulicus, Tacit. Annal. VI. 30. Dio, LIX. p. 657.

[6] *Adsciscebantur Imperatores.* Hâc de re dictum supra Annal. I. 31.

assequi non potuit. Cùm callidum Tiberii ingenium haud aliàs magis innotuerit,[1] nihilque ad memoriam, ad exemplum illustrius habeant Annales, id diligentiùs exsequar.

18. TIBERIUS, gravescente ætate, libidinum immodicus, principatûs tamen minimè incuriosus, ipsis etiam vitiis ad occulenda consilia tutandamque dominationem utebatur. Specie quidem iners summam rerum Sejano permittebat, sed numquam fuit oculatior, ut virum introspiceret, quem socium dignitatis volebat, eversorem verebatur. Inclinatum ad suspicionem animum advertit Gætulici adfinitas, firmavit Asinii studium: et arte plurimâ, ipsa timoris causa in diu meditatam Asinii ruinam cessit; ita tamen, ut fides, si Sejano inesset, cresceret, perfidia, si qua foret, retardaretur.

19. IGITUR cùm Asinius Sejanum[2] novis honoribus cumulandum censuisset, et adnuentibus patribus, Campaniam, ut Cæsarem hâc super re consuleret, esset profectus; perlatæ Romam Principis literæ, quibus "turbatorem Asi-" nium, in Agrippinâ adulterum, suo Syriaco[3] malè conten-" tum, et Sejani amicitiam Principi invidentem" accusat: " eum statim corripi; consulum, vel, Principe consule, " prætorum custodiæ tradi" jubet. Patres, gnari apud Cæsarem moras verti in crimen, confestim mittunt prætorem, qui Asinium comprehendat.

[1] *Haud aliàs magis innotuerit.* Aliter, sed minimè probabiliter, Tiberio sæpe iniquissimus, Suet. in Tiber. LXV. *Sejanum res novas molientem, quamvis jam et natalem ejus publicè celebrari, et imagines aureas coli passim videret: vix tandem et astu magis ac dolo, quàm principali auctoritate subvertit.* De his adhuc dicetur infra cap. 37.

[2] *Cùm Asinius Sejanum.* Hæc fusè narrat Dio, LVIII. p. 622. Ad Dionem ejusque excerpta haud satis attendit Cl. Crévier, cùm scripsit, *Histoire des Empereurs*, vol. I. p. 551. *Asinius ayant été député par le senat vers l'Empereur, sans que nous puissions dire à quel sujet.*

[3] *Suo Syriaco.* Syriacus Asinii Galli amicus. Dio, loc. cit.

20. ILLE ingruentis mali nescius, et à Principe honorificè exceptus, lætus mensæ intererat, cùm ei nuntiata senatûs jussa: Principis conviva pariter et reus expalluit; jamque, ut liberis consuleret, extremam necessitatem parabat. Tiberius eum, " senatûs, Sejani ac Principis gratiæ certum, ad " animi firmitudinem, accusationemque strenuè repellen- " dam," hortatur. At, cùm Romam venit, nullâ datâ defensionis facultate, ademto etiam sermonis et colloquii usu, spei egenus clauditur, iis tantùm, quibus vix viveret, mori tamen non posset, permissis. Syriaco, viro diserto,[1] nullius criminis reo, sed ob Asinii amicitiam inviso, sors lætior, deproperatâ morte, obtigit. Lætum enim interfici in hâc gravi ætate, quâ Princeps vitâ ipsâ sævire cœpit,[2] eamque morte tristiorem facere: numquam sævior, quàm cùm, supplicii parcus, mortem, ultimum malorum levamen, invidit; vitæ usuram in tormenta convertit.

21. INTERIM Tiberius, in majora intentus, ipsaque Sejani obsequia veritus, omnes pertentandi animos, et dominationem retinendi artes meditari; Sejanum explorare, circumspectare vultus; dicta, facta, consilia observare. At hominum callidus, eosque, adversis cautos, dubiis obscuros, prosperis totos patere certus, iis grassatur, ut vel inviolatam ejus fidem aperiat, vel perfidiam prosperitatis mole obruat. Sejanus numquam visus carior; Principis continuus et intimus, ob laboris patientiam, animi vigorem, egregiam modestiam, novis in dies honoribus mactatur: in conscientiâ arcanorum, et reipublicæ capessendæ curâ innectitur: Consul,

[1] *Viro diserto.* Senec. II. Controv. 9. *Syriacus—multa disertè dixit.*

[2] *Vitâ ipsâ sævire cœpit.* Sueton. in Tiber. LXI. *Mori volentibus vis adhibita vivendi. Nam mortem adeò leve supplicium putabat, ut, cùm audisset unum è reis, Carvilium nomine, anticipâsse eam, exclamaverit: Carvilius me evasit. Et in recognoscendis custodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: Nondum tecum in gratiam redii.*

collegâ Principe,[1] designatur: Livia, quondam negata,[2] permittitur: omnia principatûs auctoramenta cumulantur, ut principatu certiùs excidat.

22. Ipse impar tantis artibus, Cæsarem venerari, Caium spernere,[3] spes ostentare, sibi invisos opprimere,[4] clientium vota excipere, multa elargiri, plura adpromittere, luxu et otio Principem inumbrare: lætissimo Tiberio, qui malè tectam mentem, et crescentibus honoribus, in certiora indicia citò erupturam introspexerat.

23. Inter hos fortunæ lusus, et suspicacis Principis simulationes, Velleius Paterculus, scriptor elegantis ingenii, sed hominum rudis, laudis et favoris avidus, ingentia populi Romani facta brevi libello complectitur: totque seculis, tot victoriis partam imperii majestatem, in Tiberio comprehensam, à Sejano sustentatam, exhibet. Adulationem, vel in volucribus verbis infamem, scriptis cum summo nominis sui et historiæ dedecore perennem fecit:[5] fato odioque Sejaniano semper premendus, damnandus semper, sed ob curiosos laudum homines et deformem scriptorum servitutem, paucos ingenii, plurimos adulatoriæ fœditatis imitatores pari cum opprobrio semper habiturus.

[1] *Consul, collegâ Principe.* De his Tiberii artibus, honoribusque Sejani, vide Dionem, LVIII. p. 623.

[2] *Livia, quondam negata.* Olim negatam vidimus supra Annal. IV. 40. Posteà permissam, Annal. V. 6. Vide quoque Annal. VI. 8.

[3] *Caium spernere.* Nec tantùm spernere, sed etiam Sextium Paconianum, qui ei dolum pararet, deligere, ut dicetur infra Annal. VI. 3.

[4] *Sibi invisos opprimere.* Hos inter oppressus videtur Curtius Atticus, de quo infra Annal. VI. 10.

[5] *Perennem fecit.* Fœda hæc adulatio se passim toto libello prodit, ac maximè Libro II. cap. 126 et seq. De Sejano longè aliter scripturus, si sub finem anni sequentis scripsisset: tum fortè Valerio Maximo convitiorum feracior. De Valerio Maximo vide infra cap. 39.

A. U. C. 784. J. C. 31.

24. TIBERIUS Cæsar V.[1] et Ælius Sejanus consulatum acerrimis, sed diversissimis, utriusque votis expetitum iniere; Tiberius Capreis, Sejanus Romæ. Numquam lætior, aut splendidior Urbis facies. In consulem, quem futurum mox dominum suspectabat, intenta, Principis fermè oblita, Sejanum veneratur[2] eò demissiùs quòd novorum hominum facilis offensio, gratia difficilis, atrox superbia, odium pervicax. Omnes consulis foribus adsistere, ejus libertis ac janitoribus notescere, eum aspicere, ambire, salutare, ex ejus adloquio et nutu ingentes spes agitare: omnium vocibus, omnium laudibus celebratur; et quem adhuc pudet in hâc servitii cruditate numinis cultum præsenti offerre, is ad ejus imagines sine verecundiâ defertur.

25. TANTA Urbis studia haud miratus Princeps, sed cautior, L. Pisonem,[3] patre censorio nobilem, ob rarissimum

[1] *Tiberius Cæsar V.* Tiberius Cæsar V. et L. Ælius Sejanus consulatum iniere A.U.C. 784. J.C. 31. In nummis Bilbilitanorum TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS, Tiberii capite laureato. Ex adversâ parte, MV. AVGVSTA BILBILIS. TI. CAESARE. V. L. AELIO SEJANO. Intrà coronam COS. *Municipium Augusta Bilbilis: Tiberio Cæsare quintum, Lucio Ælio Sejano consulibus.* Vide Harduinum, Select. Oper. p. 709. Omnes Tiberii collegas, Quinctilium Varum, Cn. Calpurnium Pisonem, Germanicum, Drusum, Sejanum, violentâ morte periise observatum apud Dionem, LVII. p. 616.

[2] *Sejanum veneratur.* Optimè Dio, LVIII. p. 623. *Ut paucis dicam, Sejanus Imperator, Tiberius quidam insulæ rector videbatur, ὥστε συνόλου εἰπεῖν, αὐτὸν μὲν, αὐτοκράτορα, τὸν δὲ Τιβέριον, ναυαρχίν τινα εἶναι δοκεῖν.*

[3] *L. Pisonem.* De quo Seneca Ep. 83. *L. Piso, Urbis custos, ebrius, ex quo semel factus est, fuit —officium tamen suum, quo tutela Urbis continebatur, diligentissimè administravit.*—Huic et Tiberius dedit secreta mandata, *proficiscens in Campaniam cùm multa in Urbe et suspecta relinqueret et invisa.* Laudatur Annal. VI. 10.

luxûs ac virtutis temperamentum, et nullam inter acerrimas curas occupationis ostentationem acceptissimum, secretioris-que imperii in Urbis præfecturâ participem, vigilantiæ admonet: consulis colloquia, senatorum obsequia, equitum vota, populi dicteria, rumores omnes clam anquirit, offensionum negligens, ut plures futurorum exitiorum causas habeat: ipseque novam obsequiorum materiem addit, missis ad senatum literis, quibus "Sejani fidem curasque" commendat; et "eum insignem principalium onerum adjutorem, "imperii socium, Sejanum suum" appellat.[1]

26. CONSUL, ut truculento Principi grates agat incertum an ut simultates faciat, primores illi invisos corripit, et fictis criminibus damnatos interficit. Hos inter Geminius Rufus,[2] majestatis postulatus, senatum adiit, et, ut Cæsarem liberis suis placabilem redderet, testamentum recitavit, quo eum, partitâ hereditate, liberis exæquabat. Id haud satis virile habitum: domum itaque, latâ nondum sententiâ, regressus, et quæstorem, supremæ necessitatis nuntium, oppertus, ubi eum vidit, gladium sua in viscera direxit; vulnusque ostendens, "Refer," ait, "senatui, sic virum occumbere." Publia Prisca, maritum æmulatur: in jus vocata, curiam venit; ibique, pugione, quem sinu occuluerat, adacto, mortua corruit.

27. SEJANUM tot funeribus dominationi inhiantem ad magnas spes casu an consilio patres erexere: ejus enim favore et Cæsaris literis permoti, quid summum in adulatione valeant, consultant. Visum "præcellentem, sed "brevem, esse consulatûs dignitatem: consultissimum fore,

[1] *Sejanum suum appellat.* De his aliisque plurimis Dio, sæpe citatus, LVIII. p. 623.

[2] *Hos inter Geminius Rufus.* Geminii Rufi et Publiæ Priscæ exitum narrat Dio, loc. supra cit. Neque Geminius ille confundendus cum Geminio, de quo dicetur Annal. VI. 14. Missos quæstores, qui supplicia curarent, multis exemplis compertum. Vide infra Annal. XVI. 34.

" si prorogaretur." Decretum itaque " Cæsarem ac Seja-
" num[1] per quinquennium consulatum continuaturos; et
" iis, cùm Romam intrarent, senatores obviam processu-
" ros." Sejanum, honoris recentem, et excelsa pedeten-
tim, non cursim, peti nescium, obcæcat dignitatis diuturni-
tas, Principis senecta; jamque summam spem præcipit.

28. At ubi senatusconsultum ad Cæsarem perlatum, quantum è republicâ peteretur persensit: ne tamen ambitionem aut facilitate provocaret, aut repulsâ inritaret, rescripsit, " in hâc optimorum senatorum multitudine, imperii
" amplitudine, sapienter à majoribus provisum, ut ne
" annuus quidem esset consulatus: quinquennali dignitate
" egregios viros virtutis præmio, provincias rectoribus
" privari: consulendum non quid sibi, quid suo Sejano sit
" honorificentius; utrique rempublicam laude suâ potiorem
" esse." Hìc Sejano favoris, tot sceleribus parati, finis: declinare cœpit; tanto citiore lapsu, quanto altiore, ruiturus.

29. Suffecti VII. Idus Maii[2] consules Cornelius Sulla et Sexteidius Catullinus. Sejanus, vel exutâ dignitate, potentiâ haud impar Principi, id maximè sategit, ut Capreas repeteret, senem certiùs obsequiis devincturus, vel faciliùs, si facultas daretur, oppressurus: " morbum Liviæ,
" diuturnam absentiam, suum in Cæsarem studium" obtendit. Callidior Tiberius " urbana negotia, suumque Romam
" reditum"[3] objicit: mox datis ad senatum literis, Sejanum

[1] *Cæsarem ac Sejanum.* De his honoribus Dio, LVIII. p. 623. Καὶ τέλος ἐψηφίσθη, ὑπάτους τε σφᾶς δὶς πέντε ἐτῶν ἅμα ἀποδείκνυσθαι, καὶ ἀπαντῆσαν, ὁπότε ἐς τὴν Ῥώμην ἰοίσαν, ἀμφοῖν ὁμοίως γίγνεσθαι. *Denique decretum est, ut ad quinquennium consules simul constituerentur: utrique, cùm Romam intrarent, obviam procederetur.*

[2] *Suffecti VII. Idus Maii.* Die nonâ Maii. Vide inscriptionem supra laudatum Annal. v. 11. not. sup.

[3] *Suumque Romam reditum.* Dio, LVIII. p. 624 et 625. Miror Cl. Catrou, *Histoire Romaine*, vol. XX. p. 664. hæc insigni errore de Caio Caligulâ dicta accepisse.

obliquè perstringit, vel laudando modicè, vel malignè silendo: deinde ut pronos ad nova animos incitet simul ac retardet, modò se "annis et morbo gravem, in principalibus "curis opis alienæ indigum" simulat, modò se, "refectis "viribus, et confirmatâ valetudine, quàm primùm Romam "venturum, et reipublicæ consulturum" nuntiat.

30. PRUDENTIBUS, sed paucis,[1] suboluere Principis consilia: ceteros divisa in Cæsarem et Sejanum principatûs potentia inludebat: ipseque Sejanus, bona inter et mala licèt ambiguus, spe dominationis, quâ ambitiosis in pectoribus nihil tenacius, prolectabatur. Cæsar, ut occultiores sensus tandem extruderet, eum honoribus pariter et æmulatione adgreditur; ipsum enim ejusque filium sacerdotiis exornat cum Caio,[2] quem, Capreas accitum,[3] moxque sumtâ togâ, ut futurum heredem, laudavit. Æmulum, fortunæque ostentatum, juvenem, nimia populi in revirescentem Germanici domum studia invidit Sejanus. Patres verò, ad deforme obsequium semper projecti, nec artium callidi "proconsulare imperium[4] illi" decrevêre; "eumque in posterum "consulibus exemplar proponendum" censuere: invidiam mollivit aucta dignitas, servilisque adulatio. Sed mox timorem addidit Princeps, cùm Hispaniæ aliarumque provincia-

[1] *Prudentibus, sed paucis.* Dio, LVIII. p. 625. hæc fusiùs prosequitur, quàm ut describantur. Immanem enim in molem notæ excrescerent.

[2] *Sacerdotiis exornat cum Caio.* Dio, LVIII. p. 625. Ὁ Τιβέριος ἱερέας μετ' αὐτοῦ (Γαΐου) τε καὶ ἐκεῖνον καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐποίησε. *Tiberius Sejanum filiumque ejus cum Caio sacerdotes fecit.*

[3] *Capreas accitum.* Sueton. in Caio, X. *Caius vicesimo ætatis anno accitus Capreas, uno atque eodem die togam sumsit; barbamque posuit: sine ullo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum ejus.* Sacerdotia laudesque à Tiberio datas silet scriptor indiligens, fermè totus in Principum criminationibus et libidinibus.

[4] *Proconsulare imperium.* Dio, LVIII. p. 625. Τήν τε ἀνθυπατικὴν ἐξουσίαν αὐτῷ ἔδωκαν, καὶ προσψηφίσαντο πᾶσιν αἰεὶ τοῖς ὑπατεύουσι προαγγέλλεσθαι, κατὰ τὸ ἐκείνου ζήλωμα ἄρξαι. *Proconsulare imperium ei dederunt; id etiam decreto addidere præcipiendum omnibus, in posterum consulibus, ut ejus ad imitationem magistratum gererent.*

rum[1] rectores, Sejano infensos, et criminum postulatos, absolvisset.

31. Tum pœnitere[2] quòd in consulatu, demissâque in servitutem civitate, nihil adtentâsset: dubias tamen spes paululum firmavere Cæsaris ad consules literæ,[3] quibus appellato quidem Sejano, minimè tamen laudato, Neronem, atrociùs increpitum, "hostem judicari, et necari"[4] jussit: at inconsultos ob cædem tamdiu expetitam, lætitiæ sensus brevi temperavit, et terrores vividiùs incussit. Gnarus enim, imminutâ veneratione, imminui homines dignitate, quàm virtute, majores, imperavit "ut nemini mortali[5] "sacrificaretur; in ceteris etiam Principis honoribus modus "foret: nihilque novi de iis referretur," Hæc quidem obsequia spernebat Cæsar, principatûs, quàm religionis, studiosior: ea verò ambiebat Sejanus, sui cultor ipse et numen, religione ad principatum usus, et adorata capita odiosiùs evilescere nesçius.

32. Sublato Sejani cultu, et infractâ paulatim potentiâ, ardentiora fuere in Caium, ipsumque Principem, Germanici domui æquiorem, studia. Cæsar, animorum inclinatione lætus, heredis certus, de se securus, Sejanum ad fidei perfidiæve extrema impellit; ejusque intimos, criminum postulat, morte adficit; in imperii tranquillitatem haud aliàs intentior. Dissimulatione et patientiâ suspicacem Principem

[1] *Hispaniæ aliarumque provinciarum.* Hæc pluribus prosequitur Dio, LVIII. p. 626.

[2] *Tum pœnitere.* Dio, ibid.

[3] *Ad consules literæ.* Dio, ibid.

[4] *Hostem judicari, et necari.* Sueton. in Tiber. LIV. in Caio, VII. Dio quoque, loc. cit.

[5] *Nemini mortali.* Dio, LVIII. p. 626. Καὶ ἐκεῖνα, μήτ' ἀνθρώπων τινὶ θύεσθαι, διότι καὶ ἐκείνῳ (Σεϊανῷ) τοῦτ' ἐγίγνετο, μήτε ἐπὶ τῇ ἑαυτοῦ τιμῇ τι χρηματίζεσθαι, διότι πολλὰ ἐκείνῳ ἐψηφίζετο, τοῦτο γὰρ ἀπηγορεύκει μὲν καὶ πρότερον, τότε δὲ διὰ τὸν Σεϊανὸν ἀπεῖπατο. *Edixit ne cui homini sacrificaretur, quòd Sejano res sacra fieri solebat; neve de sui honore quidquam referretur; quippe multa Tiberio decernebantur, quod jam antè interdictum, tum propter Sejanum repetebatur.*

oppressisset Sejanus: sed urgebant fata, sceleribus gravida; et lævam mentem in conjurationem adegere. "Spes vanes-"cere, se peti" infremens, prætoriisque cohortibus superbus, senatores, equites, libertos,[1] criminum socios, Principi invisos solicitat, et nefario fœdere inligat; atrocior simul ac felicior, quàm ut infaustis, quæ tum percrebuere, portentis retardaretur.[2] Sceleris horrore dubium an præmiorum spe, conjurationis indicium apud Antoniam Satrius Secundus,[3] Sejani cliens, professus est.

33. ANTONIA, grandi animo, nec minore in Caium,

[1] *Senatores, equites, libertos.* Josephus Antiq. Jud. XVIII. 6. Ἐπιβουλῆς γὰρ μεγάλης συγάσης ὑπ' αὐτὸν, (Τιβέριον), ὑπὸ Σηϊανοῦ, φίλου τε αὐτοῦ, καὶ δύναμιν ἐν τῷ τότε μεγίστην ἔχοντος διὰ τὸ τῶν στρατιωτῶν εἶναι ἡγεμονίαν αὐτῷ, καὶ τῆς τε βουλῆς οἱ πολλοὶ, καὶ τῶν ἀπελευθέρων προσέθεντο, καὶ τὸ στρατιωτικὸν διέφθαρτο, πρᾶσσοντί τι ἢ ἐπιβουλὴ ἐπὶ μέγα, κἂν ὑπέστρεπτο Σηϊανῷ τὸ ἔργον, μὴ τῆς Ἀντωνίας τόλμη χρησαμένης σοφωτέρᾳ τῆς Σηϊανοῦ κακουργίας. Ἐπεὶ γὰρ μανθάνει τὰ ὑπὸ τῷ Τιβερίῳ συγκείμενα, γράφει πρὸς αὐτὸν τὰ πάντα ἀκριβῶς, καὶ Πάλλαντι ἐπιδοῦσα τὰ γράμματα τῷ πιστοτάτῳ τῶν δούλων αὐτῆς, ἐκπέμπει πρὸς Τιβέριον ὡς τὰς Καπρέας· ὁ δὲ μαθὼν, τόν τε Σηϊανὸν κτείνει καὶ τοὺς συνεπιβούλους· τήν τε Ἀντωνίαν, καὶ περὶ ἀξιολόγου ἄγων, τιμωτέραν τι ὑπειλήφειν καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσι πιθανήν. *Magnâ conjuratione in Tiberium factâ à Sejano, Principis amico, maximamque potestatem ob prætoriarum cohortium præfecturam adepto, multi è senatoribus cum libertis sese ei adjunxerunt, corruptisque militibus, conjuratio invalescebat, resque Sejano successisset, nisi Antonia prudenti audaciâ Sejani malitiam superdisset. Ubi enim nefandas in Tiberium machinationes intellexit, omnia ei diligenter perscripsit, traditisque literis Pallanti, servorum suorum fidissimo, misit eum Capreas ad Tiberium. Ille verò, re cognitâ, Sejanum occidit et hujusce consilii participes; et Antoniam, quam antèà magni faciebat, majore in honore habuit, eique in omnibus confidit.* Tacitum quoque Annal. VI. 8 et 14. videas. Verùm Cl. Crévier, *Histoire des Empereurs*, vol. I. p. 562. Auctores Anglos, *Histoire Ancienne tirée de l'Anglois*, vol. IX. p. 498. et Cl. Tillemont, vol. I. p. 109. secutus, hanc conjurationem anno priore conflatam ac detectam scripsit: quo nihil potest fingi Josepho, ac Tacito, veritati historicæ, Sejani Tiberiique ingenio contrarium magis. Inde tot eorum in hâc historiæ parte errores.

[2] *Portentis retardaretur.* In his portentis recensendis plurimus Dio, LVIII. p. 624 et 625. Puderet referre: in iis enim vulgò pauca vera; multa fortuita: mendacia plurima.

[3] *Satrius Secundus.* Tacit. Annal. VI. 47. *Satrio Secundo conjurationis indice.*

nepotem,[1] caritate, missis per Pallantem,[2] servorum suorum fidissimum, literis, crimen Principi demonstrat. Tiberius, quamquam ad omnes eventus casusque paratus, periculum exhorruit: invictâ tamen mente, solitas moras vincit, et promtissimas opprimendæ conjurationis vias meditatur; Sejanum exosus, Prætorianos metuens, ceteros aspernatus, Prætorianos in obsequio præmiis retinere, Sejanum supplicio infamare statuit: ceteros imbelles in pœnas ultro ruituros.

34. Tum consules erant Memmius Regulus et Fulcinius Trio:[3] hic Libonis accusatione et Sejani favore infamis; ille paulo segnior, sed auctoritate et constantiâ egregius; ideoque delectus, qui Sejanum circumveniret. Mox Cæsar Sertorium Macronem,[4] secretorum participem, advocat, cohortibus prætoriis præfectum destinat; explicatis consiliis, datisque literis, Romam mittit; monetque (id enim quidam tradidere) "ut, si quid tumultûs[5] in Urbe oriatur, armaque "ab Sejano tententur, Drusum, in palatio clausum, educat, "et ducem populo imponat."

35. Macro, Urbem noctu ingressus, Principis jussa cum Memmio Regulo, consule, et Græcino Lacone, Vigi-

[1] *In Caium, nepotem.* Vide stem. Cæs. n. 42 et 86. Caius, relegatâ matre suâ Agrippinâ, ad Antoniam aviam transierat, Sueton. in Caio, x.

[2] *Per Pallantem.* Qui, Claudio imperitante, tanto protervior Sejano fuit, quanto vilior. De illo plurima Annal. xii. xiii et xiv.

[3] *Memmius Regulus et Fulcinius Trio.* Cornelio Sullæ et Sexteidio Catullino fuerant suffecti. Vide inscriptionem veterem Annal. v. 11. not. sup.

[4] *Cæsar Sertorium Macronem.* Hæc ceteraque, quæ Sejani exitum spectant, fusè prosequitur Dio, lviii. p. 626. 627 et 628.

[5] *Ut, si quid tumultûs.* Dio, lviii. p. 629 et 630. Τῷ τε Μάκρωνι, ἤν τινές φασιν, ἐντείλατο, ὅπως ἄν τι παρακινήσῃ, τὸν Δρῦσον ἤν τι τὴν βουλὴν καὶ ἐς τὸν δῆμον ἐσαγάγῃ, καὶ αὐτοκράτορα ἀποδείξῃ. *Macroni, ut quidam referunt, mandaverat, si quis gravior motus incidisset, ut Drusum ad senatum et populum produceret, et imperatorem constitueret.* Vide et Tacitum Annal. vi. 23. Suet. in Tiber. lxv.

lum præfecto, communicat; ceteraque ad Urbis tranquillitatem, Cæsaris securitatem, Sejani exitium, providet. Intereà Cæsar, in summo discrimine nullam satis magnam esse prudentiam certus, naves, quibus, si adversa evenerint, ad fidissimas legiones perfugiat, aptare; ipse ex altissimâ rupe,[1] signa, quæ, ne nuntii morarentur, ad spei timorisve indicia, tolli mandaverat, speculari.

36. TANDEM feralis inluxit dies. XV. Kalendas Novembris,[2] vocati patres in ædem Apollinis, palatio vicinam, convenere. Sejanus ipse venit, prætorianis stipatus: palatium subit, visoque Macrone, nihil literarum à Principe ad se allatum stupet. At cum veneratione à Macrone salutatus, secretòque monitus, " se tribuniciæ potestatis " collegam à Cæsare deligi; mox dandas consuli, qui ad " patres referret, Principis literas," ædem intrat, quòd summa tandem adeptus sit superbus. Prætorianos statim adloquitur Macro, " Principem iis singula denariûm millia[3] " elargiri, seque eorum præfectum esse" nuntiat: deinde curiam ingressus, datisque Principis literis, ad eos revertitur, et " ad castra simul pergere," jubet. Rei novitate læti magis, quàm attoniti, properant. Ubi recessere, Laco Vigiles ædi Apollinis circumdedit.

37. TUM flamma,[4] ingentis pilæ specie visa, statimque evanida, vana et mira sectantibus versabilis fortunæ fuit prænuntia. Patrum enim vota inter et obsequia tribuni-

[1] *Aptare; ipse ex altissimâ rupe.* Ista Suetonius Tiberio iniquior, ut sæpe monuimus, in Tiberii dedecus perperam vertit, in Tiber. LXV.

[2] XV. *Kal. Novembris.* Tacit. Annal. VI. 25. Cetera vide apud Dionem, LVIII. p. 626.

[3] *Singula denariûm millia. Angl.* 33*l.* 6*s.* 8*d.*

[4] *Tum flamma.* Senec. Natural. Quæst. I. 1. *Nos quoque vidimus non semel flammam ingentis pilæ specie, quæ tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus circa divi Augusti excessum simile prodigium: vidimus cùm de Sejano actum est; nec Germanici mors sine denuntiatione tali fuit.*

ciam potestatem Sejano gratulantium, apertis Cæsaris literis,[1] Memmius Regulus plurima de rebus ad rempublicam spectantibus legit; mox pauca et ambigua de Sejano, à patribus in melius accepta; deinde quædam de Sejano tristia, mirantibus patribus, seque nonnullis ab illo dissociantibus; denique truculentiora, et Principis jussa "senatores duos, Sejano intimos plecti, Sejanum comprehendi" (eum enim, ne efferarentur animi, morte adficiendum secretioribus imperiis mandaverat): "se Romam modò "venturum: alterum ex consulibus[2] mittendum, qui senem "Principem, auxilii inopem, in conspectum eorum cum "militari præsidio perduceret." Sejanus, statim solus, et in subitâ vastitate trepidus, pallescere; prætoribus ac tribunis plebis cinctus, exhorrescere; ad vocem consulis inclamantis, "Ades huc, Sejane," non fastu, sed parendi desuetudine, et captus animi, auribus non competere. Consule iterum et tertiùm, protentâ manu, inclamante, "Adesdum, "Sejane," cùm surgeret exanimus, Laco adstitit, vimque paravit. Versâ fortunâ, confestim senatorem confusis clamoribus et maledictis undique impetitur.

38. MEMMIUS Regulus, studiorum tamen et deliberationum incerta veritus,[3] neque omnium sententiam rogare, neque capitis inquirere; sed senatore uno "vinciendum "reum" illi adsentiente, jubet "vincla injici." Ipso duce, stipantibus magistratibus, in carcerem trahitur. Disrupto Sejaniano jugo, effusa civitas omnia principatûs facinora in Sejanum congerere, Principem laudare; plebs tanto insolentior, quanto reus excelsior, ipsaque miserior, lætari, insultare, exprobrare crimina, spes inridere, et, ud ad infamiam

[1] *Apertis Cæsaris literis.* Hæc omnia Dio, LVIII. p. 627. Juvenal, x. 71.

Verbosa et grandis epistola venit A Capreis.

Epistolam hanc, *pudendam miserandamque orationem* appellat Suet. in Tib. LXV. Tiberio injurius.

[2] *Alterum ex consulibus.* Suet. loc. cit.

[3] *Incerta veritus.* Dio, LVIII. p. 627. hæc particulatim memorat.

pateat, velatam faciem retegere: discerpere imagines, statuas devellere, raptare,[1] confringere, et, quasi in Sejanum sævirent, furere. Ipse, in laceris præteritæ fortunæ reliquiis imminentium sibi testis, clauditur.

39. Nec mora. Patres ad ædem Concordiæ[2] coacti, cùm nihil turbaret populus, neque Prætoriani apparerent, "ut properatâ Sejani morte Principi gratificarentur" censuere. Confestim misso mortis exactore, supplicio adfectus est; et in Gemonias projectus, Deos, ob fortunata scelera diu invisos, absolvit, ruinâ quàm fortunâ insignitior. Post fata etiam sæviere patres: et ad abolendam exosi hominis memoriam, factum senatusconsultum "quo Sejanus nemini "lugeretur:[3] ejus nomen fastis et monimentis eximeretur:[4]

[1] *Statuas devellere, raptare.* Dio, LVIII. p. 628. Elegantiùs Juvenalis, x. 58.

Descendunt statuæ, restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, et immeritis franguntur crura caballis
Jam strident ignes, jam follibus, atque caminis
Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe secundâ
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum,
Cretatumque bovem: Sejanus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes. Quæ labra; quis illi
Vultus erat? numquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem.

[2] *Patres ad ædem Concordiæ.* Dio, LVIII. p. 628.

[3] *Sejanus nemini lugeretur.* Dio, LVIII. p. 629. Posteà id ultro permisit Princeps, tum clemens, quia inutilis sævitia: fortè etiam, ut novas exitiorum causas haberet. Vide Dionem, LVIII. p. 631.

[4] *Fastis et monimentis eximeretur.* Inde in fastis consularibus unus Tiberius hujus anni consul appellatur. TIBERIO CAESARE V. SOLO. Vel in ipsis nummis erasum est Sejani nomen. Vide Cl. Florez. *Medallas d' España*, p. 183. Cùmque homines amoris et odii sint immodici, ne nominabatur quidem Sejanus, sed hostis tantùm dicebatur, ut in vetere marmore, quod extat Interamnæ, nunc *Terni*, Gruter. p. 113. n. 2.

SALVTI. PERPETVAE AVGVSTAE
LIBERTATIQVE. PVBLICAE
POPVLI. ROMANI

GENIO. MVNICIPI. ANNO. POST
INTERAMNAM. CONDITAM
DCCIIII AD. CN. DOMITIVM
AHENOBARBVM——COS

" libertatis effigies[1] poneretur in foro." Quæ etiam nova,[2] " diem festum, per cunctos magistratus et " sacerdotes celebrandum; ac per singulos annos, necis die, " ludos et venationes, quas quatuor collegia sacerdotum et " sodales Augustales ederent," decrevere: demum ut respublica ausis impudentibus haud ultra pateret, " ne quis " in posterum ad nimios honores eveheretur; neu per " quemquam alium, quàm per Imperatorem, juraretur," sanxere: olim adulationis, nunc opprobrii immodici.[3]

PROVIDENTIAE. TI. CAESARIS. AVGVSTI. NATI. AD. AETERNITATEM. ROMANI. NOMINIS. SVBLATO. HOSTE PERNICIOSISSIMO. P. R. FAVSTVS. TITIVS. LIBERALIS. VI. VIR. AVG. ITER. P. S. F. C.

Id est, *pecuniâ suâ faciendum curavit.* Punito Sejano, amphitheatrum Interamnense saluti perpetuæ Augustæ, libertati publicæ et providentiæ Tiberii dedicatum et consecratum fuisse existimat Angeloni, *Historia di Terni*, p. 2.

[1] *Libertatis effigies.* Dio, LVIII. p. 629.

[2] *Quæ etiam nova.* Dio ibid. Nova quidem erant hæc honorum insignia, quòd non à solis sacerdotibus, ut Annal. III. 64. sed à cunctis etiam magistratibus celebraretur festus ille dies; quòd ludos et venationes, necis die, sacerdotum collegia et sodales Augustales ederent.

[3] *Opprobrii immodici.* Quæ lues scriptores quoque pervasit, ac maximè Valerium Maximum, IX. 11. n. 4. *Sed quid ego ista consector, aut quid iis immoror, cùm unius parricidii cogitatione cuncta scelera superata cernam! Omni igitur impetu mentis, omnibus indignationis viribus, ad id lacerandum pio magis quàm valido affectu feror. Quis enim amicitiæ fide extinctâ genus humanum cruentis in tenebris sepelire conatum, profundo debitæ execrationis satis efficacibus verbis adegerit? Tu videlicet efferatæ barbariæ immanitate truculentior habenas Romani imperii, quas princeps, parensque noster salutari dextrâ continet, capere potuisti? Aut te compote furoris, in suo statu mundus mansisset? Urbem à Gallis captam, et trecentorum inclytæ gentis virorum strage fœdatam, Alliensem diem, et oppressos in Hispaniâ Scipiones, Thrasymenum lacum, et Cannas, bellorumque civilium domestico sanguine madentem Æmathiam amentibus propositis furoris tui repræsentare, et vincere voluisti. Sed vigilârunt oculi Deorum: sidera simul vigorem suum obtinuerunt: aræ, pulvinaria, templa præsenti numine vallata sunt: nihilque quod pro capite Augusti, ac patriâ excubare debuit, torporem sibi permisit. Et in primis auctor ac tutela nostræ incolumitatis, ne excellentissima merita sua totius orbis ruinâ collaberentur, divino consilio providit. Itaque stat pax, valent leges, sincerus privati ac publici officii tenor servatur. Quâ*

40. INTERIM diversi Urbis sensus;[1] læti, quicumque à Sejano, vel injuriâ lacessiti, vel in beneficiis omissi, vel fortunæ insolentiâ offensi: tristes verò ac trepidi, scelerum socii, consanguinei, adfines, amici. In hâc etiam rerum perturbatione, licèt Urbis custodia magistratibus omnibus à Tiberio fuisset demandata, tumultuantur prætoriani, indignati sibi fide et observantiâ in Principem Vigiles fuisse antehabitos; incendia, direptiones miscent, dum populus in præcipuos Sejanianæ sævitiæ satellites inrumpit, et plurimorum morte vetera damna ulciscitur.

41. PACATA demum Urbe, de Principis honoribus,[2] Macronisque et Laconis præmiis relatum: decretumque "ut Cæsar pater patriæ appellaretur; dies ejus natalis "decem equorum certaminibus et senatûs epulo celebrare-"tur: Consul Memmius Regulus cum senatoribus, equiti-"bus, et nonnullis è plebe legati Capreas mitterentur, et "Principi providentiam salutemque publicam gratularen-"tur." Magnâ verò pecuniarum vi munerantur Sertorius Macro et Græcinus Laco: huic quoque quæstoria, illi prætoria insignia decreta: permissumque Macroni, "ut "spectaculis inter senatores adsisteret, "ludisque votivis "prætextâ uteretur." Quos honores uterque recentis exempli pavore potiùs, quàm modestiâ repudiavere.

42. AT TIBERIUS, signis, supra memoratis, mox nuntiis, eventum edoctus, haud magis securitate suâ quàm dissimulatione lætus, artes obfirmat: numquam obscurior et

autem hæc violatis amicitiæ fœderibus tentavit subvertere, omni cum utirpe suâ populi Romani viribus obtritus, etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ mereatur, supplicia pendit. Verè Juvenalis, x. 73.

Sed quid
Turma Remi? sequitur fortunam, ut semper, et odit
Damnatos.

[1] *Diversi Urbis sensus.* Hæc et cetera Dio, LVIII. p. 628.

[2] *De Principis honoribus.* Dio, LVIII. p. 629. Principis honores, Macronis et Laconis præmia recenset.

secreti amantior, in villâ Jovis[1] per novem proximos menses[2] abditus, milites devinxit, dato Syriacis legionibus,[3] quòd nullam Sejani imaginem inter signa coluissent, donativo: legatos verò senatûs[4] ne excepit quidem. Memmium Regulum, consulem, quòd se, cùm Princeps Romam peteret, itineris comitem offerret,[5] repulit: honores quoque sibi delatos aspernatus, "ne de iis posthàc referretur" vetuit, metu incertum an ut ad Sejanianorum pœnas patres acriùs incenderet.

43. CERTE ut primùm legati rediere, Cæsaris silentio, quàm ullis umquam imperiis patres incitati, Sejani propinquos, adfines, intimos, corripiunt. In filium natu maximum, et Junium Blæsum,[6] avunculum, fortunæ propiores, quàm ut sceleris puros, advertitur. Apicatam, mariti morte[7] haud tristem, nati, in Gemonias abjecti,[8] visus penetravit: ad scelerem Sejani et Liviæ confessionem evicta, libellum de Drusi morte[9] ejusque interfectoribus componit, ad

[1] *In villâ Jovis.* De duodecim villarum nominibus et molibus dictum supra Annal. IV. 67.

[2] *Per novem proximos menses.* Ita Suet. in Tiber. LXV. Cl. Crévier, *Histoire des Empereurs*, Vol. I. p. 563. existimat Tiberium per tot menses non delituisse, cùm Tacitus Annal. VI. 1. cœptâ sequentis anni narratione, Principem Campaniam prælegentem exhibeat. Haud attendit vir Clar. Tacitum à temporum ratione nonnumquam discedere, ut narratio magis niteat.

[3] *Dato Syriacis legionibus.* Sueton. in Tiber. XLVIII.

[4] *Legatos verò senatûs.* Dio, LVIII. p. 630.

[5] *Itineris comitem offerret.* Dio, ibid. *Crediderat nimirum epistolæ subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, ut tutus à Capreis Urbem peteret*, Tacit. Annal. VI. 2. Vide et Suet. in Tiber. LXV.

[6] *In filium natu maximum, et Junium Blæsum.* Id ipse Tacitus innuit Annal. V. 7 et 9. Vide stem. Sejani, Annal. IV. 1.

[7] *Apicatam, mariti morte.* Apicatam, Sejani uxorem, sed domo pulsam, ut dictum Annal. IV. 3.

[8] *Nati, in Gemonias abjecti.* Dio, LVIII. p. 628. ait Apicatam ad eam confessionem fuisse evictam, cùm natorum suorum corpora in scalas abjecta videret, μαθοῦσα δὲ ὅτι τὰ τέκνα αὐτῆς τέθνηκε, καὶ σφῶν τὰ σώματα ἐν τοῖς ἀναβαθροῖς ἴδοῦσα. Ego verò narrationis Cornelianæ Annal. V. 9. vestigia secutus, id post mortem filii natu maximi evenisse existimo.

[9] *Libellum de Drusi morte.* Hæc omnia Dio, loc. cit. Drusus, Tiberii filius. De ejus morte dictum Annal. IV. 8.

Cæsarem mittit: mox, ne filiis superstes vivat, se ipsa interficit.

44. CÆSAREM, in silentia obstinatum, vicit accusationis gravitas: ad Senatum scribit, "manifestos mortis Drusi "reos: æquè atrocia adversùm se adtentata:" jubet, "Eudemum ac Lygdum[1] tormentis subjici: utriusque "conjurationis compertos opprimi." Tum publica in Sejanum odia recrudescere: invalescere Drusi desiderium, Tiberii amor: confessione Eudemi ac Lygdi, qui Sejani ac Liviæ facinora, et ab iis propinata Druso venena patefecere, aucta miseratio. Ipseque Tiberius, virtutum, ubi artibus suis utiles, haud rudis, clementiæ laudem obtinet, vitâ Liviæ,[2] infandi sceleris convictæ, ob Antoniæ merita et virtutem permissâ. Indulgentiâ Cæsaris abuti haud valuit; ab optimâ parente, sed maximas pietatis partes in criminum vindictâ positas ratâ, fame enecta. Illam à Tiberio interemtam quidam prodidere,[3] nullum ab immiti Principe clementiæ signum umquam editum opinati.

45. DEMUM in Sejani asseclas tota incubuit legum severitas. Correpti quotquot ejus favore[4] et societate celebrati, nisi ipsi delatorum nomine et accusationum atrocitate impunitatem mercarentur; in jus etiam retracti, olim accusati, et ejus gratiâ absoluti: senatores, equites, virile ac muliebre secus, in carcerem contrusi, aut apud magistratus vadesve adservati: plurimi, ne publicarentur bona, et infami morte dehonestarentur, sibi manus intulere: ceteri damnati, et supplicio adfecti: nonnulli defensionem suscipere ausi.

46. QUATUOR et quadraginta orationes super eâ re habitæ, ex queis ob metum et scelerum memoriam paucæ

[1] *Eudemum ac Lygdum.* Tacit. Annal. IV. 11.

Vitâ Liviæ. Dio, loc. cit. De Liviâ et Antoniâ vide stem. Cæs. n. 71 et 42.

[3] *Quidam prodidere.* Ipse Dio, ibid.

[4] *Correpti quotquot ejus favore.* Dio, LVIII. p. 630.

viriles, plures adsuetudine servitii, imbelles. Orationem meliùs flexit Sejani amicorum integerrimus:[1] crimina, quæ nihil ad se pertinerent, siluit: sacram intactamque amicitiam purgavit. " Numquam," inquit, " Sejani amorem, " mihi pudorem, aut Sejano invidiam allaturum censui: " ejus amicitiâ ad reipublicæ utilitatem sum usus. Versa " est fortuna; et ille quidem, qui collegam et generum " adsciverat, sibi ignoscit: ceteri, quem per dedecora " fovêre, cum scelere insectantur. Cæsarem absolvit, " experta per sexdecim annos, Sejani fides. Hos arguit " probrosa adsentatio. Me sacra amicitiæ jura tueantur. " Miserius sit ob amicitiam accusari, an amicum accusare " haud discreverim: priùs expertus, posteriùs horresco: " nec me degenerem reperient vitæ extrema. Vixi insons, " haud moriar ignobilis. Non crudelitatem,[2] non clemen- " tiam cujusquam experiar, sed liber et mihi ipsi probatus " anteibo periculum. Vos obtestor, ne memoriam nostri " per mœrorem quàm læti retineatis, adjiciendo me quoque " iis, qui fine egregio publica mala effugerunt."

47. Tunc singulos, ut cuique adsistere, adloqui animus erat, retinens aut dimittens, partem diei absumsit; multoque adhuc cœtu et cunctis intrepidum vultum ejus spectantibus, cùm superesse tempus novissimis crederent, gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. Neque Cæsar ullis criminibus, aut probris defunctum insectatus est, cùm in Blæsum multa fœdaque incusavisset.

48. Relatum inde de P. Vitellio, et Pomponio Secundo: illum indices arguebant, " claustra ærarii, cui præfectus " erat, et militarem pecuniam rebus novis obtulisse:" huic à Considio, præturâ functo, objectabatur " Ælii Galli " amicitia, qui, punito Sejano, in hortos Pomponii, quasi

[1] *Integerrimus.* Periit nomen viri integerrimi.

[2] *Non crudelitatem.* Cetera notis illustrata vide Annal. v. 6 et seq.

" fidissimum ad subsidium, perfugisset:" neque aliud periclitantibus auxilii, quàm in fratrum constantiâ fuit, qui vades extitere: mox, crebris prolationibus, spem ac metum juxtà gravatus Vitellius, petito per speciem studiorum scalpro, levem ictum venis intulit, vitamque ægritudine animi finivit. At Pomponius, multâ morum elegantiâ, et ingenio inlustri, dum adversam fortunam æquus tolerat, Tiberio superstes fuit.

49. PLACITUM posthàc, " ut in reliquos Sejani liberos " adverteretur;" vanescente quamquam plebis irâ, ac plerisque per priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, filius imminentium intelligens, puella adeò nescia, ut crebrò interrogaret, " quod ob delictum, et quò trahere- " tur? neque facturam ultra," et, " posse se puerili " verbere moneri." Tradunt temporis ejus auctores, " quia triumvirali supplicio affici virginem inauditum habe- " batur, à carnifice, laqueum juxta, compressam:" exin oblisis faucibus, id ætatis corpora in Gemonias abjecta.

50. PER idem tempus Asia atque Achaia exterritæ sunt, acri magis, quàm diuturno rumore, " Drusum, Germanici " filium, apud Cycladas insulas, mox in continenti visum:" et erat juvenis haud dispari ætate, quibusdam Cæsaris libertis, velut agnitus, per dolumque comitantibus. Alliciebantur ignari famâ nominis, et promtis Græcorum animis ad nova et mira: quippe " elapsum custodiam, pergere ad paternos " exercitus, Ægyptum aut Syriam invasurum" fingebant simul, credebantque. Jam juventutis concursu, jam publicis studiis frequentabatur, lætus præsentibus et inanium spe; cùm auditum id Poppæo Sabino. Is Macedoniæ tum intentus, Achaiam quoque curabat. Igitur, quò vera seu falsa anteiret, Toronæum Thermæumque sinum præfestinans, mox Eubœam, Ægæi maris insulam, et Piræum Atticæ oræ, dein Corinthiense littus, angustiasque Isthmi

evadit: marique alio Nicopolim, Romanam coloniam, ingressus, ibi demum cognoscit, solertiùs interrogatum, " quisnam foret," dixisse, " M. Silano genitum," et multis sectatorum dilapsis, ascendisse navem, tamquam Italiam peteret: scripsitque hæc Tiberio: neque nos originem finemve ejus rei ultra comperimus.

51. EXITU anni, diu aucta discordia consulum erupit: nam Trio, facilis capessendis inimicitiis, et foro exercitus, " ut segnem Regulum ad opprimendos Sejani ministros" obliquè perstrinxerat: ille, nisi lacesseretur, modestiæ retinens, non modò retudit collegam, sed " ut noxium " conjurationis" ad disquisitionem trahebat. Multisque patrùm orantibus, ponerent odia in perniciem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

BREVIARIUM

SUPPLEMENTI

LIBRI SEPTIMI ANNALIUM.

1. Nuntiata Romæ Tiberii morte, timor, mox furor. 2. Caius Macronis artibus Princeps appellatur. 3. Funus Tiberii. 5. Caii in matrem fratremque pietas. 6. Honores in Antoniam, Claudium, Caiique sorores collati. 7. De his imperii auspiciis publica lætitia. 8. Inde fracta principatûs vis et affectata popularitas. 10. Tiberii legata Caii liberalitate aucta. 11. In reges exteros, Agrippam et Antiochum, beneficentia. 12. Artabani obsequia. 13. Felicitatem publicam verbis factisque intendit Caius. 15. Templum Augusti dedicatum: datum congiarium.

16. Spectacula. 17. Caio, ut Urbis restitutori, honores decreti. Hos inter ad ingenita vitia Princeps delabitur. 19. Ejus morbus; Urbisque dolor. 20. Caius convalescit, sed mutato in pejus animo. 21. Tiberium, Tiberii nepotem, interficit. 22. In alios quoque crudelis. 23. Uxorem ducit Liviam Orestillam, quam mox repudiat. 24. Labantem famam propagatâ Saturnalium hilaritate sustinet. 25. Portenta tamen vulgari cœpta. 26. Eorum invidia Principis popularitate et liberalitate depellitur. 27. At malesana ejus mens nefariis Heliconis et Apellis artibus pessumdatur. 28. Effræna spectaculorum libido. 29. Favet senatus; suaque inter funera plaudit populus. 30. Macronis ejusque domûs ruina. 31. Ut plures perirent, excogitata nova crimina. 32. Mors Drusillæ. Immodesta Principis tristitia. 33. Cœlestes Drusillæ honores. 34. Livii Geminii adulatio. Publicum in exitium vertit Drusillæ cultus. 35. Lollia Paullina Principi nupta, miro luxûs apparatu. 36. Data regna. 37. Agrippa, Alexandriam profectus, ibi injuriis appetitur, Flacci Avillii temeritate, aut incuriâ. 39. Pœna Avillii. 41. Publica opera laudabiliter suscepta, leviter omissa. 42. Mortes laudesque Antoniæ et Julii Græcini. Passienus heredis fraude enectus.

Hæc fermè biennio gesta

A. U. C.	J. C.	
DCCXC.	37.	Coss. Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino.
DCCXCI.	38.	Coss. M. Aquillio Juliano, P. Nonio Asprenate.

SUPPLEMENTUM

LIBRI SEPTIMI

ANNALIUM.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

A. U. C. 790. J. C. 37.

1. Audita Romæ Tiberii morte, trepidatum[1] ne nova abstrusiorque dissimulatio omnium ruinam pararet. Postero die, certioribus nuntiis, quò tardiora, eò acriora erupere odia; pudebatque, vel post fata, tristissimum Principem timuisse. Plebs, ut metûs, sic lætitiæ et spei immodica, gaudio furere: pars "Tiberium in Tiberim"[2] clamitare:

[1] *Trepidatum.* Joseph. Antiq. Judaic. xviii. 6. n. 10. Οὐ μὴν πιστεύειν γε θάρσος ἦν αὐτοῖς, οὐ τῷ μὴ βούλεσθαι, πρὸ πολλῶν γὰρ ἂν ἐτίμησαν χρημάτων τὸ ἐπαληθεῦσαι τῶν λόγων, δέει δὲ μὴ ψευδοῦς τῆς ἀγγελίας γενομένης προεξανιστάντες ἐπίδηλοι ὦσι τοῦ αὐτῶν χάρματος, εἶτ' ἀπόλοιντο διαβολῆς αὐτῶν γενομένης. Mortuum esse Tiberium Romani *vix audebant credere, non quod id magnoperè non vellent, nam verum esse quod nuntiaretur, vel ingenti pecuniâ redemtum irent; sed quod vererentur ne falso rumore ante tempus excitati gaudium suum proderent, deinde accusatione in eos institutâ malè perirent.*

[2] *Tiberium in Tiberim.* Suet. in Tiber. lxxv. *Morte ejus,* Tiberii, *ita lætatus est populus, ut ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim clamitarent: pars Terram matrem, Deosque Manes orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent: alii uncum, et Gemonias cadaveri minarentur, exacerbati super memoriam pristinæ crudelitatis, etiam recenti atrocitate. Nam cùm senatusconsulto cautum esset, ut pœna damnatorum in decimum semper diem differretur, fortè accidit, ut quorumdam supplicii dies is esset, quo nuntiatum de Tiberio erat. Hos implorantes*

pars " Terram matrem, Deosque Manes orare, ne mortuo " sedem ullam, nisi inter impios, darent:" alii " uncum " et Gemonias" cadaveri minitari. Omnes exacerbavit recens atrocitas: sævitum enim in damnatos, qui in diem decimum,[1] quo de Tiberio erat nuntiatum, dilati, hominum fidem, absente novo Principe, implorabant. Inritis precibus, à custodibus, ne quid adversùs constitutum fieret, sunt strangulati, et corpora in Gemonias,[2] abjecta, pristinâ crudelitate superstite.

2. ANIMOS molliere literæ Caii Cæsaris ad senatum cum testamento Tiberii à Macrone adlatæ.[3] " Cœlestes religio- " nes avo decerni" mandabat, " se modò Romam ventu- " rum, et cum patribus de republicâ consulturum. Juve- " nem, Germanici filium, benevolentiâ foverent, consiliis " regerent." Testamentum verò, quo Tiberius biennio antè duos nepotes[4] æquis partibus heredes scripserat, Claudium in spem tertiam,[5] legato etiam circa vicies sestertio,[6] adsumserat, rescindi, et Caium Principem appellari

hominum fidem, quia absente adhuc Caio, nemo extabat qui adiri, interpellarique posset, custodes, ne quid adversùs constitutum facerent, strangulaverunt, abjeceruntque in Gemonias. Crevit igitur invidia: quasi, etiam post mortem tyranni sævitiâ permanente.

[1] *In diem decimum.* De senatusconsulto, quo in diem decimum vitæ spatium damnatis prorogatum est, dictum supra Annal. III. 51.

[2] *In Gemonias.* In scalas Gemonias, de quibus dictum supra Hist. III. 74.

[3] *A Macrone adlatæ.* Vide Josephum, Antiq. Judaic. loc. cit. Dionem, LIX. p. 640. Suetonium in Tiber. LXXVI. *Testamentum duplex ante biennium fecerat Tiberius: alterum suâ, alterum liberti manu, sed eodem exemplo: obsignaveratque etiam humillimorum signis. Eo testamento heredes æquis partibus reliquit, Caium ex Germanico, et Tiberium ex Druso nepotes: substituitque invicem.*

[4] *Duos nepotes.* Caium et Tiberium, ut modò dictum est. Vide stem. Cæs. n. 72 et 86.

[5] *Claudium in spem tertiam.* Sueton. in Claud. VI. Tiberius *moriens, et in tertiis heredibus eum,* Claudium, *ex parte tertiâ nuncupatum, legato etiam circa ES vicies prosecutus, commendavit insuper exercitibus, senatui, populoque Romano inter ceteras necessitudines nominatim.*

[6] *Vicies sestertio. Angl.* 16,666*l.* 13*s.* 4*d.*

curabat Macro. De testamento et Caio Principe statim adsensere patres,[1] principatûs arbitrio superbi, veteremque ignominiam ulturi pariter et novum favorem eodem dedecore emercaturi. De mortui cœlestibus honoribus post adventum Principis consultandum censuere.[2]

3. INTERIM Miseno[3] Romam Tiberii corpus per milites deportabatur.[4] Effusus oppidorum populus densissimo ac lætissimo agmine undique adcurrit, ad novæ dominationis obsequia, quàm ad funerum solemnia, paratior. Non lacrymis, non ploratibus, sed confusis in invisum Principem dicteriis, festis vocibus et laudibus Caii Cæsaris,[5] lugentis habitu funus prosequentis, omnia personant. Ipse incedens inter altaria et victimas, tædasque ardentes et feralis pompæ ministeria, sui famâ fruitur, et in avum convitia majori mœstitiæ ac pietatis specie invitat.

4. URBEM noctu ingressus,[6] manè Tiberium, antequàm publico funere cremaretur,[7] plurimis lacrymis, modicis

[1] *Adsensere patres.* Tiberiumque Cæsarem, juniorem quàm ut in curiam venire posset, imperio imparem pronuntiârunt. Ita elusa extrema Tiberii voluntas. Verèque Dio, LIX. p. 640. Οὐδὲν γὰρ ἔτι πρὸς τὴν ἀγνωμοσύνην, ἔτι πρὸς τὴν δύναμιν τῶν διαδεχομένων τινὰ, ἐπίσκηψίς τις ἰσχύει. *Nullum est consilium, quod adversùs ingratum animum, vimque successorum, valeat.*

[2] *Consultandum censuere.* Dio, LIX. p. 642.

[3] *Miseno.* Tiberium Miseni esse mortuum vidimus supra Annal. VI. 50.

[4] *Deportabatur.* Sueton. in Tiber. LXXV. *Corpus ut moveri à Miseno cœpit, conclamantibus plerisque, Atellam potiùs deferendum, et in amphitheatro semiustulandum, Romam per milites deportatum est, crematumque publico funere.* Notæ omnibus fabulæ Atellanæ.

[5] *Laudibus Caii Cæsaris.* Sueton. in Caio, XIII. *Ut à Miseno movit* Caius, *quamvis lugentis habitu, et funus Tiberii prosequens: tamen inter altaria et victimas, ardentesque tædas densissimo et lætissimo obviorum agmine incessit super fausta nomina, sidus, et pullum, et puppum, et alumnum appellantium.*

[6] *Noctu ingressus.* Hæc, ceteraque, quæ sequuntur Dio, LIX. p. 642 et 643.

[7] *Cremaretur.* Romæ in S.

laudibus celebravit, magna de Augusto, maxima de Germanico, nonnulla de se prolocutus. Mox cum patribus curiam subiit;[1] paucaque et modesta præfatus, imbellem coheredis ætatem[2] querens, seque illi patris loco futurum pollicitus, inrumpente turbâ, inritâque Tiberii voluntate, Princeps omnium vocibus salutatur. Varia honorum nomina, Augusto probata, à Tiberio spreta, in Caium, gliscente semper adulatione, aggerantur. Modestiæ retinens incertum, an simulator, omnia remisit:[3] studia hominum, ob memoriam patris, miserationemque prope adflictæ domûs, jam accensa, omni genere popularitatis incendere enisus.[4]

Andreâ prope SS. Apostolos, ex vetere Inscriptione, apud Gruterum, p. 236. n. 1.

OSSA
TI. CAESARIS. DIVI. AVG. I
AVG. PONT. MAX
TR. POT. XXXIIX
IMP. VIII. COS. V

[1] *Curiam subiit.* Dio, LIX. p. 642 et 643. Sueton. in Caio, XIV. *Ingresso Urbem, statim consensu senatûs, et irrumpentis in curiam turbæ, irritâ Tiberii voluntate qui testamento alterum nepotem suum prætextatum adhuc coheredem ei dederat, jus arbitriumque omnium rerum illi permissum est.*

[2] *Imbellem coheredis ætatem.* Philo, Legat. ad Caium, p. 995. Συναγαγὼν τὴς ἐν τίλει, Βέλομαι μὲν, ἔφη, τὸν γόνυ μὲν ἀπψιὸν, ἐυνοίᾳ δὲ ἀδελφὸν, ἐπόμενος καὶ τῇ τῦ τιτιλιυτηκότος Τιβερίε γνώμῃ κοινοπραγῆν τῆς αὐτοκρατῦς ἐξυσίας. Ὁρᾶτε δὲ καὶ αὐτοὶ πάπιον ὄντα κομιδῇ, καὶ χρήζοντα ἐπιτρόπων, καὶ διδασκάλων, καὶ παιδαγωγῶν· ἐπὶ τί ἂν ἦν μεῖζον ἀγαθὸν, ἢ τοσαῦτα βάρη τῆς ἡγεμονίας, μὴ μίαν ψυχὴν ἢ σῶμα ἓν ἐπιχθίσθαι, ἀλλ' ἔχειν τὸν δυνησόμενον ἐπιλαμβάνειν καὶ συμπιεζίζειν; Ἐγὼ δὲ, ἔφη, παιδαγωγὸς καὶ διδασκάλους καὶ ἐπιτρόπους ὑπερφαλὼν, ἐμαυτὸν ἤδη γεάφω πατέρα, υἱὸν δὲ ἐκεῖνον. *Convocatis patribus, Vellem, inquit, hunc cognatione patruelem, benevolentiâ fratrem, juxta extremam Tiberii voluntatem, in imperii societatem assumere. Sed ipsi videtis eum admodùm puerum opus habere curatoribus, pædagogis, præceptoribus: alioquin quid mihi contingere potest optatius, quàm tanto imperii pondere non onerari unum corpus unamque animam; et habere me à quo pro parte suâ subinde adjutante sublevet? Equidem, inquit, plus quàm pædagogum, vel curatorem, vel præceptorem ei me fore jam nunc profiteor, et me patrem appellari, illum filium jubeo.* In his quidem Caii sensus, sed loquacioris Judæi verba facilè agnoscas.

[3] *Omnia remisit.* Dio, LIX. p. 641. Μήτι τῶν ἀνομάτων τῶν ἀρχικῶν προσθῆσθαί τι. *Titulos Principibus tribui solitos respuit.*

[4] *Incendere enisus.* Sueton. in Caio, XIII et XV.

5. Ut magis exardescerent, confestim Pandatariam et Pontias,[1] ad transferendos matris fratrisque cineres,[2] festinavit, tempestate turbidâ, quò magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per semet in urnas condidit. Nec minore scenâ Ostiam, præfixo in biremis puppe vexillo,[3] et inde Romam Tiberi subvectos, per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die, duobus ferculis Mausoleo intulit:[4] inferiasque[5] his annuâ religione publicè instituit: matri[6] Circenses, carpentum-

[1] *Confestim Pandatariam et Pontias.* Hæc et sequentia totidem verbis habet Suetonius in Caio, XV. Agrippinam, Caii matrem, in insulam Pandatariam, nunc *isle Saint Mary*, Neronem, ejus fratrem in Pontiam, nunc *Ponza*, fuisse projectos diximus in Supplemento Annal. V. 12.

[2] *Matris fratrisque cineres.* Extat adhuc Romæ in areâ Capitolinâ, sub porticu domûs Conservatorum, urna marmorea, inscripta:

OSSA
AGRIPPINAE. F. M. AGRIPPAE
DIVI. AVG. NEPTIS. VXORIS
GERMANICI. CAESARIS
MATRIS. C. CAESARIS. AVG.
GERMANICI. PRINCIPIS

Ibidem in aliâ urnâ inscriptum:

OSSA
NERONIS. CAESARIS
GERMANICI. CAESARIS. F
DIVI. AVG. PRON. FLAMIN
AVGVSTALIS. QVAESTORIS

Vide Gruterum, p. 227. n. 3 et 4.

[3] *In biremis puppe vexillo.* Vellum purpureum *imperatoriæ navis insigne* memorat Plinius, XIX. 1. Fixum verò vexillum in puppe, non in prorâ, quòd hæc biremis non ad bellum, sed ad transvectionem erat adornata. Vide Schefferum, *de Militiâ naval.* III. 1. p. 175.

[4] *Mausoleo intulit.* Augusti tumulo, in quo conditos Germanici cineres vidimus Annal. III. 4. Caium hæc fecisse, *prætextâ amictum, cinctum lictoribus, tamquam in triumpho*, tradit Dio, LIX. p. 642. Ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνῆμα κατέβητο, τὸ ἱμάτιον τὸ πορφυροῦν ἐνδὺς, καὶ ῥαβδούχους τισὶν, ὥσπερ ἐν ἐπινικίοις, κοσμηθείς. In divinis triumphalibusque cærimoniis Romani ferculis utebantur, quibus Deorum imagines, signa, victarum gentium spolia aliaque victoriæ insignia vehebantur. Vide Suetonium in Jul. XXXVII et LXXVI.

[5] *Inferiasque.* De hoc funebri ritu dicetur infra, in Suppl. Annal. IX. 18.

[6] *Matri.* Cùm Caius Agrippinam Germanicumque honoribus ita prosequeretur, tunc sanè à Mytilenæis cusus est æreus nummus, quem laudat Cl. Pellerin, *Recueil des Médailles des Peuples et des Villes*, vol. III. p. 239. ΘΕΟΝ ΓΕΡΜΑΝ—ΜΥΤΙ. id est, *divum*

que,[1] quo in pompâ traduceretur, addidit. In memoriam quoque patris Septembrem mensem *Germanicum* appellavit. Cœlestium religionum, quas avo petierat, planè incuriosus.[2]

6. Eodem in domûs suæ superstites studio, Antoniæ, aviæ,[3] quidquid umquam Livia Augusta honorum cepisset, uno senatusconsulto congessit:[4] patruum Claudium, equitem Romanum ad id tempus, collegam sibi in consulatu destinavit: fratrem Tiberium[5] die virilis togæ adoptavit, appellavitque "principem juventutis." De sororibus auctor fuit, ut omnibus sacramentis adjiceretur, "neque me liberosque meos cariores habeo, quàm Caium et sorores ejus:" consulum verò relationibus, "quod bonum felixque sit C. Cæsari sororibusque ejus,"[6] præmitteretur.

7. Hæc imperii primordia, bonum inter ac malum ambigua, et principalibus curis minora, populus, virtutum rudis,

Germanicum colunt *Mytilenæi*. Caput Germanici. In aversâ parte, ΘΕΑΝ. ΑΙΟΛΙΝ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΜΥΤΙ. Caput Agrippinæ. ΑΙΟΛΙΝ autem erratum est scalptoris pro ΙΟΥΛΙΑΝ. Sensus autem est, *divam Juliam Agrippinam* colunt *Mytilenæi*.

[1] *Carpentumque*. Hoc carpentum, duabus mulis tractum, nummi plurimi exhibent. Hos inter præstat nummus æreus è Cimelio Regio maximi moduli à Morellio aliisque laudatus: ex unâ parte caput Agrippinæ. AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS AVGVSTI. id est, *Agrippina, Marci filia, mater Caii Cæsaris Augusti*. Ex alterâ parte, Carpentum. S. P. Q. R. MEMORIAE AGRIPPINAE. id est, *senatus populusque Romanus memoriæ Agrippinæ*.

[2] *Planè incuriosus*. Dio, LIX. p. 642.

[3] *Antoniæ, aviæ*. Vide stem. Cæs. n. 42.

[4] *Uno senatusconsulto congessit*. Sueton. in Caio, XV. Antoniam, Augustam, sacerdotem Augusti fecit, eique omnes Vestalium honores tribuit, teste Dione, LIX. p. 641. Ταύτην τε γὰρ Αὐγούστην τε εὐθὺς καὶ ἱέρειαν τοῦ Αὐγούστου ἀποδείξας, πάντα αὐτῇ καθάπαξ, ὅσα ταῖς ἀειπαρθένοις ὑπάρχει, ἔδωκε. Vide jam dicta Annal. I. 8. IV. 16. et dicenda in Suppl. Annal. IX. 19.

[5] *Fratrem Tiberium*. De hâc adoptione vide Suetonium, ibid. Cur Tiberius frater Caii appelletur, dicemus infra cap. 21.

[6] *Sororibusque ejus*. Hæc et priora Sueton. loc. cit.

admirari, tamquam felicitatis omina extollere, Diis grates agere tam immodicè, ut tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia[1] victimarum ceciderint. Cæsar, insitâ levitate, et adulantium lenociniis vanus, insuper opibus à Tiberio acervatis tumens, ad solita juvenum Principum vitia divertere: nova sectari: superioris principatûs æqua et iniqua[2] pariter immutare: laudes potiùs, quàm dominationem aucupari.

8. NIHIL jam pristinæ severitatis reliquum. Damnati relegatique ullo sine discrimine restituuntur.[3] Criminum, quæ ex priore tempore superant, gratiam facit: ne domesticarum quidem injuriarum memor, commentarios ad matris et fratrum[4] causas pertinentes, convectos in forum, obtestatus Deos, "neque legisse, neque "attigisse quidquam," concremat:[5] Titi Labieni,[6] Cordi

[1] *Centum sexaginta millia.* Sueton. in Caio, XIV. Nec in Urbe tantùm, sed in provinciis totoque imperio pariter peracta sacrificia, editaque maxima lætitiæ indicia; quæ fusè narrat Philo, Legat. ad Caium, p. 993 et 994. Inter hæc ferventia studia cusus videtur nummus, qui olim fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, ex ære magno. C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. PON. M. TR. POT. capite Caii laureato. Ex adversâ parte in coronâ querceâ, SPQR P. P. OB CIVES SERVATOS. id est, *Senatus Populusque Romanus Patri Patriæ.*

[2] *Æqua et iniqua.* Hæc et sequentia pluribus tradit Dio, LIX. p. 641 et 644.

[3] *Restituuntur.* Tuncque restitutus videtur Pomponius Secundus, de quo dictum est Annal. v. 8. Dioni tamen LIX. p. 644. *Quintus Pomponius et Consularis* appellatur. Suffectus tantùm fuit consul, dictus quoque Plinio, VII. 19. *Pomponius Consularis poeta:* De quo adhuc agetur infra Suppl. Annal. VIII. 50.

[4] *Matris et fratrum.* Ad Agrippinæ, matris, Neronis et Drusi, fratrum, causas pertinentes. Sueton. in Caio, XV.

[5] *Concremat.* Vide infra cap. 31.

[6] *Titi Labieni.* De quo multa et curiosa scripsit Seneca, Controvers. v. in præfat. Labienus *affectabat censorium supercilium, cùm alius animo esset. Magnus orator, qui per multa impedimenta eluctatus, ad famam ingenii, confitentibus magis hominibus pervenerat, quàm volentibus. Summa egestas erat, summa infamia, summum odium. Magna autem debet esse eloquentia, quæ invitis placeat. Cùm ingenia favor hominum ostendat, favor alat, quantam vim esse oportet,*

Cremutii,[1] Cassii Severi[2] scripta, senatusconsultis abolita, requiri, vulgari, passim lectitari probat, dictitans "sua "interesse, ut facta quæque posteris tradantur."[3]

9. AUCTORITATIS æquè negligens, voluit ut "magis-"tratibus libera foret jurisdictio,[4] et sine sui appellatione: "populus, more comitiorum revocato,[5] ferret suffragia; "rationesque imperii,[6] ab Augusto proponi solitæ, sed à "Tiberio inter arcana habitæ, publicarentur." Adversùs ipsa vitia audax, nondum virtutis certus, spintrias,[7] ne profundo mergeret exoratus, Urbe submovit. Sævit

quæ inter obstantia erumpat? Nemo erat, quin, cùm homini omnia objecerat, ingenio multum tribueret. Color orationis antiquæ, vigor novæ. Cultus inter nostrum ac prius seculum medius, ut illum posset utraque pars sibi vindicare. Libertas tanta, ut libertatis nomen excederet; et, quia passim ordines hominesque laniabat, Rabienus vocaretur. Animus per vitia ingens, et ad similitudinem ingenii sui violentus, et qui Pompeianos spiritus nondum in tantâ pace posuisset. In hunc primum excogitata est nova pœna. Effectum est enim per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur. Res nova et insueta, supplicia de studiis sumi—Non tulit hanc Labienus contumeliam, nec superstes esse ingenio suo voluit, sed in monumenta se majorum suorum ferri jussit, atque ita includi: veritus scilicet, ne ignis, qui nomini suo subjectus erat, corpori negaretur: non finivit tantùm se ipse, sed etiam sepelivit. Memini aliquando, cùm recitaret historiam, magnam partem convolvisse, et dixisse: Hæc, quæ transeo, post mortem meam legentur. Quanta in illis libertas fuit, quam etiam Labienus extimuit? Hæc fortè longiora; quæ tamen legisse neminem pigeat.

[1] *Cordi Cremutii.* De Cremutio dictum satis Annal. IV. 34 et 35.

[2] *Cassii Severi.* Sordidæ originis et maleficæ vitæ hominis, de quo Annal. I. 72. IV. 21. Seneca quoque, loc. cit. *Cassii Severi, hominis Labieno junctissimi, bellè dicta res ferebatur. Illo tempore quo libri Labieni ex Sc. urebantur: Nunc me, inquit, vivum uri oportet, qui illos edidici.*

[3] *Posteris tradantur.* Sueton. in Caio, XVI.

[4] *Libera foret jurisdictio.* Sueton. ibid. Dio, LIX. p. 646.

[5] *Comitiorum revocato.* Tiberius enim comitia ad patres transtulerat, ut vidimus supra Annal. I. 15.

[6] *Rationesque imperii.* De his rationibus dictum Annal. I. 11.

[7] *Spintrias.* Monstrosæ illæ libidines sub Tiberio Principe invaluerant, teste Suetonio in Tiber. XLIII.

quoque in equites Romanos,[1] equumque[2] palam iis ademit, quibus aut probri aliquid, aut ignominiæ inerat: si minore culpâ tenerentur, eorum nomina in recitatione[3] omissa.

10. Pœnas, vitiorum dedecore, reorum dignitate, plebi haud illætas, liberalitate adhuc exhilaravit, persolutis Tiberii legatis,[4] licèt, inrito ejus testamento, fuissent abrogata. Populo CCCCL,[5] prætorianis singula nummûm millia,[6] Urbanarum cohortium et Vigilum militibus quingenos nummos,[7] legionariis, ceterisque extra Italiam in numeros relatis, aut in minoribus oppidis præsidia agitantibus, trecenos[8] viritim elargitus, addidit ex suâ munificentiâ singulis prætorianis una sestertia,[9] populo sexagenos denarios,[10] quos, quò dcùm virilem togàm sumsisset, promiserat, et Tiberium veritus omiserat, fœnore quindecim denariorum[11] auctos cuique reddidit. Pari fide ac sine calumniâ[12] Liviæ Augustæ legata,

[1] *In equites Romanos.* Sueton. in Caio, XVI. *Equites Romanos severè curiosèque, nec sine moderatione recognovit: palam ademto equo, quibus aut probri aliquid aut ignominiæ inesset: eorum, qui minore culpâ tenerentur, nominibus modò in recitatione præteritis.*

[2] *Equumque.* Equites donabantur equo publico, qui iis adimebatur, si inhonestè viverent. Vide Plutarchum in Paul. Æmil. p. 275. Inde autem in veteribus inscriptionibus sæpe occurrit, EQ. PVB. id est, *equo publico donatus.*

[3] *In recitatione.* Cùm recitabantur nomina in recognitione equitum Romanorum. Minor autem fuit ignominia, quàm si palam equum eis ademisset.

[4] *Tiberii legatis.* De quibus generatim Suetonius in Tiber. LXXVI. Tiberius *dedit et legata plerisque: inter quos virginibus Vestalibus, sed et militibus universis, plebique Romanæ viritim, atque etiam separatim vicorum magistris.*

[5] *Populo* CCCCL. Dio, LIX. p. 640. Τῷ δήμῳ τάς τε πέντε καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν καὶ χιλίας μυριάδας, *populo quadringenties quinquagies sestertiûm, Angl.* 375,000*l.*

[6] *Nummûm millia. Angl.* 8*l.* 6*s.* 8*d.*

[7] *Quingenos nummos. Angl.* 4*l.* 3*s.* 4*d.*

[8] *Trecenos. Angl.* 2*l.* 10*s.* Itaque legata Tiberii excessere *Angl.* 225,000*l.* Pauciora dederat Augustus, ut dictum est Annal. I. 8.

[9] *Una sestertia. Angl.* 8*l.* 6*s.* 8*d.*

[10] *Sexagenos denarios. Angl.* 2*l.*

[11] *Quindecim denariorum. Angl.* 10*s.* Nunc verò si legatis Tiberii dona Caii addideris, Caius, ne numeratis quidem Liviæ legatis, largitus est circiter *Angl.* 2,000,000*l.*

[12] *Sine calumniâ.* Hæc Suetonius in Caio, XVI. Dio, LIX. p.

à Tiberio suppressa, exsolvit: singulari utriusque Principis vitio, ille tardâ liberalitate, hic præcoce prodigentiâ pariter damnandus.

11. In partem lætitiæ venere reges exteri. Agrippa,[1] supremo Tiberii principatu imperium Caio precatus, ob idque vinctus, libertatem recuperavit; et ad abolendam injuriæ invidiam, simul et in necessitudinis præmium, catenâ aureâ, ferreæ æquipondio, donatus, rexque appellatus, Philippi ac Lysaniæ tetrarchias[2] accepit. Antiochus in Commagenen,[3] patre defuncto, ad jus prætoris translatam, fuit restitutus: ejus quoque regno adjecta Ciliciæ maritima;[4] eique redditum sestertiûm millies.[5]

640 et 641. *Sine calumniâ*, id est, integra, sine dolo malo, iniquâque criminatione exsolvit.

[1] *Agrippa.* Agrippa I. dictus posteà Magnus, Aristobuli et Berenices filius, Herodis I. Magni, et Mariamnes nepos, cujus historiam fusè prosequitur Joseph. Antiq. Judaic. XVIII. 6. et Bell. Judaic. II. 9. Vide et supra, Stemma Herodum, num. 7. Errat Dio, LIX. p. 645. cùm scribit Agrippam avi sui imperium accepisse, Καὶ τῇ τοῦ πάππου ἀρχῇ προστάξας. Idem peccat Euseb. in Chronic. Aviti regni tertiam tantùm partem, τρίτην μοῖραν, accepit, teste Philone, in Flaccum, p. 968.

[2] *Philippi ac Lysaniæ tetrarchias.* De quibus D. Lucas, III. 1. Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος. In Decapolitanâ regione erat Trachonitis, inter aquas Merom, nunc *Bahr-el-Houly*, et montem Libanum: Abilina in Cœlesyriâ Libanum inter et Antilibanum, haud procul Damasco. Ad ortum Abilinæ et Trachonitidis versùs Arabiam desertam fuisse videtur Ituræa. Vide Plinium, v. 18 et 23. et Strabonem, XVI. p. 755. Porrò non tota Ituræa, sed pars tantùm Trachonitidi vicina, erat tetrarchiæ Philippi, ut patet ex dicendis infra cap. 36. et ex Josepho, Antiq. Judaic. XIII. 11. De Philippo vide Stemma Herodum, n. 24.

[3] *Antiochus in Commagenen.* Antiochus IV. De ejus patre Antiocho III. regnoque ad jus prætoris translato dictum est supra Annal. II. 42 et 56. Dio quoque, LIX. p. 645. Antiochi IV. nummos vide apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois.* p. 126.

[4] *Ciliciæ maritima.* Vide Annal. XII. 55.

[5] *Sestertiûm millies.* *Angl.* 833,333*l.* 6*s.* 8*d.* Caius Antiocho reddidit sestertiûm millies *olim confiscatum*, ut loquitur Suetonius in Caio, XVI.

12. FAUSTOS novæ dominationis nuntios, per provincias in majus ditos, audiit Artabanus,[1] fugato Tiridate, receptoque regno ferox. Mox Vitellii artibus,[2] et adversùs Tiberium odio potiùs, quàm in Caium studio, positis hostilibus animis, Euphraten transgressus, pacem paciscitur: atque, ut interpositam fidem magis obligaret, Romanas aquilas, Augustique ac Caii imagines adoravit, liberosque obsides[3] dedit, dignitatis suæ oblitus, ut veteres iras ulcisceretur.

13. IMPERII, ob pacem inopinatò firmatam exsultantis, lætitia increvit accessione consulatûs, quem Caius Claudiusque Calendis Julii iniere.[4] Numquam acrioribus studiis certatum, intentis ad beneficia consulibus, civitate ad obsequia effusâ. Princeps in senatu orationem habuit,[5] quâ "Tiberium suspicacem et obscurum, libidinibus fœdum, "avaritiâ sordidum, crudelitate atrocem, religionis incurio-"sum, reipublicæ splendori infensum" criminatus, adseveravit, "se avi patrisque[6] virtutes æmulaturum: inter exer-"citus eductum,[7] senatûs populique Romani alumnum, "non sibi, sed patriæ victurum: bonis ac miseris facilem, "sceleribus tantùm implacabilem, nihil dominationis usur-

[1] *Artabanus.* De Artabani Tiridatisque fortunâ vide quæ dicta sunt Annal. VI. 41 et 44.

[2] *Vitellii artibus.* Hæc Suetonius in Caio, XIV. In Vitell. II. Dio, LIX. p. 661. Errat Josephus Antiq. Judaic. XVIII. 4. num. 5. cùm scribit Artabani et Vitellii colloquium, imperitante Tiberio, contigisse.

[3] *Liberosque obsides.* Dio, LIX. p. 661. παῖδας αὐτῶ ὁμήρους. Josephus tamen, loc. cit. unum tantùm, nomine Darium, cum multis muneribus missum tradit. Ἀρτάβανος μετὰ πολὺ πέμπει Τιβερίῳ (errorem jam notavimus; legendum Γαΐῳ) ὁμήρους Δαρεῖον τὸν υἱὸν μετὰ πολλῶν δώρων.

[4] *Calendis Julii iniere.* Cœpto principatu, consulatus, exauctoratis consulibus Acerronio et Pontio, Caio decretus; additumque ut eum quotannis gereret. Restitit Caius: nec nisi Kal. Julii, discedentibus è magistratu, ut moris erat, prioribus consulibus, consulatum, collegâ patruo suo Claudio, iniit. Dio, LIX. p. 644.

[5] *Orationem habuit.* Dio, ibid.

[6] *Avi patrisque.* Neronis Drusi, avi; patris, Germanici. Vide Stem. Cæs. n. 79 et 81.

[7] *Inter exercitus eductum.* Supra Annal. I. 44 et 69.

" pare velle, nisi ut Deûm sacra, civium jura, publicam " libertatem tueatur: satis magna fore, eaque una optare, " principatûs sui decora, illæsam imperii majestatem, et " adsertam populi felicitatem." Hæc quanto rariùs audita, tanto avidiùs accepta. Et ne Principi, qui optimus videbatur, malo fieri liceret, decretum à senatu " ut ejus oratio " quotannis recitaretur:"[1] quasi adultam dominantium licentiam moraretur pristinæ virtutis memoria.

14. INTERIM Cæsar, futurorum improvidus, factis magis, quàm verbis, Tiberio invidiam movere; vetera odia renovare; ad liberalitatem, humanitatem, magnificentiam, aliaque, superiore principatu, rara vel ignota, curas omnes convertere: sublatum majestatis crimen:[2] jus novum[3] de servorum in domini caput quæstione non modò antiquatum, sed et mulier libertina, quòd, tormentis excruciata, de scelere patroni reticuisset, octoginta millibus sestertiûm[4] donata est. Edebantur ludi; regaliaque impendia passim ostentabantur. Inter hæc speciosiora tamen, quàm laudabiliora, egregia vox excidit: oblatum enim de salute suâ libellum non recepit Princeps, " nihil sibi admissum" dictitans, " cur cuiquam invisus esset: neque se delatoribus " aures habere."[5]

15. QUÆSITA quoque ex religione commendatio. Tertio Calendas Septembres,[6] templum, quod Augusto Tiberius struxerat,[7] à Caio, triumphali veste induto, dedicatum

[1] *Quotannis recitaretur.* Dio, loc. cit.

[2] *Majestatis crimen.* Dio, LIX. p. 642.

[3] *Jus novum.* Novi illius juris repertor Tiberius, ut vidimus supra Annal. II. 30.

[4] *Octoginta millibus sestertiûm. Angl.* 666*l.* 13*s.* 4*d.* Sueton. in Caio, XVI.

[5] *Delatoribus aures habere.* Sueton. in Caio, XV.

[6] *Tertio Calendas Septembres.* Die 30. Augusti. Dio, LIX. p. 644.

[7] *Tiberius struxerat.* Tacit. Annal. VI. 45. Sueton. in Tib. XLVII.

est,[1] virginibus puerisque nobilissimis hymnum cantantibus.[2] Atque ut solemnibus sacris celebritatem adderet, senatui, equestrique ordini, conjugibus etiam ac liberis[3] splendidissimum epulum, congiarium populo trecenos sestertios,[4] dedit. Hilaritati quoque publicæ omnigenis musicæ concentibus, novatisque ludis consultum.

16. Postridie lætiora adhuc rediere spectacula ob Principis natalem.[5] Sejugibus,[6] quod nemini hactenus usurpatum, vectus prodiit. Cetèrùm nihil oblitus, quo modestiam popularitatemque testaretur, ne signum quidem[7]

[1] *Dedicatum est.* Quam cærimoniam exhibet nummus ære maximo apud Morellium, *Thesaur.* vol. I. p. 650. C. CAESAR AVG. GERMANICVS PONT. MAX. TR. POT. Caput Caii laureatum. Ex adversâ parte, DIVO. AVG. Caius stans velatus et togatus paterâ super aram sacrificat. Ponè pateram tenet popa: alter popa taurum ducit, ante templum sex columnarum, statuis et lemniscis ornatum. SC. id est, *senatusconsulto.* Habentur quoque ibid. nummi ære magno cum eâdem parte posticâ: sed ex alterâ sedet Pietas, pateram tenens. C. CAESAR AVG. GERMANICVS P.M.TR. POT. infra PIETAS. in aliis TR. P. II. P. P. vel TR. P. III. P. P. id est, *tribuniciæ potestatis* anno II. vel III. *pater patriæ.*

[2] *Hymnum cantantibus.* Cantatricem hanc religionem egregiè illustrat monumentum Stratonicense, quod edidimus in not. et emend. ad Annal. III. 62.

[3] *Conjugibus etiam ac liberis.* Dio, loc. cit. Sueton. in Caio, XVII.

[4] *Trecenos sestertios. Angl.* 2*l.* 10*s.* Si congiarium illud ducentis quinquaginta millibus hominum datum fuerit, ut potest supponi ex monumento Ancyrano, cujus partem edidimus in not. et emend. ad Annal. I. 11. largitus est Caius circiter *Angl.* 625,000*l.* De Caii congiariis dictum supra p. 235.

[5] *Ob Principis natalem.* Dio, loc. cit. Sueton. in Caio, VIII. *Caius Cæsar natus est pridie Kal. Septembres, patre suo et C. Fonteio Capitone consulibus,* A. U. C. 765.

[6] *Sejugibus.* Sex equis ad currum junctis. Hactenus bijuges quadrijugesve fuerant currus. Dio, loc. cit. Τὸ ἅρμα τὸ πομπικὸν ἐφ' οὗ ἤχθη, ἓξ ἵπποι εἵλκυσαν· ὃ μὴ πώποτε ἐγεγόνει.

[7] *Ne signum quidem.* Dio, LIX. p. 645. Mappâ ludos incipiendi signum dabatur. Quo de usu Polemeus Silvius in Laterculo, ad diem septimum Januarii. *Prima consulis mappa: quæ ideo sic vocatur, quia rex Tarquinius Romæ, dum die Circensium pranderet in Circo, de mensâ suâ mappam foras, ut aurigis post prandium currendi*

ludorum dedit, ipse tamen, circumstantibus sororibus sodalibusque Augustalibus, spectator: vetitis omnibus,[1] quæ lætitiam imminuere; quæ augere possent, permissis. Supra solitum[2] equi certavere. Interjecta adhuc Trojæ decursio,[3] tantaque venatio, ut CCCC. ursi,[4] totidemque aliæ Libycæ belluæ,[5] perierint.

17. URBS, spectaculorum avida, et renascentis veteris splendoris imagine superba, conceptas de Germanico, et Germanici sanguine, spes memorare, superatas prædicare. Quisque, ut ingenio validus, privatos ac publicos honores excogitabat. Inter publicos, decretus clypeus aureus,[6] quem

signum daret, abjecerat. Signum autem non dedisse videtur Caius, ut id honoris Claudio tribueret. Teste enim Suetonio in Claud. VII. *Præsedit nonnumquam spectaculis in Caii vicem, acclamante populo, Feliciter, partim patruo Imperatoris, partim Germanici fratri.*

[1] *Vetitis omnibus.* Ideo judicia distulit, luctum inhibuit, aliaque miræ levitatis fecit, quæ vide apud Dionem, loc. cit.

[2] *Supra solitum.* Austerior Tiberius *natalem suum plebeiis incurrentem Circensibus, vix unius bigæ adjectione honorari passus est.* Sueton. in Tiber. XXVI. Hactenus autem moris fuerat ut essent tantùm duodecim missus equorum, contra Caius primò viginti, mox viginti quatuor missus fecit. Dio, loc. cit. Quod postèà ita invaluit, ut, licèt in his aurigationibus maximæ forent impensæ, passim tamen in Kalendario Herwartiano occurrat CMXXIIII. id est, *Circenses, missus viginti quatuor.* Immo si geminaretur lætitia, missus quoque geminabantur. Inde in eodem Kalendario ad diem VI. ID. NOV. N. NERVAE ET CONSTANTII CMXLVIII. id est, *sextum Idus Novembris, natalis Nervæ et Constantii, Circenses, missus quadraginta octo.*

[3] *Trojæ decursio.* De hoc ludicro dictum Annal. XI. 11. Istud à patriciis pueris editum, Dio, loc. cit.

[4] CCCC. *ursi.* Dio, LIX. p. 644. Ἄρκτους τετρακοσίας μεθ' ἑτέρων λεόντων θηρίων ἴσων ἀπέκτεινεν. Ursos illos de leonibus intellexerim. Sic enim à Romanis appellabantur, ut videre est apud Plinium, VIII. 36. et Virgilium, Æneid. V. 37. Inde quoque Juvenalis, Satyr. IV. 99.

Cominùs ursos
Figebat Numidas, Albanâ nudus arenâ
Venator.

[5] *Libycæ belluæ.* Pantheræ, hyænæ, aliæque id genus feræ, tunc frequentissimæ, nunc rarissimæ, ut videre est apud eruditum Shaw, *Voyages*, vol. I. p. 316.

[6] *Clypeus aureus.* Hæc et sequentia totidem verbis Suetonius in Caio, XVI. De clypeis diximus in not. et emend. ad Annal. II. 83.

quotannis collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente, nobilibus pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum Principis canentibus: decretum quoque ut dies, quo cepisset imperium, *Palilia* vocaretur, velut rursus conditæ Urbis[1] argumentum.

18. CONSULATUS, non verò lætitiæ, finem fecere consules suffecti Idibus Septembris.[2] Diffusâ etiam per provincias festivitate, ubique tanto hilariùs victitatum,[3] quanto mœstior fuerat morum austeritas, imperitante Tiberio. At Princeps, naturâ imbutus malis artibus, mentitas ob avi metum species virtutum ponere: primò conviviis, mox scortis,[4] deinde luxui ita indulgere, ut centies sester-

[1] *Rursus conditæ Urbis.* Roma condi cœpta XI. Kalendas Maii, quo die Pales, Dea pabuli, colebatur, unde *Palilia*, apud Romanos celebratissima. In Herwartiano Kalendario dies ille signatur: N. URBIS CMXXIIII. id est, *Natalis Urbis, Circenses, missus viginti quatuor.*

[2] *Suffecti Idibus Septembris.* Ita Dio, LIX. p. 645. Ταῦθ' ὕτως ἐν τῇ ὑπατείᾳ ἔπραξε, δύο τε μησὶ καὶ ἡμέραις δώδεκα αὐτὴν σχών. Τὸν γὰρ λοιπὸν τῆς ἑξαμήνου χρόνον τοῖς προαποδεδειγμένοις ἐς αὐτὴν ἀπέδωκε. *Hæc in consulatu egit* Caius, *quem gessit duos menses ac dies duodecim. Reliquam semestris temporis partem iis, qui jam antè designati fuerant, tradidit.* Haud ita accuratè Suetonius in Caio, XVII. *Consulatus quatuor gessit: primum ex Kalendis Julii per duos menses.*

[3] *Hilariùs victitatum.* Oculatus testis Philo, Legat. ad Caium, p. 994. Οὐδὲν γοῦν ἦν ἰδεῖν ἕτερον κατὰ πόλεις, ἢ βωμοὺς, ἱερεῖα, θυσίας, λευχειμονοῦντας, ἐστεφανωμένους, φαιδροὺς, εὐμένειαν ἐξ ἱλαρᾶς τῆς ὄψεως προφαίνοντας, ἑορτὰς, πανηγύρεις, μουσικοὺς ἀγῶνας, ἱπποδρομίας, κώμους, παννυχίδας μετ' αὐλῶν καὶ κιθάρας, τέρψεις, ἀνέσεις, ἐκεχειρίας, παντοίας ἡδονὰς διὰ πάσης αἰσθήσεως.—Ὡς τὸν παρὰ ποιηταῖς ἀναγραφέντα Κρονικὸν βίον μηκέτι νομίζεσθαι πλάσμα μύθου, διὰ τὴν εὐθηνίαν καὶ εὐετηρίαν, τό τε ἄλυπον καὶ ἄφοβον, καὶ τὰς πανοικίας ὁμοῦ καὶ πανδήμους μεθ' ἡμέραν τε καὶ νύκτωρ εὐφροσύνας, αἳ μέχρι μηνῶν ἑπτὰ τῶν πρώτων ἄπαυστοι καὶ συνεχεῖς ἐγένοντο. *Erat igitur videre nihil aliud per singulas urbes, quàm altaria, victimas, sacrificia, candidatos, coronatos, hilares blandosque omnium vultus, festa, celebritates, musica certamina, Circenses, comessationes, pervigilia cum citharis ac tibiis, voluptates, remissiones, inducias, varias cunctorum sensuum oblectationes— ut fidem inveniret descriptum in poetarum fabulosis figmentis Saturnium seculum, ob ubertatem, annonæ felicitatem, quæ totas familias, omnesque populos diu ac noctu per septem primos menses perpetuos occupavit.*

[4] *Conviviis, mox scortis.* Hæc pluribus Philo, loc. cit.

tio[1] cœnaverit, et immensum illud Tiberii vicies ac septies millies sestertiûm[2] fermè absumserit.

19. Morbus,[3] libidinum comes, artus, olim cardiaco morbo debilitatos, nunc ebriositate,[4] ac turpiore intemperantiâ corruptos, incessit. Vitiis adhuc secretis, passim publicatis virtutibus, quasi parens patriæ ipsaque respublica periclitarentur, sumto justitio,[5] cunctis circa palatium pernoctantibus, comploratum. Studia civium adeò erant incensa,[6] ut P. Afranius Potitus, plebeius homo, caput suum pro salute Principis voveret; Atanius Secundus, eques, gladiatoriam operam promitteret. Provincias, navibus ineunte autumno ex Italiâ remeantibus, periculum statim edoctas, idem luctus occupat.[7]

[1] *Centies sestertio. Angl.* 83,333*l.* 6*s.* 8*d.* Senec. Consol. ad Helviam, IX. *Caius Cæsar, quem mihi videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet quid summa vitia in summâ fortunâ possent, centies sestertio cœnavit uno die: et in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit, quomodò trium provinciarum tributum una cœna fieret. O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur!*

[2] *Vicies ac septies millies sestertiûm. Angl.* 22,500,000*l.* Sueton. in Caio, XXXVII. *Ac ne singula enumerem, immensas opes, totumque illud Tiberii Cæsaris, vicies ac septies millies sestertiûm non toto vertente anno absumsit.* Juxta Dionem, LIX. p. 641. Πέντε γοῦν μυριάδας μυριάδων, καὶ πεντακοσίας καὶ ἑπτακισχιλίας, ὡς δ' ἕτεροι, ὀκτώ τε καὶ δισχιλίας καὶ πεντακοσίας, τεθησαυρισμένας εὑρὼν, οὐδὲ ἐς τὸ τρίτον ἔτος (corrige ἔτους) μέρος ἀπ' αὐτῶν τι διέσωσεν. *Vicies ter millies sestertiûm, Angl.* 19, 166,666*l.* 13*s.* 4*d. alii tradunt tricies ter millies sestertiûm, Angl.* 27,500,000*l. cùm accepisset asservata in thesauris, nihil eorum in tertiam anni partem,* in nonum mensem, *servavit.* Nunc verò si quis addiderit legata, dona, ludos, cœnas, aliaque immensæ libidinis, tantam pecuniæ vim tam brevi tempore absumtam fuisse facilè intelliget.

[3] *Morbus.* De hoc morbo, ejusque causis, luctuque publico, vide Philonem, Legat. ad Caium, p. 994.

[4] *Ebriositate.* Juventa ad merum prona, morbo ipso fuit invitata. Teste enim Senecâ, Ep. 15. *Bibere et sudare, vita cardiaci est.* Suffragatur quoque Plinius, XXIII. 1. *Cardiacorum morbo unicam spem in vino esse, certum est.*

[5] *Sumto justitio.* De justitio dictum est Annal. I. 16. et II. 82.

[6] *Adeò erant incensa.* Hæc flagrantia civium studia memorant Dio, LIX. p. 645. Suetonius in Caio, XIV et XXVII.

[7] *Idem luctus occupat.* Quem, pro more suo, oratoriè describit Philo, Legat. ad Caium, p. 994 et 995.

20. Recreata Caii valetudine, ut plura sunt gaudii, quàm mœstitiæ, signa, nec jam incerta adulatio, effusior quoque extitit lætitia.[1] At mentes graviùs, quàm corpora, sæpe adfligit libido. Sano Cæsaris corpore, mens ægra, nec remedii patiens, ad vitia delabi:[2] gloriam, ambitionem, quibus ad infamiam, si à virtute deflexeris, nihil validius, sectari: nullus supra ceteros eminendi modus. Primumque scelus omnia vicit superioris principatûs facinora.

21. Caius enim Tiberium, fratrem simul et filium,[3] imperii æmulum veritus, ne scriptis quidem ad senatum literis, veluti sibi, cùm morbo detinebatur, insidiatum, repentè immisso tribuno militum, inopinantem interemit: conscientiam criminis appellare ausus, quòd Tiberius, ob assiduam et ingravescentem tussim medicamento usus, antidotum, quasi ad præcavenda venena sua sumtum, oboluisset. Quidam prodidere jussum cruentas manus sibi adferre, ne ab exactoribus violaretur Cæsarum majestas: juvenemque, non modò sceleris, sed properandæ etiam mortis rudem, caput percussoribus ultro obtulisse; iisque renuentibus, petiisse, "quam feriret corporis partem, ut vitam "finire posset:" edoctumque,[4] adacto gladio, occubuisse.

22. Princeps, umbratico crimine audax, nefanda publicè adgreditur. Ab Atanio Secundo, quem supra memoravi,[5] votum exigit, spectatque ferro dimicantem, nec

[1] *Lætitia.* De quâ vide Philonem, loc. cit. ut in tristibus, sic in lætis, juveniliter luxuriantem.

[2] *Ad vitia delabi.* Philo, loc. cit. et ait in votis sæpe humanas mentes cæcutire, et quid sit reverà utile ignorare: Τυφλώττει γὰρ ὁ ἀνθρώπειος νοῦς πρὸς τὴν τοῦ συμφέροντος ὄντως αἴσθησιν.

[3] *Fratrem simul et filium.* Tiberius, Drusi Cæsaris filius, frater patruelis erat Caii ob Germanicum à Tiberio Imperatore adoptatum; filius verò Caii, quia et ipse à Caio adoptatus. Vide Stem. Cæs. n. 72. et Suetonium in Caio, xv et xxiii. Dionem, lix. p. 645.

[4] *Edoctumque.* Hæc et priora Philo, Legat. ad Caium, p. 996.

[5] *Supra memoravi.* Cap. 19.

nisi victorem, et post multas preces, dimittit. Afranium Potitum, mori cunctantem, verbenatum infulatumque[1] pueris tradit, qui, votum reposcentes, per vicos agant, quoad ex aggere[2] præcipitetur.

23. TRISTIOR M. Silani exitus. Is virtute, quàm Imperatoriâ adfinitate,[3] illustrior, monitoris partes, apud bonos Principes difficiles, apud malos funestas, agebat; veterique, quâ apud Tiberium valuerat,[4] auctoritati, et filiæ suæ Claudiæ recens mortuæ[5] desiderio confisus, Principi, quem nondum libidinis firmum rebatur, idemtidem memorabat "virtutibus partos populi amores, proxima vitiis odia." Caius monitorem, tunc importunum, et, si diutiùs viveret, gravem, primò contumeliis, deinde calumniis adgreditur; cùmque Julium Græcinum[6] ad viri optimi accusationem incitare non posset, ipse causatus, "quòd Silanus[7] ingres-

[1] *Verbenatum infulatumque.* Suetonius totidem verbis in Caio, XXVII. Plurimum nobilitatis apud Romanos obtinuit verbena. *In remediis publicis, in sacris legationibusque* adhibebatur, Plin. XXII. 2. Hanc legati ferunt ad hostes. *Hâc Jovis mensa verritur, domus purgantur lustranturque.* Plin. XXV. 9. Infulâ, seu fasciâ, in modum diadematis, redimi victimas omnibus notum.

[2] *Ex aggere.* Sanè ex aggere Tarquinii, quo Urbs ab Oriente claudebatur. Hujus aggeris laudes vide apud Plinium, III. 5. et XXXVI. 15.

[3] *Imperatoriâ adfinitate.* M. Silanus socer erat Caii, qui Claudiam, Silani filiam, uxorem duxerat, ut dictum est Annal. VI. 20. Vide et Stem. Cæs. n. 87. Hunc Silanum à Dione *avem auream* perperam appellatum fuisse observavimus Ann. XIII. 1.

[4] *Apud Tiberium valuerat.* Tanta erat ejus integritatis opinio, ut Tiberius sententiam de causâ, in quâ à Silano facta fuisset provocatio, ferre numquam voluerit, sed provocationes illas ei remitteret. Dio, LIX. p. 646. De his provocationibus appellationibusve dictum est supra in not. et emend. ad Annal. XIV. 28.

[5] *Recens mortuæ.* Mortuam ex partu docet Suetonius in Caio, XII. Suffragantur Tacitus Annal. VI. 45. et Philo, Legat. ad Caium, p. 1000. Repudiatam malè scripsit Dio, LIX. p. 646.

[6] *Julium Græcinum.* Agricolæ patrem. Tacit. Vit. Agric. IV.

[7] *Causatus, quòd Silanus.* Suetonius in Caio, XXIII. *Silanum item socerum ad necem secandasque novaculâ fauces compulit, causatus quòd ingressum se turbatius mare non esset secutus, ac spe occupandi Urbem, si quid sibi per tempestates accideret, remansisset—Cùm et Silanus impatientiam nauseæ vitâsset, et molestiam navigandi.* Illud *turbatius mare* de *tempestate tur-*

" sum se turbatius mare non esset secutus, ut si quid sibi " per tempestates accideret, Urbem occuparet," eum ad necem secandasque novaculâ fauces compulit. Mox Liviam Orestillam,[1] Calpurnio Pisoni nuptam, uxorem cepit; et proximo die edixit " matrimonium sibi repertum " exemplo Romuli et Augusti:"[2] deinde intrà paucos dies[3] eam repudiavit.

24. Ad hæc populus stupere: nihil queri;[4] in recentes adhuc virtutes defixus, et severitatis causas fingere potiùs, quàm mutatum Principem credere, docilis. Cæsar ipse, nondum atrox, nec incallidus, deficientibus ceteris virtutibus, popularitatem ac liberalitatem retinebat: et, ut se libertatis hilaritatisque publicæ vindicem ostentaret, diem, quem appellavit *Juvenalem*,[5] Saturnalibus in perpetuum adjecit. Olim, vividâ adhuc libertate, ea semper optatæ, numquam expertæ, felicitatis monimenta uno tantùm die[6] fuere

bidâ, quâ matris fratrisque cineres Caius transtulit, ut dictum est supra cap. 5. intellige.

[1] *Liviam Orestillam.* Sueton. in Caio, XXV. *Liviam Orestillam C. Pisoni nubentem, cùm ad officium et ipse venisset, ad se deduci imperavit, intràque paucos dies repudiatam viennio pòst relegavit: quòd repetîsse usum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali, mandâsse ad Pisonem, contra accumbentem, Noli uxorem meam premere: statimque è convivio abduxisse eum secum, et proximo die edixisse matrimonium sibi repertum exemplo Romuli et Augusti.* Dioni, LIX. p. 646. Κορνηλίαν Ὀρεστίλλαν, non verò *Livia Orestilla*, dicitur. Utrùm ille C. Calpurnius Piso idem sit ac C. Piso, qui in Neronem conjuravit, disputatur. Eumdem esse haud improbabile existimat Cl. Reimarus in notis ad Dionem, loc. cit. Ægrè tamen crediderim, quòd id penitus siluerit Tacit. Ann. XV. 48.

[2] *Romuli et Augusti.* Sic enim Hersiliam rapuerat Romulus, Plutarch. in Romul. p. 25 et 26. Liviam Augustus. Vide Stem. Cæs. n. 66.

[3] *Intrà paucos dies.* Dio, LIX. p. 646. Πρὶν δὲ δύο μῆνας ἐξελθεῖν. *Ante secundi mensis exitum.*

[4] *Nihil queri.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1000.

[5] *Juvenalem.* Sueton. in Caio, XVII. *Ut lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adjecit diem Saturnalibus, appellavitque Juvenalem.*

[6] *Uno tantùm die.* Vigente republicâ, Saturnalia per unum diem, nempe XIV. Kalendas Januarii, seu 19. Decembris, celebrata sunt. Postèà à Julio Cæsare in triduum propagata sunt: ferias,

celebrata: duos addidit Julius Cæsar, imminente servitute: illâ vigente, quarto ac demum quinto crevere. Nec umquam lætior fuit libertatis memoria, quàm cùm nulla extitit libertas.

A. U. C. 791. J. C. 38.

25. AQUILLIUS Julianus et Nonius Asprenas,[1] superiore principatu designati, consulatum ineunt. In acta Augusti Caiique juravere, omisso Tiberio, Germanici domûs eversore: id moris invaluit;[2] nec ejus nomen in jurejurando posteà recitatum. Consules ceterique sacramento addidere "sibi Caium ejusque sorores se suisque liberis "cariores fore:" ac vota pro iis omnibus pariter concepta. Quod tamen in ancipiti re et turbarum initiis solet, quidam portenta differre: "Machaonem, servum,[3] ipsis Calendis "Januarii lectum Jovis Capitolini[4] conscendisse, multa "diraque vaticinatum, sibi necem intulisse."

quartumque diem addidit Augustus. Tum Saturnalia XVI. Kalendas Januarii, seu 17. Decembris, celebrari cœpere. Per quinque dies ea celebrari jussit Caius, teste Dione, LIX. p. 644. Τά τε Κρόνια ἐπὶ πέντε ἡμέρας ἑορτάζεσθαι κελεύσας. Deinde increscente semper hujus religionis hilaritate, adjectâque Sigillariorum celebritate, per septem dies celebrata sunt Saturnalia. Vide Livium, II. 21. et Macrobium, Saturnal. I. 10.

[1] *Nonius Asprenas.* M. Aquillius Julianus et P. Nonius Asprenas consules fuere A. U. C. 791. J. C. 38.

[2] *Id moris invaluit.* Dio, LIX. p. 646. Οἱ ὅρκοι περὶ μὲν τῶν ὑπὸ τοῦ Τιβερίου πραχθέντων οὐκ ἐπήχθησαν, καὶ διὰ τοῦτο οὐδενὶ γίγνονται. Οὐ γάρ ἐστιν ὅστις αὐτὸν ἐν τοῖς αὐταρχήσασιν ἐς τὴν τῆς οἰκίας (emendandum ὁρκίας rectè conjectat Cl. Reimarus) νόμισιν καταλέγει. *In acta Tiberii non juravere: ideoque in ea à nemine juratur: neque quisquam est, qui Tiberium inter ceteros Imperatores in jurandi formulâ recenseat.* Eadem videas adhuc apud Dionem, LX. p. 667. Sed, si in juramentis, certè in legibus Imperatoriis non omittebatur Tiberius. Vide not. et emend. ad Hist. IV. 6.

[3] *Machaonem, servum.* Dio, LIX. p. 646.

[4] *Lectum Jovis Capitolini.* De lectis pulvinaribusque Deûm diximus Annal. XIV. 12.

26. Hæc spreta, lætioribus auspiciis, effusâque Principis liberalitate;[1] tumque primùm publicatæ imperii rationes,[2] et comitia ad campum revocata. Multa quoque populariter actitata. Jussit enim Cæsar milites incendia restinguere;[3] et damnum passos pecuniâ levavit. Provincias beneficiis devinxit; et multos extra Italiam, adfinitatibus et opibus validos, in equestrem ordinem[4] adlegit, luxu et recognitione supra memoratâ deminutum: nonnullis etiam,[5] licèt nullum magistratum gessissent, usum senatoriæ vestis, in spem dignitatis, concessit; atque, ut levior foret judicum labor, ad quatuor priores quintam addidit decuriam.[6] Quod verò

[1] *Liberalitate.* De hâc Caii liberalitate, inconsultâ quidem, sed populo semper probatâ, vide Dionem, LIX. p. 644 et 647. et Suetonium in Caio, XVI.

[2] *Rationes.* De imperii rationibus comitiisque ad campum, seu populum, revocatis dictum supra cap. 9.

[3] *Incendia restinguere.* Dio, ibid. Sueton. in Caio, XVI. *Multis incendiorum damna supplevit.*

[4] *In equestrem ordinem.* Dio, ibid.

[5] *Nonnullis etiam.* Nonnullis etiam ex his illustrioribus equitibus usum senatoriæ vestis tribuit.

[6] *Quintam addidit decuriam.* Suetonius in Caio, XVI. Sensus est, ad quatuor priores equitum decurias, quintam addidit, ut levior foret judicantibus labor. Porrò illi judices erant equites Romani. Sed de hâc re audiendus Plinius, XXXIII. 1 et 2. *Anuli planè medium* equitum *ordinem, tertiumque, plebi et patribus inseruere: quod anteà militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribunt. Nec pridem id factum: Divo Augusto decurias ordinante, major pars judicum in ferreo anulo fuit: iique non equites, sed judices vocabantur. Judicum quoque non nisi quatuor decuriæ fuere primò: virque singula millia in decuriis inventa sunt, nondum provinciis ad hoc munus admissis: servatumque in hodiernum est, ne quis è novis civibus in iis judicaret. Decuriæ quoque ipsæ pluribus discretæ nominibus fuere, Tribunorum æris, et Selectorum, et Judicum. Præter hos etiamnum Nongenti vocabantur, ex omnibus selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis—Tiberii demum principatûs nono anno in unitatem venit equester ordo: anulorumque auctoritati forma constituta est.* Quam formam constituerit, quem censum equitum esse voluerit, jam diximus in not. et emend. ad Annal. III. 55. *Posteà gregatim insigne id appeti cœptum. Propterque hæc discrimina Caius Princeps decuriam quintam adjecit: tantumque natum est fastûs, ut quæ sub divo Augusto impleri non potuerant, decuriæ non capiant eum ordinem, passimque ad ornamenta ea etiam servitute liberati transiliant: quod anteà numquam erat factum, quoniam in ferreo anulo equites judicesque intelligebantur.—Judicum autem appellatione separari eum or-*

fuit populo Romano acceptius, ducentesimam auctionum[1] Italiæ remisit.

27. At extremos vix sanæ mentis igniculos oppressere homines duo, ad Principis dedecus et imperii exitium nati, Helico et Apelles.[2] Hic, patriâ Ascalonita,[3] stupris ac scenicis operis infamis: ille, origine Ægyptius, scurrilibus jocis et veteratoriâ arte scelestior. Caius, utrique manci-

dinem, primi omnium instituêre Gracchi, discordi popularitate in contumeliam senatûs: mox eâ debellatâ, auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substitit: et aliquandiù tertiæ vires publicani fuere. Marcus Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, Catilinanis rebus, ex eo se ordine profectum esse celebrans, ejusque vires peculiari popularitate quærens. Ab illo tempore planè hoc tertium corpus in republicâ factum est, cæpitque adjici senatui populoque Romano, et equester ordo. Quâ de causâ et nunc post populum scribitur, quia novissimè cæptus est adjici.

[1] *Ducentesimam auctionum.* Ita totidem literis Suetonius in Caio, XVI. Perperam in recentioribus editionibus emendatum *centesimam*, refragantibus veteribus omnibus editionibus, et libris optimæ notæ Mss. Antiquæ scripturæ adstipulatur quoque nummus ex ære minimo, qui olim fuit in Museo Collegii Ludovici Magni: C. CAESAR DIVI AVG. PRON. AVG. id est, *Caius Cæsar, divi Augusti pronepos, Augustus.* In medio, SC. *senatusconsulto*, cum pileo, libertatis symbolo. Ex adversâ parte, PON. M. TR. P. III. P. P. COS. DES. III. id est, *pontifex maximus, tribuniciæ potestatis* anno *tertio, pater patriæ, consul designatus tertium.* In medio RCC. id est, *remissa ducentesima.* Ut in nummis Galbæ. RXXXX. vel QVADRAGENS. REMISSA. id est, *quadragesima remissa. Ducentesima* autem *auctionum* dicebatur pars ducentesima rerum venalium in auctione, quæ fisco addicebatur. Non tamen dissimulaverim Dionem, LIX. p. 647. scripsisse centesimam à Caio sublatam: nec emendaverim cum Cl. Moreau de Mautour, *Journal de Trévoux.* ann. 1728. Novembr. p. 2121 et seq. Διακοσιοστῆς pro ἑκατοστῆς. Sed si vera sunt quæ scripsit Dio, LVIII. p. 631. et LIX. p. 647. dixerim pro centesimâ, civilia post bella institutâ, ducentesimam à Tiberio fuisse statutam, Tacit. Annal. I. 78. et II. 42. Centesimam post mortem Sejani à Tiberio fuisse renovatam, Dio, LVIII. p. 631. Deinde à Caio centesimam iterum antiquatam, Dio, LIX. p. 647. Demum ipsam ducentesimam à Caio abrogatam, ut patet tum ex Suetonio, tum ex nummis.

[2] *Helico et Apelles.* De iis multa Philo, Legat. ad Caium, p. 1016 et 1021.

[3] *Ascalonita.* Ascalon, urbs maritima tribûs Simeon, nunc *Ascoli.*

patus, civium famam, vitas, fortunas, vilia habere; turpitudinum probra ostentare: ad scelera insolescere: sacra profanaque pro arbitratu vertere: idque nequitiæ summum adsequi, ut, cùm pessimus statim haberetur, fieret in dies pejor. Si quos puderet nos hæc scribere, magis pudeat talem extitisse Principem, fuisse adhuc deteriores;[1] quorum sceleribus utinam historia eam infamiam inurat, ut pares numquam videat ætas postera!

28. Per deridiculum cœpere insanæ dominationis vitia. Princeps saltatorias et scenicas artes, magistro Apelle, edoctus, imperii majestatem ac curas spernit: in spectaculis totus, lectissimas Afrorum Campanorumque pugilum catervas advocat: feras ex Libyâ aliisque longinquis regionibus arcessit: in amphitheatrum Tauri,[2] in Circum, in Septa,[3] horumque pertæsus, ac subversis domibus, in subitarias theatrorum machinas,[4] ad gladiatoria munera, ad venationes, ad Circenses, scenicos, Trojanos, naumachiarios ludos, pensilem populum Romanum circumfert. Hæc diu, hæc noctu, Urbe, terrarum victrice, ad inania luminibus collucente, Circo minio et chrysocollâ constrato,[5] aurigantibus senatoribus,[6] ipso Principe argentei pegmatis[7] agitatore.

[1] *Deteriores.* Neronem nempe ac Domitianum.

[2] *Amphitheatrum Tauri.* Quod Statilius Taurus, quarto Augusti consulatu, in campo Martio exstruxerat. Dio, LI. p. 460. Sueton. in August. XXIX. in Caio, XVIII.

[3] *In Septa.* Septa in campo Martio dedicavit Agrippa octavo Augusti consulatu: ob amplissimas eorum porticus, ibi sæpe ab Augusto et Caio data spectacula. Dio, LIII. p. 512. Sueton. in Aug. XLIII. in Caio, XVIII. At tunc Caius Septa effodit, et aquâ replevit, ut unam navim introducere posset. Dio, LIX. p. 647.

[4] *Theatrorum machinas.* Dio, LIX. p. 647.

[5] *Minio et chrysocollâ constrato.* Sueton. loc. cit. Chrysocolla auri, minium argenti sanies. Plin. XXXIII. præfat. Chrysocollam adhuc dicimus *gold-solder.* Minium, *cinnabar.*

[6] *Aurigantibus senatoribus.* Sueton. ibid.

[7] *Argentei pegmatis.* Plin. XXXIII. 3. Sect. 16. *Caius princeps in Circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo* CXXIV. *Angl.* 413*l.* 6*s.* 8*d.* Fortè opus materiam superabat.

29. VANA quidem hæc, nondum tamen infanda, sed brevi patrum adulatione in licentiam, populi plausu in turpitudinem corrupta. Patres enim, à Principe rogatos, haud puduit theatrales cruentasque leges scribere, et senatusconsulto decretum "ne in gladiatoriis muneribus vir "virum legeret, sed omnes præliorum more confertim "adpugnarent."[1] Non jam sudore, at sanguine et morte certatur. Animarum vilitate, populoque ad sua funera plaudente, efferatus Princeps quosvis ad cædes postulat: sex et viginti equites[2] funebri munere perimit. Cùmque numquam sit crudelitatis satias, et aliquandò dämnati ad belluas haud sufficerent, jubet "spectatores corripi, præcisisque linguis,"[3] ut questus et miseratio intercludatur, "ad "feras projici:" nec vesano furori, nisi levioribus cædibus, temperat.

30. MACRO primus in pœnas ruit.[4] Certus insanam dominationem, in suam, ejusque auctorum, ruinam vergere, Principem, quem ter morti,[5] imperante Tiberio, subduxerat, et summæ rei admoverat, moderationis, clementiæ, humanitatis monebat. Consilia, ne in Silano quidem, socero, et expertæ virtutis, tolerata, in Macrone, quondam adulteriorum suasore, erant magis invisa. Dissimulavit tamen Cæsar, veteris gratiæ memor, an prætorias cohortes veritus:[6]

[1] *Confertim adpugnarent.* Hæc Dio, LIX. p. 647.

[2] *Sex et viginti equites.* Eos jam anteà dilapidatis facultatibus et gladiatoriis certaminibus infames fuisse docet Dio, loc. cit.

[3] *Præcisisque linguis.* Dio, ibid.

[4] *In pœnas ruit.* Macronis exitium fusè narrat Philo, Legat. ad Caium, p. 997 et seq. Breviùs Dio, LIX. p. 647. Paucis Suetonius in Caio, XXVI. *Leve ac frigidum sit his addere, quo propinquos amicosque pacto tractaverit—in primis ipsum Macronem, ipsam Enniam, adjutores imperii, quibus omnibus pro necessitudinis jure, proque meritorum gratiâ cruenta mors persoluta est.*

[5] *Ter morti.* Philo, loc. cit. p. 1000.

[6] *Prætorias cohortes veritus.* Quibus præfectus erat Macro, ut diximus in Suppl. Annal. v. 34 et 36.

mox, ut illum honorificè amoveat, Ægyptum[1] ei destinat. At cùm apud Principes gravis sit beneficiorum memoria, et scelerum odia semper maneant, se tandem grati pariter et infensi animi absolvit, et Macroni supremam necessitatem indixit. Uxorem ejus Enniam, sibi amore, antequàm dominationis potiretur, inligatam,[2] simul perculit: excisâ quoque sobole,[3] ut nihil odiosæ domûs superesset.

31. HACTENUS in privata, nunc in publica fata sævire cœpit, ut exhaustas opes reficeret. Senatoribus maximè[4] ac ditissimis quibusque incubuit, in eos, sicuti Sejani clientes, matris fratrumque suorum delatores invectus: protulit libellos, quos antè crematos simulaverat:[5] morbumque,[6] quo fuerat superiore anno conflictatus, plurimis in crimen capitis convertit. Nullus cognoscendi ordo. Damnati et indemnati, publicatis bonis, simili casu prostrati. Principis rapacitate, et delationum impunitate ac præmiis excitabatur accusationum licentia.

32. FERALE malum haud mitigavit, accendit magis Drusillæ obitus,[7] quàm Princeps ex sororibus suis maximè deperibat.[8] Cassio Longino[9] olim collocatam, deinde M.

[1] *Ægyptum.* Equitibus Romanis illustribus sepositam. Annal. II. 59.

[2] *Inligatam.* De his supra Annal. VI. 45. Suetonius quoque in Caio, XII.

[3] *Excisâ quoque sobole.* Philo, ibid. Ὁ Μάκρων πανοικίαις ἱέρευτο. *Macro cum omnibus domesticis mactatus est.* Idem Philo, in Flaccum, p. 967. πανοικίαις αὐτῇ γυναικὶ καὶ τέκνοις συναναιρεθείς. *Excitus unà cum uxore atque liberis.*

[4] *Senatoribus maximè.* Hæc et sequentia Sueton. in Caio, XXX. Dio, LIX. p. 648.

[5] *Crematos simulaverat.* Supra cap. 8.

[6] *Morbumque.* Si quis enim, dum Caius morbo, ut dictum est supra cap. I. laboravit, aliquem convivio excepisset, aut salutâsset, aut ipse lavisset, id crimini dabatur. Dio, LIX. p. 648.

[7] *Drusillæ obitus.* Sueton. in Caio, XXIV. Dio, LIX. p. 648. Vide Stem. Cæs. n. 95.

[8] *Maximè deperibat.* Sueton. in Caio, XXIV. *Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit—Ex his Drusillam vitiâsse virginem prætextatus adhuc creditur.*

[9] *Cassio Longino.* De Longino et Lepido, Drusillæ conjugibus, vide Stem. Cæs. n. 96 et 54.

Lepido nuptam, abduxerat; aususque exterorum regum[1] exemplo in modum uxoris accipere, heredem bonorum omnium atque imperii æger instituerat. Mortuam vesano mœrore prosecutus "justitium"[2] quidem, "funusque "publicum" edixit: at eâdem in luctu, ac in libidine, animi intemperie, nec exsequiis interfuit, nec justa sorori persolvit: pudoris ita oblitus, ut, dum Urbis planctu omnibusque tristitiæ imitamentis funerabatur, à M. Lepido laudata, ipse in Albano suo[3] tesseris, ac foro, aliisque idem levitatis occupationibus, indecora captaret solatia.[4]

33. Mox doloris impatiens, et ab hominum convictu profugus, barbâ capilloque promisso, Italiæ ac Siciliæ oras errabundus permetitur: mutato dein consilio,[5] Syracusis properè Romam redit, certus non lugendam, sed colendam sororem. Quidquid honorum senatus Liviæ tribuerat,

[1] *Exterorum regum.* Regum Orientis.

[2] *Justitium.* Novum prorsus ac ferale. Teste enim Suetonio in Caio, XXIV. *Eâdem defunctâ, justitium indixit: in quo risisse, lavisse, cœnâsse cum parentibus, aut conjuge, liberisve, capitale fuit.*

[3] *Albano suo.* In Albano agro, ob Urbis vicinitatem agrique delicias, fuere Principum procerumque villæ.

[4] *Captaret solatia.* Senec. Consol. ad Polyb. XXXVI. *C. Cæsar, amissâ sorore Drusillâ, is homo qui non magis dolere, quàm gaudere principaliter posset, conspectum conversationemque civium suorum profugit, exsequiisque sororis suæ non interfuit, justa sorori non præstitit, sed in Albano suo tesseris, ac foro, et provocatis hujusmodi aliis occupationibus, acerbissimi funeris levabat mala. Proh pudor imperii! Principis Romani lugentis sororem, alea solatium animi fuit. Idem ille Caius furiosâ inconstantiâ, modò barbam capillumque submittens, modò Italiæ ac Siciliæ oras errabundus permetiens, et numquam satis certus utrùm lugeri vellet, an coli sororem. Eodem enim tempore, quo templa illi constituebat ac pulvinaria, eos qui parùm mœsti fuerant, crudelissimâ afficiebat animadversione. Eâdem enim intemperie animi adversarum rerum ictus ferebat, quâ secundarum elatus eventu, supra humanum intumescebat modum.*

[5] *Mutato dein consilio.* Sueton. in Caio, XXIV. *Mœroris impatiens, cùm repentè noctuque profugisset ab Urbe, transcurrissetque Campaniam, Syracusas petiit. Rursusque inde properè rediit, barbâ capilloque promisso. Nec umquam postea, quantiscumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per numen Drusillæ dejeravit.*

statim Drusillæ collatum;[1] statutumque "ut cœlestes reli-"giones[2] haberet: aurea ejus effigies poneretur in curiâ; "altera foret in æde Veneris, majestate ac cultu haud "impar: templum quoque ipsi dicaretur: statuas mulieres "æquè ac viri consecrarent: per ejus nomen jurarent "fœminæ: diesque natalis ludis, Megalesiûm[3] similibus, "senatûs et equitum epulo celebraretur."[4]

34. Per Urbem ac provincias[5] percrebuit Drusillæ honos. Nec puduit Livium Geminium,[6] senatorem, maximâ adseveratione in senatu jurare "se eam cœlum "ascendentem vidisse." Licèt ceteri deliramentum, adulationemve inriderent,[7] decies sestertiûm[8] donatus est,

[1] *Drusillæ collatum.* De his honoribus ac veneratione vide Dionem, LIX. p. 648.

[2] *Cœlestes religiones.* Ejus divinitatem testatur nummus ex ære magno apud P. Pedrusi, *I Cesari*, Vol. VI. p. 67. DIVA DRVSILLA SOROR C. CAESARIS AVG. Caput Drusillæ. Ex adversâ parte, IVLIA DRVSILLA F. C. CAESARIS AVGVSTI. In medio cornu unde exeunt spicæ et caput puellæ. Puella hæc est Cæsoniæ et Caii filia, ob Drusillæ memoriam Drusilla et ipsa appellitata. Ex nummo tamen fermè simili, quem laudavit Patinus in Sueton. p. 218. existimant eruditi Academici Herculanenses, *Antichità di Ercolano*, Vol. V. p. 190. Juliam hanc Drusillam filiam esse divæ Drusillæ et Caii Caligulæ. Huc trahunt verba Eutropii, VII. 12. *Stupra sororibus intulit; ex unâ etiam natam filiam cognovit.*

[3] *Megalesiûm.* De ludis Megalesiis dictum est supra Annal. III. 6.

[4] *Celebraretur.* Hæc omnia Dio, loc. cit.

[5] *Ac provincias.* In nummis Milesiorum, ΘΕΑ ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. *Diva Drusilla.* Nummus *Milesiorum*, apud Harduinum, *Select. Opera*, p. 107.

[6] *Livium Geminium.* De hoc deliro, aut propudioso, homine vide Dionem, LIX. p. 648.

[7] *Inriderent.* Mortales illi Dei, stultæque consecrationes quantùm irriderentur, docet Seneca in Apocolocynt. *Quærite ab eo, qui Drusillam euntem in cœlum vidit—Velit, nolit, necesse est illi omnia videre, quæ in cœlo agantur. Appiæ viæ curator est: quâ scis et divum Augustum, et Tiberium Cæsarem ad Deos isse. Hunc si interrogaveris, soli narrabit: coram pluribus numquam verbum faciet. Nam ex quo in senatu juravit se Drusillam vidisse cœlum ascendentem, et illi pro tam bono nuntio nemo credidit quid viderit, verbis conceptis affirmavit se non indicaturum etiamsi in medio foro hominem vidisset occisum.*

[8] *Decies sestertiûm. Angl.* 8333*l.* 6*s.* 8*d.*

pari Principis ac senatoris opprobrio. Quod verò hactenus inauditum, in civium funera cessit religio:[1] si enim divam læti colerent, in eos, utì ob mortem hilares, advertebatur si mœrerent, quasi numini parùm devoti, plectebantur ineluctabile utrimque fuit discrimen.

35. In hâc furiosâ inconstantiâ Princeps, firmus libi dinum, Lolliæ Paullinæ[2] subito amore exarsit. Avitarum opum haud minùs, quàm formæ, appetens, eam, Memmi Regulo, consulari,[3] tum exercitûs rectori,[4] nuptam, e provinciâ evocavit; perductamque à marito, ut illâ, velut patrio jure,[5] cederet, sibi conjunxit. Singulari rapinarum fœdere, solemnis nuptiarum apparatus imperii Romani e Orientis divitias explicavit. Princeps prodigus corraso cædibus ac proscriptionibus thesauros ostentabat: uxo smaragdis, margaritis, aliisque provinciarum spoliis, regumv Orientis muneribus, ab avo M. Lollio[6] per nefas quæsitis, onusta spectabatur.

[1] *Religio.* Hæc et seq. Dio, LIX. p. 648.

[2] *Lolliæ Paullinæ.* De ejus nuptiis Suetonius in Caio, XXV. Dio, LIX. p. 648. Vide et Stem. Cæs. n. 89.

[3] *Consulari.* Consul Sejanum oppresserat, ut diximus in Suppl. Annal. v. 34.

[4] *Exercitûs rectori.* Ut videtur, Syriæ præposito: ille sanè est, cui datum est negotium Jovis Olympii simulacrum è Græciâ Romam adsportandi. Joseph. Antiq. Judaic. XIX. 1. Sueton. loc. cit.

[5] *Patrio jure.* Jus illud novum, quo mariti uxoribus, tamquam patres filiabus, cedebant, reperit Augustus, ut Liviæ nuberet. Vide Dionem, XLVIII. p. 383. Ejus exemplo *Caius Memmii Reguli uxorem duxit impellens eum, ut uxoris suæ patrem esse se scriberet,* Euseb. in Chron.

[6] *Ab avo M. Lollio.* Avi nep tisque infamiam execratur Plinius IX. 35. *Lolliam Paulinam, qu fuit Caii Principis matrona, n serio quidem, aut solemni cærimo niarum aliquo apparatu, sed medio crium etiam sponsalium cœnâ, vid smaragdis margaritisque opertam alterno textu fulgentibus, toto ca pite, crinibus, spirâ, auribus, colla monilibus, digitisque, quæ summa quadringenties HS. Anglic 333,333l. 6s. 8d. colligebat: ips confestim parata mancupationem tabulis probare. Nec dona prodig Principis fuerant, sed avitæ opes provinciarum scilicet spoliis parta Hic est rapinarum exitus: hoc fui quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente, inter dictâ amicitiâ à Caio Cæsare Au gusti filio, venenum biberet, ut nep tis ejus quadringentics HS operta spectarctur ad lucernas. Computet*

36. MALE ominata connubii gaudia excepit digna vetere Româ, melioribusque temporibus scena. Caius, exteris, quàm domesticis, rebus intentior, gentes ac regna diribuit:[1] nihilque priscæ majestatis omissum. Ipse enim inter consules sellæ curuli in foro insidens,[2] velis sericis, ut quidam prodidere, interjectis,[3] recitatoque senatusconsulto, Ituræam[4] Sohemo adsignavit: Cotyi[5] Armeniam minorem dedit: Rhœmetalci[6] Thraciam, ipsum inter et Cotyn anteà divisam, integram permisit: Polemonem paterno regno[7] donavit.

37. PLACITUM quoque ut Agrippa,[8] Principi intimus, acceptum anno superiore regnum inviseret, sponsione priùs factâ, se, ubi primùm per negotia liceret, Romam reversurum. Puteolis[9] profectus, Etesiis flantibus,[10] Alexandriam petiit;[11] eum comiter excepit Flaccus Avillius Ægypti

nunc aliquis ex alterâ parte, quantum Curius aut Fabricius in triumphis tulerint: imaginetur eorum fercula, et ex alterâ parte Lolliam, unam imperii mulierculam accubantem: non illos curru detractos, quàm in hoc vicisse malit.

[1] *Diribuit.* Distribuit. Sic de populo Romano Plinius, XXXIII. 15. *Hic est ille terrarum victor, et totius domitor orbis, qui gentes et regna diribet, jura externis mittit, Deorum quædam immortalium generi humano portio.*

[2] *In foro insidens.* Hæc omnia prodidit Dio, LIX. p. 649.

[3] *Interjectis.* Fortè ut Caius à sole defenderetur, aut ob Principis reverentiam, et ut excluderetur turba.

[4] *Ituræam.* Arabiæ desertæ vicinam. Vide quæ dicta sunt supra cap. 11. et Annal. XII. 23. Eos Ituræos Arabas appellat Dio, loc. cit. Σωαίμῳ μὲν τὴν τῶν Ἰτυραίων τῶν Ἀράβων—ἀρχὴν ἐχαρίσατο. *Sohemo Ituræorum Arabum regnum dedit.*

[5] *Cotyi.* Anteà Thraciæ partem obtinebat, ut dictum est Annal. II. 67.

[6] *Rhœmetalci.* Filio Rhescuporidis, de quo supra Annal. II. 67.

[7] *Paterno regno.* Regno Ponti-co et Bosphorano. De ejus patre, Polemone I. dictum Annal. II. 56. De utriusque Polemonis nummis et historiâ consule eruditum Cary, *Histoire des Rois du Bosphore.* p. 37 et 50. Vide et dicenda infra in Suppl. Annal. IX. 20.

[8] *Ut Agrippa.* De quo supra cap. II.

[9] *Puteolis.* Nunc *Pozzuolo,* in Campaniâ.

[10] *Etesiis flantibus.* Etesiæ paulo ante exortum Caniculæ flare incipiunt. Vide quæ de iis dicta sunt Annal. VI. 33.

[11] *Alexandriam petiit.* Agrippæ iter, scelerque Flacci Avillii fusè descripsit Philo, in Flaccum, p. 965 et seq.

præses: at dignitatis invidus,[1] infensusque Judæis, animos plebis, in exterorum inrisionem promtæ, fortè incendit, certè non coercuit. Eò crevit insolentia, ut, regem inlusuri, quemdam insanum, nomine Carabam, regio ornatu et comitatu extollerent, Marinque salutarent.[2]

38. ATROCITATES privatis hominibus, nedum regibus, intolerandas acuêre dira adversùm Judæos,[3] Alexandriæ incolas, patrata facinora. Querebantur "polliutas proseu-"chas;[4] domos direptas; omnes fortunis deturbatos; "gentis senatores verberibus cæsos; è populo plurimos "occisos, flammatos;[5] se etiam à præside impeditos, ne "Principem de honoribus, quos ei publicè decreverant, "certiorem facerent.[6] Nihil denique crudelitatis intenta-"tum, ut gens, vitæ integra, Cæsarum reverens, periret." Agrippa, quâ offensione, popularium calamitate exacerbatus, omnia Caio renuntiavit.[7]

39. HAUD expectato, utì moris erat, cœptæ administra-

[1] *Dignitatis invidus.* Rex erat Agrippa, et à senatu prætoriis insignibus honoratus. Philo, in Flaccum, p. 970.

[2] *Marinque salutarent.* Philo, ibid. Ἐξήχει δοή τις ἄτοπος, Μάριν ἀποκαλούντων. οὗτος δὲ φασιν τὸν κύριον ὀνομάζισθαι παρὰ Σύροις· ἤδεσαν γὰρ Ἀγρίππαν καὶ γένει Σύρον, καὶ Συρίας μεγάλην ἀποτομὴν ἔχοντα, ἧς ἐβασίλευσε. *Erortæ voces plurimæ et confusæ, Marin clamantium: sic enim inquiunt dominum à Syris appellari. Noverant enim Agrippam esse Syrum genere, et in magnâ Syriæ parte regnare.*

[3] *Judæos.* Tanta erat Alexandriæ Judæorum multitudo, ut hos inter, ceterosque incolas urbs esset divisa, teste Philone, in Flaccum, p. 971. De Judæorum numero in Ægypto diximus supra.

[4] *Proseuchas.* Vetus Scholiastes Juvenalis, III. 296. *Proseucha. locus Judæorum, ubi orant.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1014. Proseuchæ, in quibus cœtus faciunt, præsertim sabbatis, juxta religionem patriam. Proseuchas illas nunc dicimus *Synagogues.*

[5] *Occisos, flammatos.* Hæc omnia scelera, præsidis edictis firmata, lacrymabundus narrat Philo, in Flaccum, p. 973. 974. 975 et seq.

[6] *Certiorem facerent.* Philo, in Flaccum, p. 979.

[7] *Renuntiavit.* Philo, in Flaccum, p. 980.

tionis fine,[1] Princeps statim misit Bassum[2] cum cohorte, qui Flaccum comprehenderet, Romamque perduceret. Centurio, Pharum[3] advectus, Alexandriam clanculum ingreditur, Flaccumque imparatum et convivantem[4] circumvenit, stupentibus omnibus, Judæis eò lætioribus, quòd scelerum pœna in diem festum,[5] primoribus gentis in vincula conjectis, omissum, incidisset. Turbida maris perpessus; ne quid adhuc acerbitatis deesset, accusatores criminum, quos olim suasores habuerat, Lamponem et Isidorum[6] in Urbe reperit.

40. PRÆTER criminationes ab Agrippâ Judæisque oblatas, "Tiberii benevolentia,[7] pro nepote[8] vota, Macronis "familiaritas;[9] eo superstite, spes; occiso, tristitia; anteà "non malè, posthàc ob vetera in Caium odia[10] pessimè "administrata provincia," aliaque plurima objectabantur. Jamque Flaccum in insulam Gyarum[11] relegandum cense-

[1] *Administrationis fine.* Philo, ibid. et p. 981.

[2] *Bassum.* Philo, ibid. Βάσσος ἑκατοντάρχης, *Bassus centurio.*

[3] *Pharum. The Pharos of Alexandria.* *Ê turri nocturnis ignibus cursum navium* regebat. Plin. v. 31.

[4] *Convivantem.* Convivabatur apud Stephanionem, Tiberii Principis libertum Philo, in Flaccum, p. 981.

[5] *In diem festum.* Dies ille festus erat *Scenopegia*, de quo D. Joannes, VII. 2. et Moses, Levit. XXIII. 34. seu solemne Tabernaculorum, quod à die 15. mensis Tisri per dies septem celebrabatur. Philo, in Flaccum, p. 982. Ἔστι μὲν γὰρ ἡ πάνδημος τοῖς Ἰουδαίοις κατὰ τὴν μετοπωρινὴν ἰσημερίαν, ἣν ἄγειν διάγειν Ἰουδαίοις ἔθος ἐν σκηναῖς. *Solemne erat, quod populariter celebrant Judæi per autumni æquinoctium, extructis sub dio tabernaculis.* Inde autem manifestè patet quo tempore comprehensus fuerit Avillius, et Romam perductus.

[6] *Lamponem et Isidorum.* Philo, in Flaccum, p. 983.

[7] *Tiberii benevolentia.* Olim inter Tiberii amicos fuerat Flaccus; et post mortem Severi ante sexennium Ægypto præpositus. Philo, in Flaccum, p. 965 et 987.

[8] *Pro nepote.* Pro Tiberio, Tiberii nepote, Drusi filio; de cujus cæde dictum supra cap. 21. Philo, in Flaccum, p. 966.

[9] *Macronis familiaritas.* Philo, ibid. p. 967. De Macronis exitio supra cap. 30.

[10] *Vetera in Caium odia.* Quondam enim Agrippinam, Caii matrem, accusaverat. Philo, in Flaccum, p. 966.

[11] *Gyarum.* Ægæi maris insulam, nunc *Joura*. De quâ jam dictum supra Annal. III. [illegible].

bant, cùm, deprecante M. Lepido,[1] Andrum,[2] bonis Principi sepositis,[3] deportatus est.

41. Dum senatus, punitis grassationibus, provinciarum tranquillitati consulebat, Princeps Urbis decora, publicos usus, privatasque voluptates, novo artis miraculo promovebat. Majora enim, quàm Q. Marcius Rex,[4] et avus suus Agrippa, molitus, arcus exstrui,[5] montes perfodi, convalles æquari jussit, ut à lapide quadragesimo Cæruleus et Curtius fontes, à sexagesimo Aniene nova in Urbem perducerentur, et ad eam excelsitatem levarentur, ut in omnes ejus montes ad balinea, piscinas, domos, euripos, hortos, suburbana, villas, influerent. Quæ quidem, quanto acriùs suscepta, tanto leviùs omissa, maximâ cum laude peregit Claudius.

[1] *M. Lepido.* De quo supra cap. 32. Philo, in Flaccum, p. 987.

[2] *Andrum.* Ægæi maris insulam, nunc *Andros.*

[3] *Principi sepositis.* Cùm enim locupletissimus esset Flaccus, et exquisitæ supellectilis curiosus, licèt plurimorum damnatorum bona sub hastâ fuissent vendita, solius Flacci omnia Imperatori sunt sepositа, exceptis paucis quibusdam, ne lex de damnatis lata violaretur. Philo, in Flacc. p. 986.

[4] *Q. Marcius Rex.* Quantam operam Q. Marcius Rex, prætor A. U. C. 610. M. Agrippa, ædilis A. U. C. 721. in reficiendis adjiciendisve aquarum ductibus posuerint docet Plinius, xxxvi. 15. n. 9.

[5] *Arcus exstrui.* Plinius, xxxvi. 15. n. 10. *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati à Caio Cæsare, et peracti à Claudio. Quippe à lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes. Erogatum in id opus sestertiûm* LV. D. *Angl.* 458,333*l.* 6*s.* 8*d. Quod si quis diligentiùs æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balineis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, spatioque advenientis exstructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.* De his aquæductibus Frontinus, *de Aquæduct. Romæ*, Libr. I. *C. Cæsar, qui Tiberio successit, cùm parùm et publicis usibus et privatis voluptatibus septem ductus aquarum sufficere viderentur, altero imperii sui anno, M. Aquilio Juliano, P. Nonio Asprenate coss. A. U. C. 790. duos ductus inchoavit: quod opus Claudius magnificentissimè consummavit, dedicavitque, Sullâ et Tutiano coss. anno post U. C. 800. 6. Kal. Augusti.* Huc spectant Inscriptiones, quæ Romæ extant. At ob loci opportunitatem juvat eas in hujus libri calcem conjicere, quas ibi vide p. seq.

42. Iis temporibus periere duo ætatis suæ decora, Antonia et Julius Græcinus. Illa Antoniæ, Octaviæ, et Claudiæ familiarum nobilitatem complexa,[1] mariti et filii[2] laudibus eminentissima, viduitatis sanctitate[3] illustrior extitit: sortis humanæ claritatem supergressura, si Caium[4] nepotem non habuisset. Eum imperio servavit, naturæ obsequens: dum valuit, optimum Principem fecit: in dominationis libidines præcipitem, aviæ monita declinantem,[5] et erumpentem in ferale effatum, "memento omnia mihi, et in omnes licere,"[6] haud perpessa, tædio contabuit, vel, dato, ut quidam putant, veneno, occubuit: morte æquè ac vitâ celebris; negatis post mortem honoribus, famâ celebratior.

43. Julius Græcinus fuit dignitate, non virtute, impar: eloquentiæ et sapientiæ studiis, animi excelsitate, luxûs contemtu, incorruptâ libertate egregius: senator, civisque melior, quàm esse quemquam Caio expediret, ab eo interfectus est, quòd, jussus M. Silanum,[7] nullius criminis noxium, accusare, abnuerat. In tantâ vitæ mortisque laude, majorem adhuc, ob egregias filii sui Cn. Julii Agricolæ[8]

[1] *Nobilitatem complexa.* Vide Stem. Cæs. n. 42.

[2] *Mariti et filii.* Neronis Claudii Drusi mariti; Germanici filii. Vide Stem. Cæs. n. 79 et 81.

[3] *Viduitatis sanctitate.* Valer. Maxim. IV. 3. *Antonia quoque fœmina laudibus virilem familiæ suæ claritatem supergressa, amorem mariti egregiâ fide pensavit: quæ post ejus excessum, formâ et ætate florens, cubiculum socrûs pro conjugio habuit: in eodemque toro alterius adolescentiæ vigor extinctus est, alterius viduitatis experientia consenuit. Hoc cubiculum talibus experimentis finem imponat.*

[4] *Caium.* Caligulam.

[5] *Monita declinantem.* Sueton. in Caio, XXIII. *Aviæ Antoniæ secretum petenti denegavit, nisi ut interveniret Macro præfectus. Ac per istiusmodi indignitates et tædia, causa extitit mortis: dato tamen, ut quidam putant, et veneno. Nec defunctæ ullum honorem habuit: prosperitque è triclinio ardentem rogum.*

[6] *Licere.* Sueton. in Caio, XXIX.

[7] *M. Silanum.* De quo supra cap. 23.

[8] *Filii sui—Agricolæ.* Vide Tacitum, Vit. Agr. IV.

virtutes, gloriam adsecutus. Tristiùs periit Passienus,[1] heredis suæ fraude enectus.

[1] *Passienus.* Euseb. in Chronic. *Passienus filius fraude heredis suæ necatur.* Pater ejus Crispus Passienus laudatur à Senecâ, Natural. Quæstion. IV. præfat. Vide et Stem. Cæs. n. 94.

AQUÆ CLAUDIÆ INSCRIPTIONES, quæ extant Romæ in portâ Nævià, nunc Porta Maggiore. *Arcum, cui sunt incisæ, vide apud Cl. Piranesi,* Antichità Romane, *vol. I. Tabul. XXXVII. n.* 2.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM.

TRIBVNICIA. POTESTATE XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIAE.

AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXXV

ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. P. P

AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE

PER. ANNOS. NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT

IMP. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC

POTESTATE. X. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. VIII

AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA

A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM. A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT.

BREVIARIUM

SUPPLEMENTI

LIBRI OCTAVI ANNALIUM.

1. MUTUA Principis et populi Romani odia. 2. Caius, vanâ auri spe inlusus, scelcribus opes quærit. 4. Ejus prodigalitas, et in equi honoribus insania. 5. Fortunæ omnes eversæ. 6. Atroces in senatum criminationes. 8. Imminentem ruinam patres adulatione avertunt. 9. Stulta Principis consilia: pons Puteolanus; triumphatumque mare. 15. Tum Caius, Xerxe major, Alexandrum cruentâ ebrietate æmulatur. 16. Non jam in opes; sed in vitas involat. 17. Herodes, Galilææ tetrarcha, ejusque uxor Herodias, regni cupidine, in exitium ruunt. 19. Mox ipsa ingenia in pœnas vocata; ideoque rei Seneca et Domitius Afer. 21. Comitia è campo ad senatum iterum translata. Multata Africa. 22. Caius, obtritâ Italiâ, ad Gallias Hispaniamque animum

convertit, obtentu Germanicæ expeditionis. 23. Vana belli imago, turpisque pavor. 25. Falsa victoria, Romæ tamen et in provinciis celebrata. 27. Adversùs Principem conjurationes. Ob id Lentulus Gætulicus et Æmilius Lepidus morte, Julia et Agrippina exilio, puniuntur. 29. Caius consulatum Lugduni solus init. 31. Ibi literarios edit ludos. 32. Lucrosa, sed fœda, negotiatio. 34. Ptolemæus vitâ, Antiochus regno, orbati. Mithridates in vincula conjectus. 35. Expilatis Galliis, Britannica expeditio suscepta, et ridiculè acta. 38. Princeps à Brinione, Canninefate, inridetur. 39. Triumphi apparatus. 40. Atrocia adversùs Germanicas legiones consilia, impedita Principis ignaviâ. 41. Nova adversùs senatum odia. 42. Caius ovans Urbem ingreditur. 43. Conjuratio prodita. Sexti Papinii aliorumque supplicia. 47. Princeps, formidine excruciatus, discordiâ securitatem molitur. 49. Senatus, luctu amens, in suos sævit. 50. Honores Caio decreti. 51. Dèus appellatur. 52. Deum quoque se fingit, et colitur, hominibus Diisque iniquus. 56. Judæorum legatio. 57. Petronius Caii colossum in templo Hierosolymitano ponere jubetur. 59. Hâc de re Agrippæ preces. 60. Judæorum legati ad orandam coram Principe causam admissi et inrisi. 66. Apelles malarum artium pœnas luit. Pontius Pilatus se ipse perimit. 67. Vulgata portenta.

68. Cassius Chærea adversùs Principem conspirat. 71. Conjuratorum consilia et metus. 79. Chærea Caium interficit. 80. Caii forma et mores.

Hæc triennio gesta

A. U. C.	J. C.	
DCCXCII.	39.	Coss. { C. Cæsare Augusto II, L. Apronio Cæsiano.
DCCXCIII.	40.	Cos. { C. Cæsare Augusto III.
DCCXCIV.	41.	Coss. { C. Cæsare Augusto IV, Cn. Sentio Saturnino.

SUPPLEMENTUM

LIBRI OCTAVI

ANNALIUM.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

A. U. C. 792. J. C. 39.

1. Caio Cæsare secundùm et L. Apronio Cæsiano consulibus,[1] mutua Principis et populi Romani odia exarsere.[2] Populus, stultæ lætitiæ turpisque patientiæ pertæsus, ludos sanguine suo imbutos horrere, dominationis licentiam arguere, invisum delatorum genus incessere. Princeps, exercitatus in audaciam, juratas leges spernere, diurna, nocturna, semper cruenta, spectacula iterare, cuncta trahere in crimina, cogitationes ac curas ad suam securitatem et servitutem publicam convertere.

[1] *Consulibus.* C. Cæsar II. et L. Apronius Cæsianus consules fuere A. U. C. 792. J. C. 39. In vetere lapide apud Cl. Muratori, Thesaur. Inscript. vol. I. p. 303.

CAESARE AVG. GERMANICO
L. APRONIO CAESIANO cos.

[2] *Odia exarsere.* Hæc pluribus Dio, LIX. p. 649. *Eratque tum videre et audire ea, quæ solent iratus alter alteri, repugnantes, loqui ac facere, quamquam dispari conditione.* Καὶ ἦν καὶ ἀκοῦσαι καὶ ἰδεῖν, οἷα ἂν ἐν τῷ τοιούτῳ ὁ μὲν ἐργιζόμενος, οἱ δ' ἀντωγανιζόμενοι, καὶ εἰπεῖν καὶ πρᾶξαι.

2. Iis dissensionibus utrimque certabatur, cùm Caius, spectaculorum solitudine atrox,[1] consulatu se abdicavit pridie Calendas Februarii;[2] suffectoque Sanquinio Maximo,[3] Urbis præfecto, in Campaniam secessit.[4] Dein Romam regressus, ut Drusillæ diem natalem celebraret,[5] ad majorem ludorum insaniam provolvitur:[6] nec minori pecunias parandi cupidine flagrabat. Sed delusâ aurum faciendi spe,[7] quam fallax hominum genus, Principibus in portentosas novitates ultro præcipitibus amicum, inflaverat, ad notas certasque prædandi artes animum advertit. Anteà jam edictum, "ut omnes, qui Tiberium heredem destinâssent, "morituri bona Caio legarent:"[8] additum, "testamenta "primipilarium,[9] qui à Germanici triumpho[10] ad id tempo-

[1] *Spectaculorum solitudine atrox.* Dio, ibid. Spectaculorum continuatio, ipsaque Principis atrocitas, qui ibi quàm maximè et in omnes sæviebat, solitudinem fecerant. Vide et Sueton. in Caio, XXVI.

[2] *Pridie Calendas Februarii.* Sueton. in Caio, XVII. *Secundum* consulatum gessit *ex Calendis Januarii per triginta dies.*

[3] *Sanquinio Maximo.* Dio, ibid.

[4] *In Campaniam secessit.* Dio, LIX. p. 650.

[5] *Diem natalem celebraret.* Dio, ibid.

[6] *Provolvitur.* Drusillæ simulacrum currui impositum in Circum elephantis invexit. Biduo gratuita spectacula edidit, quibus quingenti ursi, totidemque Africanæ belluæ interemtæ. Simul multis in locis pancratiastarum certamina addidit: populoque senatoribus et eorum uxoribus epulum dedit. Dio, ibid.

[7] *Aurum faciendi spe.* De quâ Plinius, XXXIII. 4. *Aurum faciendi est etiam una ratio ex auripigmento, quod in Syriâ foditur pictoribus, in summâ tellure, auri colore, sed fragili lapidum specularium modo. Invitaveratque spes Caium Principem avidissimum auri, quamobrem jussit excoqui magnum pondus: et planè fecit aurum excellens, sed ita parvi ponderis, ut detrimentum sentiret; illud propter avaritiam expertus, quanquam auripigmenti libræ XIIII. permutarentur, nec posteà tentatum ab illo est.* Curiositate an aviditate, id certè et nostrâ ætate et prioribus seculis à plurimis Principibus, haud feliciore exitu, tentatum. Auripigmentum appellamus *Orpiment.*

[8] *Bona Caio legarent.* Dio, LIX. p. 651.

[9] *Testamenta primipilarium.* Ita Sueton. in Caio, XXXVIII. Non modò *primipilarium*, qui præcipui erant centuriones, sed centurionum omnium, si fides habenda Dioni, ibid. testamenta rescidit.

[10] *A Germanici triumpho.* Ita totidem verbis Dio, ibid. Haud ita probabiliter Suetonius, ibid. *ab initio principatûs Tiberii.* Germanicus, Caii Caligulæ pater, de Cheruscis, Cattis, quæque aliæ natio-

" ris Principem heredem non reliquissent, ut ingrata, " rescindi." Acriùs sævitum in mancipes,[1] ceterosque viarum curatores, quos, quasi publicas pecunias in usus suos corrupíssent, fortunis exturbavit Cn. Domitius Corbulo,[2] iisdem damnationibus, superiore principatu, infamatus.

3. HAUD puduit ipsum Principem, revocato veteri more " ut duo prætores[3] gladiatoria munera sortirentur," ludos licitari:[4] gladiatores (factâ cuivis copiâ, plures, quàm per leges fas erat, emendi) consulibus, prætoribus, ditissimis quibusque, volentibus aut invitis, vendidit,[5] pretia usque eò extendens, ut nonnulli emere coacti, et bonis exuti, venas sibi inciderent:[6] fraudulenter etiam inrepebat, utì compertum de Aponio Saturnino,[7] quem cùm Caius inter subsellia dormitantem vidisset, præconem monuit, " ne prætorium " virum crebro capitis motu nutantem sibi præteriret." Nec licendi finis factus, quoad tredecim gladiatores sestertiûm nonagies[8] vix expergito, et ignoranti, addicerentur. Nondum rapacitati satis: gladiatores, equos, agitatores, venditos veneno enecabat,[9] ut alios emtitare cogeret.

4. HANC quoque luxuriæ vesaniam laudibus, studiis, ac præmiis incendebat: ipse Prasinæ factioni[10] ita addictus, ut

nes usque ad Albim colunt, triumphavit A. U. C. 770. ut dictum est Annal. II. 41.

[1] *In mancipes.* De mancipibus curatoribusque viarum dictum supra Annal. III. 31.

[2] *Cn. Domitius Corbulo.* Senator. Dio, LIX. p. 651. testatur eum pudendis his artibus ad consulatum fuisse evectum. De Corbulone jam dictum, supra Annal. III. 31. Vide et infra Suppl. Annal. IX. 44.

[3] *Ut duo prætores.* Dio, LIX. p. 650.

[4] *Ludos licitari.* Dio, ibid.

[5] *Vendidit.* Dio, ibid.

[6] *Venas sibi inciderent.* Sueton. in Caio, XXXVIII.

[7] *Aponio Saturnino.* Id totidem fermè verbis narrat Suetonius, loc. cit.

[8] *Sestertiûm nonagies. Angl.* 75,000*l.*

[9] *Veneno enecabat.* Dio, LIX. p. 650.

[10] *Prasinæ factioni.* Sueton. in Caio, LV. Circensium agitatorum factiones tunicarum coloribus erant distinctæ: unde alii Albati, *the white;* Russati, *the red;* Prasini, *the green;* Veneti, *the blue party*, dicebantur. Hos colores uno versu complexus est Sidonius, Carm. XXIII. 323.

in ejus stabulo assiduè cœnaret, et agitatori Eutycho,[1] comessatione quâdam in apophoretis[2] vicies sestertiûm[3] conferret. Cùm verò in libidine numquam sit modus, equum suum, quem *Incitatum* appellabat,[4] civilibus honoribus extulit. Præter equile marmoreum, et præsepe eburneum, purpureaque tegumenta, ac monile è gemmis, domum quoque et familiam et supellectilem dedit, quò lautiùs nomine ejus invitati exciperentur. Quandòque etiam eum ad cœnam vocabat, inaurato hordeo apposito, vinoque poculis aureis ministrato: per ejus salutem et famam jurabat; consulque destinabatur, magnâ Principis, majore adulatorum infamiâ.

5. Hæc tamen modica, et in paucorum deridiculum ruinamve inventa. At successu inescatus, omniumque opibus inhians, viros, fœminas, omnes sine ullo discrimine

Micant colores
Albus, vel Venetus, virens, rubensque.

Rem hanc ludicram egregiè illustrat vetus lapis ab erudito Sirmondo laudatus in notis ad Sidonium, p. 160.

M. AVR. POLYNICES
NAT. VERNA. QVI VIXIT
ANN. XXIX. MENS IX.
DIEBVS V. QVI VICIT
PALMAS N. DCCXXXIX.
SIC. IN RVSSEO. N. DCLV.
IN PRASINO LV. IN VENE
TO XII. IN ALBO N. XVII.
PRAEMIA XXXX. N. III.
XXX. XXVI. PVRA N. XI.
OCTOIVG. N. VIII. DEC.
N. VIIII. SEIVG. N. III.

N. intellexerim tum de numero victoriarum, tum de numero locoque, quem obtinebat inter agitatores, qui octojugibus, decemjugibus, sejugibus vicere. Pvra de bijugibus acceperim.

[1] *Agitatori Eutycho.* De quo Joseph. Antiq. Judaic. XIX. 4. n. 4. Haud ita probabiliter apud Suetonium, loc. cit. *Cythico.*

[2] *In apophoretis.* Apophoreta, munera erant, quæ convivii dominus convivis dabat. Sic Antoninus Heliogabalus, vitæ fœditate, ac morte, Caio haud absimilis, apud Lampridium, XXI. *Eunuchos pro apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos, stratos, mulos, basternas et rhedas; dedit et aureos millenos, Angl.* 1000*l.* *et centena pondo argenti, Angl.* 300*l.*

[3] *Vicies sestertiûm. Angl.* 17,000*l.*

[4] *Incitatum appellabat.* Has Principis insanias memorant Suetonius in Caio, LV. Dio, LIX. p. 650 et 651.

divites corripuit.[1] Excogitataque mali remedia exitium properavere. Cùm enim, injecto metu, ab ignotis inter familiares, à parentibus inter liberos passim heres nuncuparetur, quanto formidolosior, tanto atrocior, *derisores* vocitabat,[2] qui post supremas tabulas vivere pergerent, multisque venenatas macteas[3] misit. Seniorum verò, quibus vitam permittebat, se filium nepotemve dictitans, statimque occupatis bonis, heredem se renuntiabat.[4]

6. NEQUIOR adhuc, quàm stultior, Princeps, flagitia ampliori criminum materie obtexit. Curiam enim adiit, patresque adlocutus, ait:[5] " mirari se ab iis argui sapien-
" tissimam Tiberii mentem, bellorum pacisque artibus pro-
" batam, imperio parem, publicæ felicitati provisuram, nisi
" obstitissent senatores. Eos Liboni Druso,[6] Titio Sabino,[7]
" Agrippinæ matri,[8] Neroni et Druso fratribus, ceterisque,
" quos Tiberii æquitas, recti pervicax, haud umquam
" punîsset, perniciem intulisse: alios delationibus, alios
" accusationibus, omnes sententiis sæviisse."

7. MOXQUE recitatis per libertos libellis,[9] demonstratisque criminibus, addit: " Quos esse vos dixerim, in Tiberii

[1] *Divites corripuit.* Dio, LIX. p. 651. Sueton. in Caio, XXXVIII. Eo astu usus, teste Suetonio, ut omnium irrita vanaque testamenta pronuntiaret, *quoscumque quis diceret herede Cæsare mori destinâsse*, Inde excogitata illa testamenta, quibus passim palamque heres scribebatur: at nova malorum causa extitere.

[2] *Derisores vocitabat.* Sueton. loc. cit.

[3] *Macteas.* Macteæ sunt rara exquisitaque edulia.

[4] *Renuntiabat.* Dio, loc. cit.

[5] *Adlocutus, ait.* Hæc pluribus Dio, LIX. p. 651 et 652. Paucis Suetonius in Caio, XXX. *Sæpe in cunctos pariter senatores, ut Sejani clientes, aut matris ac fratrum suorum delatores invectus est: prolatis libellis, quos crematos simulaverat; defensâque Tiberii sævitiâ, quasi necessariâ, cùm tot criminibus credendum esset.*

[6] *Liboni Druso.* Supra Annal. II. 27 et seq.

[7] *Titio Sabino.* Annal. IV. 68 et seq.

[8] *Agrippinæ matri.* De Agrippinâ, Nerone, et Druso dictum in Suppl. Annal. V. 11 et seq.

[9] *Per libertos libellis.* Dio, loc. cit.

" contumeliam tanto proniores, quanto, dum viveret, ad " ejus venerationem projectiores? Olim criminum artifices, " nunc ejus memoriam insectamini. Eâdem inconstantiâ " Sejano superbiam, deinde exitium, creâstis. Quæ me " ipsum maneant, docent vestra anteacta facinora." Atque ut alienæ personæ obtentu atrociores sensus velaret, Tiberium induxit talia effantem:[1] " recta veraque locutus, " eorum nemini te amicum, cunctis severum præsta. Te " odio habebunt: mortemque frustra precati, vitam insidiis " petent. Sensus ac verba sperne, factis diffide: quod " verò jus est Imperatorium, libidini ac securitati consule. " Hæc principatûs via, hæc ratio. Si paululum deflexeris, " te laus brevis, mors violenta, turpis manet memoria. " Invisa omnibus dominatio. Parent, dum potentiorem " metuunt: ubi audacia et vires suppetent, servitium, " dominantis exitio, ulciscentur."

8. His minaciter jactatis, leges majestatis renovavit,[2] tabulisque æneis incisas proponi jussit; tum properè è curiâ elapsus, in suburbana concessit. Patres perterriti, et consilio impares, se omnes majestatis crimine inretitos sensere: idem fuit Urbis metus. Nemo enim vacuus ab injuriis Tiberii, quem quisque, gratiæ apud novum Principem aucupandæ causâ, maledictis incesserant. Postridie, paulum recreatis animis, frequenti senatu consultatum, " quid in " tanto discrimine censendum." Nullâ superstite libertatis memoriâ, in pudenda, quæ salutem adferrent, discessum: laudatâque Principis prudentiâ et pietate, decretum[3] " ut grates amplissimæ ob vitam ipsis servatam agerentur: " singulis annis, die, quâ Caius orationem habuerat, ludis-

[1] *Talia effantem.* Dio, loc. cit. Quæ quidem acriora esse, quàm ut à Dione sint profecta, nemo non videt. Ea vel à Tacito, vel ab alio id roboris scriptore, mutuatus videtur. In ipsis etiam Græcis frigent.

[2] *Leges majestatis renovavit.* Dio, LIX. p. 652. De lege majestatis dictum Ann. I. 72. et passim libris seq.

[3] *Decretum.* Dio, loc. cit.

" que Palatinis,[1] ejus clementiæ sacrificarent; aureaque " ejus effigies in capitolium veheretur, nobilibus pueris " hymnos concinentibus: Princeps redux, Urbem, quasi " devictis hostibus, ovans iniret." Hæc servitutis dedecora, gliscentibus posthàc Principis atrocitatibus, semper auctitata.

9. At Caius, lætus Urbis et senatûs formidine, obvios honores spernere, et, ut levissimarum est mentium, ad portentosa adspirare. Xerxis æmulatione[2] incertum, an ad Germaniæ et Britanniæ, quibus imminebat, terrorem,[3] seu, quod interiores aulici prodidere, ut vanas esse Thrasylli hariolationes, seque Principem novo artis miraculo probaret, Baiarum medium intervallum[4] Puteolanas ad moles[5] trium millium et sexcentorum[6] ferè passuum ponte conjungere adgressus est.

10. Opus quanto insanioribus studiis susceptum, tanto acrioribus deproperatum. Undique evocatæ operæ; cæsæ

[1] *Ludisque Palatinis.* De quibus plura infra cap. 76.

[2] *Xerxis æmulatione.* Quam *furiosi, et externi et infeliciter superbi regis* imitationem dixit Seneca, *de Brevitate Vitæ*, XVIII.

[3] *Terrorem.* Sueton. in Caio, XIX. *Scio plerosque existimâsse, talem à Caio pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Hellespontum contabularverit: alios, ut Germaniam et Britanniam, quibus imminebat, alicujus immensi operis famâ territaret. Sed avum meum narrantem puer audiebam, causam operis ab interioribus aulicis proditam, quòd Thrasyllus mathematicus, anxio de successore Tiberio, et in verum nepotem proniori, affirmâsset, non magis Caium imperaturum, quàm per Bajanum sinum equis discursurum.*

[4] *Baiarum medium intervallum.* Ita Suetonius, loc. cit. Errat Josephus Antiq. Judaic. XIX. 1. cùm pontem ab urbe Dicæarchiâ, sive Puteolis, ad urbem Misenum ductum scribit. Errat quoque Dio, LIX. p. 652. cùm affirmat pontem constratum fuisse Puteolos inter et Baulos. Bauli enim non fuere Puteolos inter et Baias; sed inter Baias et promontorium Misenum. Vide Annal. XIV. 4.

[5] *Puteolanas ad moles.* Puteolanæ illæ moles à Caio Caligulâ non sunt conditæ. Multo antè ad muniendum portum exstructæ fuerant.

[6] *Trium millium et sexcentorum.* Sueton. loc. cit.

arbores; comportatæ materiâ: exstructæ naves; quæ cùm ad immensam substructionem haud sufficerent, onerariæ quoque contractæ.[1] Inter operarum alacritatem, Urbe et Italiâ alimentorum egestate[2] laborantibus, pons in navibus, duplici ordine ad anchoras collocatis, superjectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam,[3] constratus est. Positæ quoque in anfractibus stationes plurimæ, ad hospitia et aquæ dulcis receptacula paratæ.[4]

11. Tum Princeps, vanâ admiratione, stultâque opum ostentatione superbus, "se, triumphato æquore, Dario et "Xerxe superiorem,[5] Alexandro, debellatis hostibus, haud "inferiorem fore" jactitat; cunctaque ad bellicum apparatum instrui jubet. Stato die, sacrisque Neptuno, ceterisque Deis, ac maximè Livori,[6] ne grande ausum invidiâ premeretur, peractis, thoracem Alexandri[7] indutus, superinjectâ purpureâ chlamyde sericâ, auro gemmisque intertextâ, quercicâ coronâ[8] equoque phalerato insignis, securi, cetrâ[9]

[1] *Onerariæ quoque contractæ.* Dio, LIX, p. 652. Sueton. loc. cit.

[2] *Alimentorum egestate.* Senec. de Brevitate Vitæ, XVIII. *Dum ille* Caius *pontes navibus jungit, et viribus imperii ludit, aderat ultimum malorum obsessis quoque, alimentorum egestas.*

[3] *Appiæ viæ formam.* Via Appia, Romanarum omnium viarum maxima et laudatissima, Româ Brundisium usque protendebatur. De eâ jam dictum supra Annal. II. 38.

[4] *Paratæ.* Dio, LIX. p. 653.

[5] *Dario et Xerxe superiorem.* Plinius, IV. 12. sect. 24. Thracius *Bosphorus, latitudine* D. *passuum; quâ Darius, pater Xerxis, copias ponte transvexit.* Per Hellespontum, septem stadiorum spatio *Xerxes, Persarum rex, constrato in navibus ponte, duxit exercitum.* Plin. ibid. Vide et Herodotum, VII. 34 et 36. in Polymn. Multo majorem maris partem contabulavit Caius.

[6] *Ac maximè Livori.* Egregiè Plinius, II. 7. *Fragilis et laboriosa mortalitas in partes ista* numina *digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus coleret quisque, quò maximè indigeret. Itaque nomina alia aliis gentibus, et numina in iisdem innumerabilia reperimus: inferis quoque in genera descriptis, morbisque, et multis etiam pestibus, dum esse placatus trepido metu cupimus.*

[7] *Thoracem Alexandri.* Dio, LIX. p. 653. Suetonius quoque in Caio, LII. *Interdum et magni Alexandri thoracem* gestavit *repetitum è conditorio ejus.*

[8] *Quercicâ coronâ.* Suetonius in Caio, XIX.

[9] *Cetrâ.* Læve loreumque scu-

ac gladio minax, pontem Baiis ingreditur. Longo ordine equites peditesque hortatorem monstratoremque belli Principem secuti, fulgentibus signis, trucesque vultu, ad Puteolorum obsidionem properant. Oppidum adorti, multâ velitatione, omnibusque belli imaginibus expugnant.

12. NULLA urbis deditio majoribus celebrata laudibus: nec tamen adulatio vanitatem Principis supergressa. Ut bellicam virtutem, ita fatigationem, mentitus, reliquum diei recreandis viribus absumsit. Postero die,[1] ad novas libidines alacrior, militari pompâ regressus est. Ibat quadrigario habitu,[2] sed tunicâ aureâ, bijugi famosorum equorum curriculo, Darium,[3] multaque deditæ urbis in triumphi modum spolia præ se ferens. Adstabat prætorianorum agmen, et in essedis cohors amicorum, palmatis vestibus[4] magnifica. Ponè sequebatur expugnator exercitus, plurimaque turba, vario quisque cultu insignes.

13. CUM ad pontis medium pervenere, Princeps tribunal navibus impositum conscendit; et imperatorio more milites adlocutus,[5] jactitavit "Darium et Xerxem puerilia molitos: "se verò virilia, et orbis domino digna gessisse: catenatum "calcatumque æquor: expugnatas urbes: devictos popu- "los: Deos ipsos, majestatem suam veritos, fluctu flatuque "abstinere." Hæc aliaque id stultitiæ gloriatus, milites

tum erat cetra. Vide Quint. Curt. III. 4. et jam notata supra in Vitâ Agricolæ, cap. 36. not. sup.

[1] *Postero die.* Sueton. in Caio, XIX. Dio, LIX. p. 653.

[2] *Quadrigario habitu.* Sueton. loc. cit. Non paludatus, triumphalique veste, sed ut quadrigarius auriga cum galeâ et tunicâ ibat Princeps victorque scenicus.

[3] *Darium.* Filium Artabani, Parthorum regis, qui illum obsidem Romam miserat, ut dictum est supra in Suppl. Annal. VII. 12.

[4] *Palmatis vestibus.* Dio, LIX. p. 653. Ἐσθῆσιν ἀνθηραῖς. Eorum vestes, auro purpurâque intextæ, erant palmis floribusque conspicuæ. De triumphali veste vide quæ dicta sunt Annal. I. 15.

[5] *Milites adlocutus.* Dio, LIX. p. 653.

laborum ac periculorum socios compellat, et donativo magis quàm laudibus, ad lætitiam inflammat.

14. EPULIS, cantibus, ludis, triumphalisque exercitûs festivitate reliquum diei agitatum est. Princeps cum amicorum catervâ in ponte, quasi in insulâ, hospitabatur: ceteri in naves, veluti ad præsidia positas, divertêre. Continuata nocte gaudia;[1] crevitque vix credibili, nec umquam videndo, spectaculo miraculum. Pons enim navesque singulæ facibus collucebant. Quod verò admirationem vicit, littoris curvatura Puteolis Baias usque festis ignibus, per colles, montes, flexuososque meatus, prodigiosâ varietate discretis, ardebat. Mare repercussis radiabat luminibus. Noxque, diei æmula, Solem conspicuo splendore superavit; Principe, intrà duos dies pelago, terrâ, cœloque triumphatis, superbo.

15. ANIMUM, in vana hactenus intentum, ad insitam credulitatem inflexit epularum licentia, et fortè Alexandri imitatio[2] in immane aucta. Furor in amicos,[3] notos et ignotos, multos etiam è littore invitatos,[4] invasit. Pars è summo ponte præcipitati: pars, dum Princeps choros inter et symphonias adnavigaret, demersi; et si qui, licèt lætitiâ amentes, nondum tamen salutis obliti, navium gubernacula aliave apprehenderent, contis remisque in mare detrusi; nemine obsistente, plurimis aliena pericula ridentibus.

16. INSANA gaudia, utì adsolet, occupavit mœror; opibusque penitus accisis, consuetæ artes rediere. Nova et inaudita vectigalia indicta:[5] nec umquam pluribus crimina-

[1] *Nocte gaudia.* Dio, loc. cit.

[2] *Alexandri imitatio.* Alexander, animi impotens, et ebrietate victus in Cliti aliorumque necem ruit. Vide Quint. Curt. VIII. 6.

[3] *Furor in amicos.* Hæc pluribus Dio, loc. cit.

[4] *E littore invitatos.* Sueton. in Caio, XXXII. *Puteolis dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo significavimus, cùm multos è littore invitâsset ad se, repentè omnes præcipitavit. Quosdam gubernacula apprehendentes contis remisque detrusit in mare.*

[5] *Vectigalia indicta.* Nunc, re-

tionibus ac cædibus in pecunias involatum. Multi à senatu, plures à Principe damnati.[1] Et, ne secreta foret sua crudelitas, ipse nomina à se damnatorum in tabulis proposuit; id unum indolens, aut indignans, si quos enecâsset, qui per paupertatem vivere potuissent.[2] Supplicia morte antevenere, ob temerata militiæ munia accusati, Calvisius Sabinus,[3] senatorum præcipuus, è Pannoniâ redux,[4] ejusque uxor Cornelia[5] fortior, quàm melior fœmina. Supremæ necessitati pariter occurrit Titius Rufus,[6] cui datum crimini, quòd senatum "aliter sentire, aliter loqui" dixisset. Ne exilium quidem tutum fuit adversùs efferatum Principem perfugium. Exules enim, vel mortem sibi imprecari, vel tranquillam et

liquoque principatu tot vectigalibus sæviit Caius, ut pro eduliis, pro litibus, pro meretricio, pro lenocinio, pro matrimoniis, aliisque plurimis, quæ apud Suetonium, XL et XLI. videas, esset solvendum. Ac ne quid lucri periret, ea non per publicanos, sed per centuriones exercebat. Inter vectigalia à Caio indicta, speciatim enumerat Suetonius *pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis* quadragesimam *summæ, de quâ litigaretur: ex gerulorum diurnis quæstibus* partem octavam: *ex capturis prostitutarum quantum quæque uno concubitu mereret.* Quod verò omnem fœditatem vicit, Caius, *lupana in palatio constituit*, ibique fœnus exercuit.

[1] *Damnati.* Dio, LIX. p. 654.

[2] *Vivere potuissent.* Ita periit Junius Priscus, prætor, specie quidem aliorum criminum accusatus, sed ob divitias occisus: cujus divitias non tantas fuisse, ut interficeretur, cùm Caius intellexisset, mirabili usus oratione, dixit: Me decepit, frustraque obiit, vivere poterat. Ἰούνιός τί τις Πρεισκὸς στρατηγὸς ἠτιάθη μὲν ὑπ' ἄλλοις τισίν, ἀπέθανε δὲ ὡς πλούσιος· καὶ ὑπ' αὐτοῦ ὁ Γάϊος, μαθὼν ὅτι οὐδὲν ἄξιον τῷ θανάτῳ ἐκέκτητο, θαυμαστὸν λόγον ἐφθέγξατο, εἰπὼν ὅτι, Ἠπάτησέ με, καὶ μάτην ἀπώλετο· ζῆν γὰρ οὐδύνατο. Dio, LIX. p. 654.

[3] *Calvisius Sabinus.* Dio, loc. cit. Calvisius ille idem videtur qui, imperitante Tiberio, majestatis fuit postulatus, et discrimini exemtus, ut dictum est Annal. VI. 9.

[4] *E Pannoniâ redux.* In quâ legati munus obierat. Dio, loc. cit. Tacit. Hist. I. 48.

[5] *Coraelia.* Cornelia, uxor legati, *malâ cupidine visendi situm castrorum, per noctem militari habitu ingressa, cùm vigilias et cetera militiæ munia eâdem lascivîâ temerâsset, in ipsis principiis stuprum ausa, et criminis hujus reus T. Vinius arguebatur.* Tacit. Hist. I. 48. Stuprum non memorat Dio, loc. cit. illud testatur Plutarchus in Galbâ, p. 1057.

[6] *Titius Rufus.* Dio, loc. cit.

philosophiæ studiis haud illætam vitam degere opinatus,[1] misit circùm insulas, qui universos contrucidarent. Hos inter Avillius Flaccus, quem supra memoravi,[2] fœdè obtruncatus est:[3] nam mortis exactoribus obnisus, se vitæ ut sapienter agendæ, ita fortiter amittendæ nescium probavit.

17. Haud vocatus in pœnas, ultro se obtulit Herodes,[4] Galilææ tetrarcha, Herodiadis,[5] impudicæ et superbæ fœminæ, artibus magis, quàm suis, in ruinam tractus.[6] Illa indignè ferens Agrippam fratrem suum, quondam egenum et profugum,[7] nunc ob Principis[8] favorem opibus et

[1] *Opinatus.* Philo in Flac. p. 991.

[2] *Supra memoravi.* In Suppl. Annal. VII. 37 et seq.

[3] *Fœdè obtruncatus est.* Flaccum turpiter fugientem, fœdiùs reluctantem, ac tandem vulneribus confectum exhibet Philo, in Flaccum, p. 991.

[4] *Herodes.* Hic est Herodes Antipas, Herodis I. Magni filius, Galilææ tetrarcha, de quo D. Lucas, III. 1. Habentur ærei ejus nummi indubitatæ fidei, in quibus ex unâ parte in coronâ laureâ TIBERIAC. id est, *Tiberias:* ex alterâ, HPωΔOY TETPAPXOY, in medio palma, cum notâ L AΓ: in aliis L ΛΔ. id est, *Herodis tetrarchæ, Anno* ejus tetrarchiæ *trigesimo tertio*, vel *trigesimo quarto.* Vide Cl. Barthelemy, *Mém. de l'Acad. Roy. des Inscrip.* Vol. XXVI. p. 537. Alius æreus, haud ita certæ antiquitatis, tamen percelebratus nummus circumfertur, hoc anno æræ vulgaris (quam sumus secuti in adsignandis annis, ne tenebræ offunderentur) 39. J. C. 43. cusus. In coronâ laureâ, ΓAIΩ KAICA. ΓEPM. CEB. id est, *Caio Cæsari Germanico Augusto.* In aversâ parte, HPΩΔHC TETPAPXHC, in medio palma, cum notâ, L MΓ. i. e. *Herodes tetrarcha, Anno* ejus tetrarchiæ *quadragesimo tertio.* Vide P. Frœlich, *Notit. Element. Numism. Antiq.* p. 225. et Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, p. 175. Quantum in horum nummorum explicatione Harduinus, *Select. Opera.* p. 331 et seq. erraverit, eruditis omnibus compertum.

[5] *Herodiadis.* Herodias, Aristobuli et Berenices filia, soror Agrippæ I. de quo multa diximus in Supplemento Annal. VII. 11. Virum suum Philippum, Trachonitidis tetrarcham, reliquerat, ut incestas cum ejus fratre Herode Antipâ nuptias jungeret. D. Luc. III. 19. De Herode et Herodiade vide Stem. Herodum, n. 22 et 18.

[6] *In ruinam tractus.* Hæc pluribus narrat Joseph. Antiq. Judaic. XVIII. 7.

[7] *Egenum et profugum.* Agrippa I. imperante Tiberio, opes suas Romæ luxu et ambitione exhauserat. Vide Josephum, *Antiq.* Judaic. XVIII. 6.

[8] *Ob Principis.* Caii Caligulæ. Vide quæ dicta sunt in Suppl. Annal. VII. 11.

nomine regio clarescere, maritum, ad otium, quàm ad gloriam, proniorem, regni cupidine ægrè succendit. Ambo, Romam profecti, ut dignitatis accessionem muneribus emercarentur, Caium, regio luxu littora Campaniæ peragrantem, Baiis reperere.[1]

18. Eo simul venit Fortunatus,[2] ab Agrippâ missus cum literis, quibus Herodem accusabat "societatis cum "Artabano,[3] novarumque rerum, quas, collectis, quibus "septuaginta millia hominum armaret, bellicis instrumentis, "fovebat." Iis à Caio perlectis, Herodem, de armorum multitudine callidè interrogatum, et ex confessione criminis suspectum, tetrarchiâ opibusque exuit, et Lugdunum[4] relegavit: exulis dignitatem opesque, veteris amicitiæ et novæ gratiæ præmium, Agrippæ elargitus. Mox audito Herodiadem ejus sororem esse, suas ei pecunias permisit. At injuriæ regaliter impatiens, "se olim prosperæ, nunc "adversæ mariti fortunæ sociam esse velle" professa est. Tantis animis muliebria vitia redemit, sed libertatem amisit.[5]

19. INTERIM Caius novam criminationis materiem, Principibus semper indecoram, sæpe infœcundam, reperit. Ingeniorum æmulus,[6] nec scriptores tantùm fato functos, vincique faciles, calumniari ausus, superstites exitialiùs

[1] *Reperere.* Joseph. Antiq. Judaic. XVIII. 7.

[2] *Venit Fortunatus.* Joseph. loc. cit.

[3] *Artabano.* Artabano II. Parthorum rege. Vide Canonem regum Parthorum.

[4] *Lugdunum.* Nunc *Lyons.*

[5] *Libertatem amisit.* Ab irato Principe in exilium cum marito acta est: ejusque opes Agrippæ sunt datæ. Joseph. ibid.

[6] *Ingeniorum æmulus,* Sueton. in Caio, XXXIV. *Cogitavit de Homeri carminibus abolendis. Cur enim non sibi licere dicens, quod Platoni licuisset, qui eum è civitate, quam constituebat, ejecerit. Sed Virgilii et Titi Livii scripta et imagines, paulum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoveret: quorum alterum, ut nullius ingenii, minimæque doctrinæ: alterum, ut verbosum in historiâ negligentemque carpebat.*

oderat: duos maximè corripuit, literarum studiis prævalidos; alterum eloquentiæ, alterum philosophiæ simul et oratoriæ artis laude insignem; illum famæ, hunc virtutis avidum. Annæum Senecam,[1] ob orationem ingeniosiùs, quàm par erat, coram invido Principe, habitam, capitis damnatum tutavere modestia, infirma valetudo,[2] minor invidia.[3] Domitium Afrum[4] oppressisset æmulatio, nisi longo usu ad artes plurimas fuisset exercitus.

20. At ab ipso Principe in senatu postulatus, "quòd "Agrippinæ sobrinam[5] accusâsset, et ipsi juvenilem ætatem "consulatibus immaturam[6] exprobrâsset," se ad stuporem admirationemque componit, omnia longæ orationis capita repetit, laudat egregiè; jussusque pro se dicere, dolet, lamentatur, genua Principis advolvitur, "se non imperatoris, "sed oratoris Cæsaris vi insuperabili victum" fatetur. Princeps, vanitate mobilis, deprecantem non modò absolvit, sed consulem destinat; ob invidiam dubium, an propter clementiam magis inridendus.

21. Domitius, eloquentiâ, quàm moribus melior, novam dignitatem statim auspicatus est, magistratu consulibus

[1] *Annæum Senecam.* Hæc Dio, LIX. p. 655.

[2] *Infirma valetudo.* Teste Dione, loc. cit. Caius credidit fœminæ Senecam tabe laborare, nec diuturnam illi fore vitam affirmanti.

[3] *Minor invidia. Levius* enim *comtiusque scribendi genus adeò* contemnebat Caius, *ut Senecam tunc maximè placentem, commissiones meras componere, et arenam esse sine calce diceret.* Sueton. in Caio, LIII.

[4] *Domitium Afrum.* De quo dictum Annal. IV. 52.

[5] *Agrippinæ sobrinam.* Claudiam Pulchram, Agrippinæ, Caii matris, sobrinam. Supra Annal. IV. 52. Fusiùs Dio, LIX. p. 654 et 655.

[6] *Consulatibus immaturam.* Juxta Dionem, LIX. p. 654. Domitius imaginem Caio posuerat cum hâc Inscriptione: CAIVS NATVS ANN. XXVII. COS. II. Cùm lege olim esset vetitum, ne quis consulatum ante annum ætatis suæ XLIII. iniret, tali inscriptione juvenilem et imbellem suam ætatem argui contendebat Princeps.

abrogato,[1] " quòd de Principis natali[2] nihil edixissent, et " Actiacam victoriam solemnibus feriis celebrâssent:" insigni protervitate Caius eos, ob celebritatem feriarum, in Antonium,[3] generis sui, ut ferebat, auctorem, malè animatos arguebat: æquè infensos Augusto judicaturus, si eam omisissent. Quod Consulum alteri ita indignè habitum, ut se ipse interficeret. Eâdem animi inconstantiâ, comitia populo, ut diximus,[4] reddita, ad senatum rursus translata sunt.[5] Turbarum quoque in Africâ formidine,[6] provincia in duas partes divisa: Africa proconsuli, exercitus et Numidia legato tradita.

22. Dum criminationibus mutationibusve ita ludebat Princeps, exteris opibus, nullas jam suppetente Italiâ, increscere avidior, ad Gallias Hispaniamque animum convertit, itinere Germanicæ expeditionis obtentu[7] velato. Tumultuarius, sed immensus, fuit belli apparatus. Excitæ legiones,

[1] *Consulibus abrogato.* Cn. Corbuloni ejusque collegæ, qui Kalendis Juliis suffecti fuerant abrogatus est consulatus, ut rectè observat Cl. Reimarus ad hunc locum Dionis, LIX. p. 655. De Corbulone diximus supra cap. 2. Plura Suetonius in Caio, XXVI. *Consulibus oblitis de natali suo edicere, abrogavit magistratum, luitque per triduum sine summâ potestate respublica.*

[2] *Principis natali.* Natus erat Caius *pridie Kalendas Septembres*, Sueton. in Caio, VIII. Augustus ad Actium vicit die secundo, vel potiùs tertio Septembris: vide Pearium, de Doctrin. Tempor. x. 9. Inde patet, quonam tempore hæc, quæ narramus, fuerint acta. Die autem natali Principum celebrabantur ludi, ut passim videre est in veteribus Kalendariis.

[3] *In Antonium.* Antonius avus erat Caii. Vide Stem. Cæs. n. 31. 42 et 86. Suetonius in Caio, XXIII. *Non contentus hâc Augusti insectatione, Actiacas Siculasque victorias, ut funestas populo Romano et calamitosas, vetuit solemnibus feriis celebrari.*

[4] *Ut diximus.* Supra in Suppl. Annal. VII. 9.

[5] *Rursus translata sunt.* Dio, LIX. p. 655.

[6] *Formidine.* Tacit. Hist. IV. 48. *C. Cæsar, turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam proconsuli legionem, misso in eam rem legato tradidit.* Errat Dio, LIX. p. 656. cùm scribit hæc contigisse sub Pisone, Pisonis et Plancinæ, de quibus dictum est satis Annal. III. 5. filio, Africæ proconsule. In errorem tractus videtur iis, quæ narrantur Hist. IV. 48.

[7] *Germanicæ expeditionis obtentu.* Hæc pluribus Dio, LIX. p. 656.

evocata undique auxilia, delectus acerbissimè acti, contractus omnis generis commeatus, numerosa quoque histrionum, gladiatorum, mulierum, aliorumque id luxûs turba.[1] Ipse iter ingressus, nihil militiæ retinens modò ibat tam festinanter et rapidè, ut prætoriæ cohortes contra morem signa jumentis imponere, et cursim subsequi cogerentur: interdum adeò segniter et delicatè, ut octophoro veheretur,[2] atque à propinquarum urbium plebe verri sibi vias, et conspergi propter pulverem exigeret.[3]

23. Ad bellum, ut ad ludum, profectus, rectà petiit Germaniam superiorem, cui loco Lentuli Gætulici[4] Servium Galbam,[5] obsequio tam egregium, quàm dominationi posteà

[1] *Id luxûs turba.* Dio, loc. cit.

[2] *Octophoro veheretur.* Ut hâc in re Romanorum luxus intelligatur, audiendus Cicero, in Verrem, v. 11. Verrem *nemo umquam in equo sedentem* vidit. *Nam, ut mos fuit Bithyniæ regibus, lectică octophoro ferebatur; in quâ pulvinus erat perlucidus Melitensi rosâ farctus: ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ. Sic confecto itinere, cùm ad aliquod oppidum venerat, eâdem lecticâ usque in cubiculum deferebatur.* Hæc lectica dicebatur octophoros, quòd ab octo hominibus ferretur.

[3] *Propter pulverem exigeret.* Hæc et superiora totidem verbis Suetonius in Caio, xliii. Originem verò Germanicæ expeditionis ita retulit. *Militiam resque bellicas semel attigit* Caius, *neque ex destinato, sed cùm ad visendum nemus, flumenque Clitumni,* nunc *Clituno, Mevaniam,* nunc *Bevagna* in Umbriâ *processisset, admonitus de supplendo numero Batavorum, quos circa se habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit: neque distulit, sed legionibus et auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbissimè actis, contracto et omnis generis commeatu, quanto nunquam antè alius, iter ingressus est.*

[4] *Lentuli Gætulici.* De quo supra Annal. vi. 30.

[5] *Servium Galbam.* Jam memoratum Annal. vi. 15 et 20. Sæpiùs memorandum Hist. i. De ejus præfecturâ Suetonius in Galbâ, vi. *A Caio Cæsare, Gætulico substitutus* Galba, *postridie quàm ad legiones venit, solemni fortè spectaculo plaudentes inhibuit, datâ tesserâ, ut manus pœnulis continerent. Statim per castra jactatum est:*

Disce, miles, militare: Galba est, non
Gætulicus.

Pari severitate interdixit commeatus peti. Veteranum ac tironem militem opere assiduo corroboravit: maturèque barbaris, qui jam in

imparem, præfecerat. Adventûs sui lætitiam intempestivâ severitate, deinde turpiore ignaviâ corrupit. Vix enim castra attigit, statim cum ignominiâ dimittere legatos,[1] qui auxilia seriùs adduxerant: ita recensere exercitum, ut plerisque centurionum maturis, et nonnullis ante paucissimos, quàm consummaturi essent, dies, primos pilos adimeret,[2] senium cujusque et imbecillitatem causatus: ceterorum increpitâ cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad sex millium HS.[3] summam recidere.

24. Mox trajecto apud Mogontiacum[4] Rheno, adversùs Suevos[5] minacissimus contendit. At cùm inter angustias densumque agmen iter essedo faceret,[6] et quemdam dictantem audîsset, "non mediocrem fore consternationem, sicunde hostis appareat," equum illicò ascendit: ac properè versus ad pontes, ut eos calonibus et impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, nec periculi securus,

Galliam usque proruperant, coercitis, præsenti quoque Caio et se et exercitum approbavit, ut inter innumeras contractasque ex omnibus provinciis copias, neque testimonium, neque præmia ampliora ulli perciperent. Ipse magis insignis, quòd campestrem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit.

[1] *Dimittere legatos.* Hæc et sequentia totidem fermè verbis Suetonius in Caio, XLIV.

[2] *Primos pilos adimeret.* Ut eos primipili honoribus et militiæ præmiis fraudaret. De primipilaribus dictum est Annal. II. 11.

[3] *Sex millium HS. Angl.* 50*l.* Teste Dione, LIX. p. 562. Augustus sanxerat militibus post viginti militiæ annos dari duodecim millia sestertiûm, τρισχιλίας δραχμὰς, *Angl.* 100*l.* Perperam in manuscriptis et editis Suetonii libris *sexcentorum millium*, *pro sex millium*, legitur; quod jam monuit Lipsius.

[4] *Mogontiacum.* Nunc *Mayence.*

[5] *Adversùs Suevos.* Eutrop. VII. 7. *Bellum contra Germanos suscepit; et ingressus Sueviam nihil strenuè fecit.* Suevos intellige, non illos interiores, qui Albim inter et Vistulam habitabant, at eos, qui erant Rheno vicini; de quibus dictum Annal. I. 44. Vide et Bucherium, Belg. Roman. IV. 10.

[6] *Iter essedo faceret.* Sueton. in Caio, LI. Essedum erat minor leviorque rheda.

per manus ac supra capita hominum translatus est;[1] virtutis parentum[2] adeò degener.

25. IRATUS fortunæ, gloriæ immodicus, haud ita ancipitem victoriæ materiam quæsivit: quam ut haberet, paucos de custodiâ Germanos trajici occulique trans Rhenum[3] jussit; ac sibi post prandium, quàm tumultuosissimè "adesse "hostem" nuntiari. Quo facto, proripit se cum amicis et parte equitum prætorianorum in proximam sylvam; truncatis arboribus, et in modum tropæorum adornatis, ad lumina reversus,[4] eorum qui secuti non essent timiditatem et ignaviam corripit: comites autem et participes victoriæ donat novo genere ac nomine coronarum, quas, distinctas Solis ac Lunæ siderumque specie, *exploratorias*[5] appellat.

26. IN his victoriæ mimis[6] præter modum intemperans, ne viso quidem hoste, Imperator consalutatur:[7] et quasi

[1] *Translatus est.* Suetonius, loc. cit.

[2] *Virtutis parentum.* Germanici patris, matrisque Agrippinæ, cujus ingentem animum vide Annal. I. 69.

[3] *Occulique trans Rhenum.* Hæc et seq. Sueton. in Caio, XLV.

[4] *Ad lumina reversus.* Ut longos labores mentiretur, fortè et quâdam triumphantis Cæsaris imitatione. Sic enim Julius Cæsar *ascendit Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextrâ atque sinistrâ lychnuchos gestantibus.* Sueton. in Jul. XXXVII.

[5] *Exploratorias.* Plin. XXII. 3. *Corona quidem nulla fuit graminea nobilior, in majestate populi terrarum principis, præmiisque gloriæ. Gemmatæ et aureæ, vallares, murales, rostratæ, civicæ, triumphales post hanc fuere, suntque cunctæ magno intervallo, magnâque differentiâ.* Quanto viliores exploratoriæ!

[6] *Victoriæ mimis. Unâ histrionali victoriâ non contentus, rursus obsides quosdam abductos è literario ludo, clamque præmissos, deserto repentè convivio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit: in hoc quoque mimo præter modum intemperans. Repetitâ cœnâ renuntiantes coactum agmen, sicut erant, loricatos ad discumbendum adhortatus est. Monuit etiam notissimo Virgilii versu: "Durarent, secundisque se rebus servarent."* Sueton. in Caio, XLV.

[7] *Imperator consalutatur.* Dio, LIX. p. 657.

attritâ pube Germanicâ,[1] laureatas literas[2] Romam mittit, questus edicto " senatum populumque Romanum, Cæsare " præliante, et tantis discriminibus objecto, intempestiva con- " vivia, Circum, et theatra, et amœnos secessus celebrare."[3] Quanto minor laudis seges, tanto effusior lætitia. Nec in Urbe tantùm, sed in remotissimis quoque provinciis, Diis et genio Principis supplicatum.[4]

27. HAUD iidem sensus inerant hæc majestatis virtutisque Romanæ probra spectantibus. Apud omnes invalescebat contemtus. Crevit apud nonnullos audacia; sed infelix, Principe in securitatem suam eò magis intento, quò plures dabat offensionum causas. Lentulus Gætulicus,[5] conjura-

[1] *Attritâ pube Germanicâ.* Hâc de re extat insigne Persii testimonium, Romanæ historiæ scriptoribus haud satis diligenter observatum. Sextam enim suam Satyram circa mensem Decembrem hujus anni scripsit, ut patet ex primo versu,

Admovit jam bruma foco te, Basse, Sabino.

Paulò antè venerat laureatus Germanicæ victoriæ nuntius, ut accipimus ex ejusdem satyræ, v. 43 et seq.

O bone, num ignoras: missa est à Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam postibus arma,
Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis,
Lucdaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos,
Diis igitur genioque ducis centum paria, ob res
Egregiè gestas, induco: quis vetat? aude.
Fac, nisi cónnives, oleum artocreasque popello
Largior: an prohibes? dic olarè.

Inde pronum est intelligere ludicræ victoriæ tempus, ficti triumphi apparatum, et imperatæ lætitiæ signa.

[2] *Laureatas literas.* Plin. XV. 30. Laurus *Romanis præcipuè lætitiæ victoriarumque nuntia additur literis, et militum lanceis, pilisque.*

[3] *Celebrare.* Sueton. in Caio, XLV.

[4] *Supplicatum.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1041. testatur Judæos Deo immortali pro victoriâ Germanicâ supplicâsse.

[5] *Lentulus Gætulicus.* De quo supra cap. 23. Dio, LIX. p. 657. In fragmento Fratrum Arvalium, apud Gruterum, p. 117. n. 3. extat memoria sacrificii ob detecta nefaria conjurationum Cn. Lentuli Gætulici.

.....FRATE.....
...ARIS MATRIS...
...MANICI BOVEM ..
...ADFVERVNT. CN. DOMITI...
..VSPERSICVS. C. CAECINA LAR..
AD. VI. K. NOVEMB
...OB. DETECTA. NEFARIA CON..
...VM. CN. LENTVLI. GAE...
...OTHO. FLAM...
...FRATRVM...

tionis suspectus, fortè magis invisus ob popularia studia et legionum amorem,[1] perimitur. Certiorem et metuendam magis, quòd domestica erat, conspirationem iniere Æmilius Lepidus[2] imperii heres jam destinatus,[3] Juliaque et Agrippina,[4] ei adulteriis inligatæ. Gliscebat periculum, quòd Princeps secretarum libidinum societate iis innexus. At pari felicitate nefaria consilia innotuere; punitumque scelus simul ac monstratum. Lepidus morte, Julia et Agrippina exilio multatæ. Cùm in Pontias insulas[5] deportarentur, jussa est Agrippina ossa Lepidi, in urnâ condita, Romam usque in sinu deferre.[6]

28. Nec iis stetit Princeps, vindictæ atrox, suique sanguinis ignominiam parùm veritus. Conjurationis chirographa, fraude ac stupro requisita,[7] divulgavit: scriptisque ad senatum literis, sororum suarum impietatem ac libidines non modò palam accusavit, sed etiam, ne sceleris memoria periret, misit tres gladios in necem suam præparatos, quos sacravit, et inscripsit "Marti ultori." Vetuit quoque "ne "de cujusquam suorum cognatorum honoribus in posterum "ageretur:"[8] Cæsareæ domui adeò immitis, ut quidam prodiderint[9] patruum suum Claudium in Rhenum, sicut vestitus advenerat, ejus jussu fuisse præcipitatum, quòd eum,

[1] *Legionum amorem.* Effusâ clementiâ, modicâ severitate Germanicarum legionum amorem adsecutus erat Lentulus Gætulicus. Supra Annal. VI. 30.

[2] *Æmilius Lepidus.* Drusillæ conjux. Vide Stem. Cæs. n. 54. Ille ipse est quartus Lepidus, de quo Rutilius, *in Itinerario*, I. 395.

Quartus Cæsareo dum vult irrepere regno,
Incæsti pœnam solvit adulterii.

[3] *Heres jam destinatus.* Dio, loc. cit.

[4] *Juliaque et Agrippina.* Caii Sorores. Vide Stem. Cæs. n. 93 et 97.

[5] *In Pontias insulas.* Quarum maxima *the isle Ponza.* Neronem, Caii fratrem, ibi clausum vidimus, Supplement. Annal. V. 13.

[6] *In sinu deferre.* Dio, LIX. p. 657.

[7] *Fraude ac stupro requisita.* Hæc et seq. Suetonius, in Caio XXIV.

[8] *In posterum ageretur.* Dio LIX. p. 657.

[9] *Ut quidam prodiderint.* Suetonius. in Claud. IX.

quasi ad regendum puerum, non ad gratulandum salutem, à senatu missum infremeret. Militibus verò, tamquam hostes devicisset, donativum dedit. Inter hujus anni fœda, post Lolliæ discidium,[1] ducta à Principe uxor Cæsonia,[2] neque facie insignis, neque ætate integra, sed moribus similis, imperiique pestis, si, utì traditum est, amatorio medicamento[3] maritum in furorem impulerit. At inditam naturâ insaniam, duorum pessimorum ingeniorum societate, et principatûs licentiâ crevisse potiùs crediderim. Tigellinus, posteà

[1] *Lolliæ discidium.* De ejus matrimonio dictum supra Suppl. Annal. VII. 35. Ob sterilitatem, aut potiùs ob satietatem, fuisse repudiatam ait Dio, LIX. p. 658. Suetonius, in Caio, XXV. Lolliam *brevi missam fecit, interdicto cujusquam in perpetuum coitu.*

[2] *Cæsonia.* Quam Miloniam Cæsoniam appellat Dio, LIX. p. 658. Pluribus Suetonius, in Caio, XXV. *Cæsoniam neque facie insigni, neque ætate integrâ, matremque ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac lasciviæ perditæ, et ardentiùs et constantiùs amavit, ut sæpe chlamyde peltâque et galeâ ornatam, et juxtà adequitantem, militibus ostenderit, amicis verò etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus est, uno atque eodem die professus, et maritum se ejus, et patrem infantis ex eâ natæ. Infantem Juliam Drusillam appellatam per omnium Dearum templa circumferens, Minervæ gremio imposuit, alendamque et instituendam commendavit. Nec ullo firmiore indicio sui seminis esse credebat, quàm feritatis: quæ illi quoque tanta jam tunc erat, ut infestis digitis ora et oculos simul ludentium infantium incesserit.* Paulo aliter Dio, loc. cit. ait Caium gravidam duxisse Cæsoniam, ut trigesimo die pater ex eâ fieret, *ἵνα αὐτῷ παιδίον τριακονθήμερον τέκῃ.* De Vestiliâ, quæ Cæsoniam genuerat octavo mense, vide Plinium, VII. 5.

[3] *Amatorio medicamento.* Sueton. in Caio, L. *Creditur potionatus à Cæsoniâ uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit.* Expressiùs, acriùsque Juvenalis, VI. 609.

Hic magicos adfert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti,
Et solâ pulsare nates. Quòd desipis, inde est;
Inde animi caligo, et magna oblivio rerum,
Quas modò gessisti: tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit. Quæ non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta, et fractâ compage ruebant,
Non aliter, quàm si fecisset Juno maritum
Insanum. Minùs ergò nocens erit Agrippinæ
Boletus: siquidem unius præcordia pressit
Ille senis, tremulumque caput descendere jussit
In cælum, et longâ manantia labra salivâ.
Hæc poscit ferrum, atque ignes, hæc potio torquet:
Hæc lacerat mixtos equitum cum sanguine patres.
Tanti partus equa, tanti una venefica constat!

in animo et libidinibus Neronis validus, hoc anno ob adulterium Agrippinæ in exilium actus est.[1]

A. U. C. 793. J. C. 40.

29. Caius tertiùm consul,[2] solus magistratum Lugduni iniit; non, ut quidam voluere, soliti facta Principum in pravum interpretari, superbiâ negligentiâve, sed quòd defunctum sub Calendarum diem collegam absens haud rescîsset. Animos verò tantus Principis metus Romæ incesserat, ut prætores,[3] penes quos tum erat auctoritas, nihil ausi, Capitolium cum frequenti senatu Calendis conscenderint; sacrisque peractis, et adoratâ Principis sellâ,[4] argenti vim,[5] quod imperitante Augusto, novâ et obsequii avidâ dominatione, cœptum, velut præsenti obtulerint. Deinde in curiam convenere, à nemine vocati: die totâ celebratæ Caii laudes eò effusiùs, quò acriora erant odia, occultiorque simulatio.[6]

[1] *In exilium actus est.* Dio, loc. cit. De Tigellino plura vide Annal. xiv. 51.

[2] *Tertium consul.* Caius Cæsar Augustus consulatum tertium solus iniit A. U. C. 793. J. C. 40. De hoc consulatu ejusque causâ vide Suetonium in Caio, xvii. Dionem, lix. p. 658. Memoratur quoque in vitâ Agric. cap. 44.

[3] *Ut prætores.* De hoc jure prætorum vide Gellium, xiv. 7. Cicero, Epist. Famil. x. 12. Cornutum memorat, qui, *quòd consules aberant, consulare munus sustinebat more majorum.* Vide quoque quæ dicta sunt supra Hist. iv. 39.

[4] *Principis sellâ.* Positâ in templo cum Principis imagine. Dio, lix. p. 652 et 659.

[5] *Argenti vim.* Strenas Kalendis Januarii ita accepit Augustus, ut dantibus plura elargiretur. Dio, liv. p. 546. Absenti quoque, in Capitolio oblatæ, Sueton. in Aug. lvii. Tiberius, minimè comis Imperator, usum hunc abrogavit, Dio, lvii. p. 607. Caius, majestatis incuriosus, pecuniæ avidus, illum restituit, Sueton. in Caio, xlii. *Edixit et strenas ineunte anno se recepturum, stetitque in vestibulo ædium Kalendis Januariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat.* Claudius iterum sustulit. Dio, lx. p. 668.

[6] *Simulatio.* Dio, lix. p. 659. Ἐπειδὴ γὰρ ὕστερον ἐφίλησεν αὐτὸν, ὅτι σώζεσθαι ἐβούλετο, ἐπὶ πλεῖον ἀμφέσχε, ὡς καὶ τὸ συνιδὸς σφῶν διὰ τοῦτο ἐπιλυγαινόμενοι προεστήσαντο. *Tanto id*

30. TERTIO Nonas[1] communi prætorum edicto coacti patres; votaque nuncupata: at manente formidine, nihil statutum. Audito tandem Principem pridie Idus Januarias[2] dignitate se abdicâsse, consules suffecti magistratum occœpere. Decretum "ut, quibus Augusti, ijsdem Tiberii "Drusillæque natales solemnibus fierent." Dicatæ Caii ac Drusillæ imagines; ludique editi.[3] Cuncta hæc jussu Principis, qui pauca senatui, pleraque consulibus, ut ea in senatu recitarent, scribere erat solitus, actitata.

31. PRÆTER vetera sævitiæ exempla metum Urbis intenderat nuntius Agrippam et Antiochum,[4] Principis assiduos, mentem naturâ efferam ad omnia regnorum Orientis libita incendere.[5] Iis concitoribus, atrox Caii avaritia Galliis incubuit. Animorum tamen offensiones ut declinaret, et præda lætiùs succederet, cœpit miscellos ludos[6] Lugduni edere, compendiariâque spectaculorum varietate Gallos demulcere. Genti quoque olim bellis, tunc literis cum pristinæ virtutis detrimento operanti gratificaturus, certamen Græcæ Latinæque facundiæ[7] proposuit, eâ lege, "ut victi "præmia victoribus conferrent, eorumque laudes compo-

liutiùs per simulationem agentes, ut quoniam neque carum eum habebant, neque salvum cupiebant, sententiam ò suam occultarent.

[1] *Tertio Nonas.* Die tertio Januarii. Dio, loc. cit. Hoc die nuncupabantur vota. Inde in Kalendario Herwartiano, III NON. IANVAR. LVDI. VOTORVM IVNCVPATIO.

[2] *Pridie Idus Januarias.* Die duodecimo Januarii. Dio, loc. cit. Rotundè Suetonius in Caio, XVII. Caius *tertium* consulatum gessit usque *in Idus Januarii.*

[3] *Ludique editi.* Ab orchestræ societate editi sunt. Dio, loc. cit. Οἱ ἐκ τῆς ὀρχήσεως παίγνιόν τι ἐπιτέλεσαν.

[4] *Agrippam et Antiochum.* Agrippam I. qui Philippi, Lysaniæ et Herodis tetrarchias acceperat, ut dictum est supra in Supplement. Annal. VII. 11. VIII. 18. Antiochum IV. regem Commagenæ, de quo quoque supra in Suppl. Annal. VII. 11.

[5] *Incendere.* Dio, LIX. p. 658.

[6] *Miscellos ludos.* Sueton. in Caio, XX. Non unam ludorum speciem, sed ex variis ludorum speciebus compendiariò compositam.

[7] *Græcæ Latinæque facundiæ.* Sueton. in Caio, XX.

" nerent. Si qui verò maximè displicuissent, scripta sua " spongiâ linguâve delere juberentur, nisi ferulis objurgari, " aut flumine proximo [1] mergi maluissent:" gravi quidem pœnâ, leviore tamen, quàm ut ingeniorum audaciam coerceret.

32. MENTIBUS ad inania conversis, probrosam negotiationem,[2] sed lucrosam, instituit. Nec eum puduit damnatarum sororum ornamenta, supellectilem, servos, libertos quoque [3] vendere, cunctis rei novitate, emendi gloriâ, majore emta ostentandi vanitate, licitantibus. Lucro invitatus, quidquid instrumenti veteris aulæ fuerat, ab Urbe repetiit tam immodicè, ut, undequaque comprehensis ad deportandum vehiculis et jumentis, sæpe annona Romæ ingravesceret, et litigatorum plurimi, quòd occurrere absentes ad vadimonium non possent, causâ cadèrent.[4]

33. VENDITIONIS infamiam vicit Principis dedecus. Non tantùm testis, sed præco, ut citiùs cariùsque distraheret, singula venditabat; " hoc patris, hoc matris, hoc avi, hoc " proavi esse: hoc ex Ægypto Antonium, hoc ex Actiacâ " victoriâ Augustum reportâsse" clamitans.[5] Modò lenociniis grassatus, lætari " tam egregia monimenta, tantis " nobilitatibus illustria, ad Gallos, fidam amicamque " gentem, devenire." Modò pœnitentiam simulans, dolere " quòd Principalium rerum privatis copiam faceret."

[1] *Flumine proximo.* Rhodano, *the Rhone*, vel Arari, *the Soane*. Ara enim Augusti, ludis, nummis, scriptoribus celeberrima, ibi posita, ubi Arar Rhodano commiscetur. Formidolosum ejus certamen memorat Juv. I. 43.

Palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

[2] *Probrosam negotiationem.* De quâ vide Suetonium in Cajo, XXXIX. Dionem, LIX. p. 656.

[3] *Libertos quoque.* Perperam in editis Suetonii libris *liberos*. Emendandum *libertos* conjectabam: persuasit antiqua editio manu Illustr. Pellicerii ad fidem veteris et optimi codicis castigata.

[4] *Causâ caderent.* Sueton. loc. cit.

[5] *Clamitans.* Hæc Suetonius et Dio, loc. cit.

Posteà audacior emtores increpare, " quos non puderet " locupletiores esse, quàm Principem." Exinde in omnes divitum fortunas inruere; et quod in miseriâ ultimum est, per inrisionem sævire.[1] Id publico cum luctu expertæ sunt Galliæ, cùm Princeps quondam luderet aleâ, nec pecunia sufficeret, secessit, " Gallorumque census ad se adferri, et " ditissimos necari" jussit: mox ad collusores exsultim regressus, " vos," inquit, " denariis aliquot lusistis; ego " sexies millies nummûm[2] sum lucratus."

34. Nec pœnas plebei effugit Ptolemæus,[3] quem Caius è regno arcessiverat, honorificèque exceperat, ut plurimorum regum comitatu superbiret. At invidia tum illi, tum Mauretaniæ, exitium adtulit. Ingressus enim spectacula, oculos adstantium fulgore purpureæ abollæ[4] fortè converterat. Se unum non aspici cohorruit Princeps. Vestis splendor in crimen capitis[5] statim cessit: nec regio adfini-

[1] *Sævire.* Huc quoque spectat, quod memorat Suetonius, loc. cit. Caius *compererat provincialem locupletem ducenta H S, Angl.* 1333*l.* 13*s.* 4*d. numerâsse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur: nec tulerat molestè tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli ducentis millibus,* (id est, *ducentis millibus sestertiûm*, ut jam diximus,) *traderet: diceretque cœnaturum apud Cæsarem vocatu ipsius.*

[2] *Sexies millies nummûm. Angl.* 5,000,000*l.* Dio, lix. p. 657. Ὑμεῖς πεῤὶ ὀλίγων δραχμῶν ἀγωνίζεσθε, ἐγὼ δὲ εἰς μυρίας καὶ πεντακισχιλίας μυριάδας ἤθροισα.

[3] *Ptolemæus.* Jubæ junioris et Cleopatræ filius, Jubæ senioris nepos, Mauretaniæ rex, vultu pulcherrimo: ejus caput æneum extat Romæ apud Carthusianos. Diadematum hoc caput aureis gemmeisve ornamentis fuit insigne: oculos habet argenteos cum pupulis hyacinthinis; labra aureis bracteis vestita. De Ptolemæi nummis vide Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, p. 56. et Harduinum, *Selecta Opera*, p. 103.

[4] *Abollæ.* Nonius, xiv. 9. *Abolla, vestis militaris.* Videtur Ptolemæus ex luxûs instrumentis gloriam quæsivisse. Citrinam enim ejus mensam, omnium magnitudine amplissimam laudat Plinius, xiii. 15. De hoc luxûs genere dicetur infra in Suppl. Annal. ix. 28.

[5] *In crimen capitis.* Dio, lix. p. 659. Suetonius in Caio, xxxv. *Ptolemæum, arcessitum è regno, et exceptum honorificè, non aliâ de causâ repentè percussit, quàm quòd edente se munus, ingressum spectacula, convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animadver-*

que sanguine[1] satis expiatus, nisi Mauretania in duas divideretur provincias,[2] quæ dominationis Romanæ æquè, ac Principis sævitiam infamarent. Paulo lætior, ob spem meliorum temporum, sors Antiocho[3] et Mithridati[4] obtigit. Ille, semper infidâ malorum Principum amicitiâ minimè tutus, regno orbatus est. Hic ad præsentiam Cæsaris vectus vinctusque, in exilium est projectus.

35. Post has grassationes, deficiente in Galliis rapinarum materie, recruduit militiæ insania, more libidinum, quæ, ubi invaluere, mutantur sæpe, numquam intereunt. Igitur non propagandi imperii studio, sed solitâ levitate, vel vanâ Julii Cæsaris, Britannorum victoris, æmulatione, suscepta expeditio Britannica:[5] ingentique cum exercitu[6]

tit. Pulchros et comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. De Caii calvitie dicetur infra cap. 80.

[1] *Adfinique sanguine.* Inde Suetonius in Caio, XXVI. *Ptolemæum, Jubæ filium* appellat, Caii *consobrinum: erat enim et is M. Antonii ex Selenâ filiâ nepos.* Cleopatra, cognominata *Selene*, id est, *luna*, filia erat Cleopatræ, Ægypti reginæ, et M. Antonii triumviri, qui Caii Caligulæ erat proavus. Vide Stem. Cæs. n. 31. 42. 81 et 86. Nummi plurimi habentur, in quibus REX IVBA. et in aversâ parte ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΒΑCΙΛΙCCA, id est, *Cleopatra regina*, cum crescentis lunæ effigie.

[2] *Provincias.* Plin. v. 1. *Principio terrarum Mauritaniæ appellantur, usque ad C. Cæsarem, Germanici filium, regna, sævitiâ ejus in duas divisæ provincias.* Contra verò Dio, LX. p. 671. ait Mauros à Claudio in duas provincias divisos: unam ad Tingim, alteram ad Cæsaream; unde nomina quoque ambabus indita. Quæ facilè concilies, si, quæ Caius jusserat, Claudium perfecisse dixeris. Vide infra Suppl. Annal. IX. 29.

[3] *Antiocho.* Jam memorato in Suppl. Annal. VII. 11. et VIII. 31.

[4] *Mithridati.* De quo supra Annal. VI. 32. Dio, LX. p. 670. Senec. de Tranquillit. anim. XI. *Scito ergò, omnem conditionem versabilem esse—Ptolemæum Africæ regem, Armeniæ Mithridatem, inter Caianas custodias vidimus. Alter in exilium missus est: alter ut meliori fide mitteretur, optabat.* Posteà Mithridates ad Sauromatas profugit, ut docet Plinius, VI. 5. et in regnum remeavit, ut dictum est Annal. XI. 8.

[5] *Expeditio Britannica.* De quâ Suetonius in Caio, XLIV. Dio, LIX. p. 659. Orosius, VII. 5.

[6] *Ingentique cum exercitu. Ducenta hominum millia, vel ut alii volunt ducenta quinquaginta millia*

Gesoriacum,[1] Morinorum[2] oppidum, unde facilis in insulam trajectus, properatum est. Dux belli Cæsar, quasi unus domandis hostibus haud impar, è portu solvit: mox rediit,[3] recepto in deditionem Adminio,[4] Cunobelini[5] Britannorum[6] regis filio, qui pulsus à patre cum exiguâ manu transfugerat.

36. Exercitu auspiciis læto, superboque gentem, D. Julio petitam, non domitam, triumpho destinari, eadem, quæ anno superiore vidimus, belli et victoriæ ludibria revertere.[7] Nam Princeps, directâ acie in littore Oceani, balistis machinisque dispositis, tribunal conscendit, milites adloquitur: tum insonante classico, stupentibus cunctis, nec opinantibus quid pararet, "conchas legi, galeas et sinus "repleri" jubet: "hæc Oceani spolia Capitolio palatioque

Caius collegerat. Εἴκοσι γὰρ, ὡς δέ τινές φασι, πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας στρατιωτῶν ἤθροισε. Dio, LIX. p. 657.

[1] *Gesoriacum.* Mela, III. 2. *Pertinent ad ultimos Gallicarum gentium Morinos, nec portu quem Gesoriacum vocant, quidquam habent notius.* Nunc *Boulogne, in Picardy.* Vide Bucherium, *Belg. Roman.* IV. 10. Cl. d'Anville, *Notice de l'ancienne Gaule*, p. 353 et seq. Cl. Wastelain, *Description de la Gaule Belgique*, p. 381 et seq. Haud ita probabiliter eruditi scriptores, *Histoire générale des Provinces-Unies*, vol. I. p. 18. opinantur Caium ad Rheni ostium petiisse locum, nunc aquis obrutum. Vide et eruditum Camden, *Britannia, by Gough*, ed. 1806.

[2] *Morinorum.* Morini, nunc *the dioceses of Boulogne, St. Omer and Ipre.*

[3] *Mox rediit.* Dio, LIX. p. 659.

[4] *Adminio.* Sueton. in Caio, XLIV.

[5] *Cunobelini.* Sueton. loc. cit. *Cinobellini.* Orosius, VII. 5. *Minocynobellinum Britannorum regis filium* appellat. At potior veterum nummorum scriptura, in quibus scriptum CVNOBILIN. CVNOBILINE. CVNOBELIN. CVNOBELINE. Hos nummos vide apud eruditum Camden, *Britannia, by Gough*, ed. 1806. Multos addidit Cl. Walker, *Camden's Britannia, by Gibson*, p. 91.

[6] *Britannorum.* Non Britannorum omnium, sed Trinobantum, nunc *Middlesex and Essex.* Ejusque regia Camulodunum, nunc *Colchester.* Unde in nummis Cunobelini sæpe occurrit CAMV. id est, *Camulodunum.*

[7] *Ludibria revertere.* De his ludibriis Sueton. in Caio, XLVI. Dio, LIX. p. 659.

" deberi" dictitans. Exin pronuntiato militi donativo, centenis viritim denariis,[1] quasi omne exemplum liberalitatis supergressus: " abite," inquit, " læti, abite locupletes:" ne gnarus quidem famam parare præmiorum magnitudine.[2]

37. VICTORIÆ tamen imagine eò amentior, quò falsâ magis, veluti traditâ Britanniâ, frænatoque Oceano, magnificas Romam literas misit; monuitque speculatores[3] " ut " vehiculo ad forum usque et curiam pertenderent, nec " nisi in æde Martis, ac frequente senatu, consulibus eas " traderent." Veritus quoque ne expeditionis memoria periret, Gesoriaci altissimam turrem[4] excitavit, quâ, ut ex

[1] *Centenis viritim denariis. Angl.* 3*l.* 6*s.* 8*d.* Cùm donativum ad ducenta millia hominum pertinuisse videatur, data sunt DCCC HS, *Angl.* 666,666*l.* 13*s.* 4*d.*

[2] *Præmiorum magnitudine.* Hæc quanta quanta sint, exigua tamen si veterum imperatorum præmia cogitaveris. Quàm virilis Pompeii liberalitas! *Reipublicæ et quæstoribus, qui oram maris defendissent, datum mille talentûm, Angl.* 2,250,000*l. militibus singulis sena millia sestertiûm, Angl.* 50*l.* Plin. XXXVII. 2. Ut ingenio et fortunâ, sic liberalitate major, Julius Cæsar triumphans Romæ ostentavit 65, 000. talenta, *Angl.* 14,625,000*l.* et coronas aureas 2822. pondo 20,414, *Angl.* 833,333*l.* 6*s.* 8*d.* Quorum summâ mox post triumphum persolvit militi etiam cum auctario quidquid promiserat, militibus quinquies millenas drachmas, *Angl.* 187*l.* 10*s.* duplum centurionibus, *Angl.* 333*l.* 6*s.* 8*d.* tribunis et præfectis alarum quadruplum, *Angl.* 1333*l.* 6*s.* 8*d.* plebi viritim minam Atticam, *Angl.* 3*l.* 6*s.* 8*d.* Hæc quidem Appianus, Bell. Civil. II. p. 491. Sed Græca legas, latinis verò interpretibus diffidas: nonnihil enim peccat Candidus, plurimùm Gelenius. Miror Henricum Stephanum id non advertisse. Sed assiduo usu mihi compertum veteres scriptores ab interpretibus, monetæ inscitiâ, vel computationis negligentiâ, mirum in modum fuisse adulteratos. Donativum plusquàm viginti millibus militum à Cæsare datum patet ex Appiano, Bell. Civil. II. p. 471 et 475.

[3] *Monuitque speculatores.* Sueton. in Caio, XLIV.

[4] *Altissimam turrem.* Quam restauraverat Carolus Magnus, ut testantur Annales Metenses apud Duchesne, *Hist. Francor. Scriptores*, vol. III. p. 295. ad annum 811. Antequàm proximo superiore seculo dirueretur, eam bis annis 1616 et 1624. vidit eruditus Bucherius: Turris fastigium recentioris manûs et operæ (utpote à Carolo M. renovatum) esse animadvertit: *Inferiora, quâ lapidum genere, quâ cæmento et structurâ longè firmiora: longis insuper ac grandibus intrà parietum saxa lateribus terreis atque coctilibus, opere Romano insertis,*

Pharo,[1] noctibus ad regendos navium cursus,[2] ignes emicarent: velatâ publicæ utilitatis obtentu vanitate.

38. MANSURA opprobrii monumenta exstrui dolebant Romani, ridebant Barbari: quos inter Brinno,[3] Canninefas,[4] super ingenitam ferociam ex contumeliæ facilitate arrogans, ducenta hominum millia, insano duce, invalida despicere; infrementibus legatis, frustraque obnitentibus, et, si quid adtentarent ut ignominia, Varianâ clade turpior, propulsaretur, odio statim oppressis. Intereà Princeps alienæ laudis avidus, nec nisi per deridiculum quæsitæ appetens, ob novas, et sicuti anno superiore personatas, velitationes imperatoriis nominibus auctior,[5] cogitationes omnes ad triumphi curam convertebat: ei curæ erat, ut, præter captivos et transfugas barbaros, Galliarum procerissimus quisque,[6] ut Græco vocabulo dicebat "dignus trium-

colligata. Prorsus ut non minimam, quàm Caligulæ ætatem præferre videretur. Erat *octangula, singulaque latera 24 aut 25. pedum; ut totus illius ad solum circuitus pedum simul 192 aut 200. sit. Paulatim desinebat in acumen pyramidisque similitudinem. Medio ferè altitudinis, quaternis dumtaxat lateribus fenestras* habebat. Bucherius, *Belgium Romanum*, IV. 10. p. 145. et P. Wastelain, *Description de la Gaule Belgique*, p. 382.

[1] *Ex Pharo.* Ex Pharo Alexandrinâ, omnium celeberrimâ.

[2] *Navium cursus.* Sueton. in Caio, XLVI. Memoranda quoque Annalium Metensium, supra laudatorum, verba. *Ipse autem Imperator* Carolus, *ad classem videndam, quam præcedenti anno fieri et fabricari jusserat, Bononiam venit; pharumque ibi ad navigantium cursus dirigendos antiquitùs constitutam restauravit, et in ejus summitate nocte ignem accendit.*

[3] *Brinno.* Quem memoratum jam vidimus Hist. IV. 15.

[4] *Canninefas.* De Canninefatibus dictum est supra Annal. IV. 73. Occidentalem Batavorum insulæ partem obtinebant.

[5] *Imperatoriis nominibus auctior. Scptics Imperator, ἐπιθέσεις αὐτοκράτωρ*, appellatus est, teste Dione, LIX. p. 657. Immo juxta Joannem Antiochenum, in Excerpt. Constantini Porphyrogenet. p. 805. Γερμανικὸς καὶ Βρεττανικὸς ἐπεκλήθη. *Germanicus et Britannicus cognominatus est.* Hujus adulationis nullum in nummis extat monumentum. Sed fortè periere. Odio Principis plurimos post Britannicam Claudii victoriam fuisse abolitos rectè observat Cl. Reimarus in notis ad Dionem, LIX. p. 657. LX. p. 679.

[6] *Procerissimus quisque.* Hæc et seq. Sueton. in Caio, XLVII.

" pho,"[1] ac nonnulli ex principibus,[2] injuriæ opportuni, legerentur et ad pompam seponerentur. Cuncti quoque jussi non tantùm rutilare[3] et submittere comam, sed et sermonem Germanicum addiscere, ac nomina barbarica ferre.

39. Ne quid adhuc ad celebritatem deesset, moræ impatiens, et quanto plus portenti, tanto plus gloriæ Principibus accedere stultè opinatus, præcepit triremes, quibus introierat Oceanum, magnâ ex parte itinere terrestri Romam devehi.[4] Scripsit et procuratoribus[5] " triumphum appara-" rent quàm minimâ summâ; sed quantus numquam alius " fuisset:[6] eos in omnium hominum bona jus habere: opes " Principis ad nova discrimina et reipublicæ gloriam reser-" vandas."

40. Nec satis immiti animo, nisi in cædes exardesceret. Visu legionum,[7] quæ patrem suum Germanicum et se infantem olim obsederant,[8] excanduit ejus furor; initoque nefandæ atrocitatis consilio, omnes morti destinat. Ab ipsis tamen crudelitatum instinctoribus præpeditus ne vindictam, tot

[1] *Dignus triumpho.* Sueton. loc. cit. *Et ut ipse dicebat ἀξιοθριάμβευτον.*

[2] *Nonnulli ex principibus.* Ex principibus Gallorum. Hæc enim triumphorum laus maxima, cùm viri fortissimi, principes ac reges traducebantur.

[3] *Rutilare.* Plin. xxviii. 12. *Gallorum hoc inventum rutilandis capillis, ex sevo et cinere. Optimus fagino et caprino, duobus modis, spissus ac liquidus: uterque apud Germanos majore in usu viris quàm fœminis.* Vide infra, de Morib. German. iv.

[4] *Romam devehi.* Sueton. loc. cit.

[5] *Scripsit et procuratoribus.* Sueton. ibid.

[6] *Numquam alius fuisset.* Sueton. ibid. Inde quantum opum fuerit corrasum facilè æstimabis, si tertium triumphum, quem M. Pisone, M. Messalâ consulibus, A. U. C. 693. Pompeius egit, cogitaveris. Vide quæ de hoc triumpho retulimus supra. Et certè in Pompeio minus fuit luxuriæ, quàm in Caio, *qui super omnia muliebria, socculos inducbat è margaritis.* Plin. xxxvii. 2.

[7] *Legionum.* Legionum Germaniæ inferioris.

[8] *Olim obsederant.* De his supra Annal. i. 41.

fortissimorum virorum virtute difficilem, et ob barbaros undique erupturos fatalem, susciperet, inhiberi nullo potuit modo quin decimare velle perseveraret.[1] Vocatos itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis depositis, equitatu armato circumsedit. Sed cùm videret, suspectâ re, plerosque dilabi ad resumenda, si qua vis fieret, arma, profugit concione,[2] confestimque Urbem petiit, ut ad crudelitatem, ita ad ignaviam præceps.

41. HAUD fracta obice, sed ob moras gravior, irarum moles in senatum ruit. Et quò insolentiores præteritorum dedecorum rumores metuebantur, eò acriùs certatum ut nobilioribus odiis majoribusque atrocitatibus obruerentur. Inde minæ et questus[3] "patres infensos Principi, ejus discriminibus lætatos, nunc ejus gloriæ invidere: provinciis in venerationem ac cœlestes religiones certatim properantibus, se à senatu meritis triumphi honoribus fraudari: at tandem domesticorum hostium sanguine suam gloriam remque publicam ulturum."

42. HÆC Romæ tanto tristiùs accepta, quòd ipse paulo antè "ne quid de suis honoribus ageretur," etiam sub mortis pœnâ denuntiâsset.[4] Quid facerent omitterentve ambigui, censuere Principem adiri à legatis amplissimi ordinis, qui "ut maturaret" orarent. Iis inclementer exceptis, "veniam," quàm maximâ voce respondit, "veniam, et hic mecum:"[5] capulum gladii, quo cinctus erat, crebrò verberans. Exin terrorem popularitate intendens, edixit "reverti se, sed iis tantùm qui optarent, equestri ordini et populo: nam se neque civem, neque principem senatui ampliùs fore: vetare etiam ne quis senatoriæ

[1] *Perseveraret.* Sueton. in Caio, XLVIII.

[2] *Profugit concione.* Sueton. ibid.

[3] *Minæ et questus.* De quibus Dio, LIX. p. 660. Sueton. in Caio, XLVIII.

[4] *Sub mortis pœnâ denuntiâsset.* Sueton. loc. cit.

[5] *Et hic mecum.* Sueton. in Caio, XLIX.

" dignitatis sibi occurreret." Omisso dilatove triumpho ovans Urbem natali suo ingressus est;[1] et, ut studia vulg pararet, nummos non mediocris summæ è fastigio basilicæ Juliæ per aliquot dies sparsit in plebem:[2] haud expers liberalitatis, ubi ad sævitiam et libidinem utilis.

43. VERUM præter animo conceptas irarum causas, novas adtulit conjuratio[3] ab Anicio Cereali prodita. Cujus auctorem Sextum Papinium, consulari patre ortum, unum plecti haud satis visum. Is, ut ad facinus, ita ad facinoris pœnas obduratus, cùm silentii firmus taceret, rogatus est quos vellet verè aut falsò socios appellaret:[4] spesque salutis ac impunitatis oblata. Seu quos dixerit, seu quos voluerit Princeps,[5] fuerint suppositi, Betilienus Bassus, quæstor et procuratoris filius, senatores quoque, et equites Romani corripiuntur. Nec vita Papinio permissa, sed exquisitis tormentis enectus est.[6]

44. DEIN Princeps non quæstionis, sed animi causâ, ceteros flagellis cecidit, fidiculis, tabularibus, equuleo,

[1] *Natali suo ingressus est.* Sueton. loc. cit. Caium natum esse pridie Kalendas Septembres jam diximus supra cap. 21. Et in fragmento veteris Kalendarii apud Gruterum, p. 134. notatum: PRID. KAL. SEPTEMBR. NATALIS C. CAESARIS GERMANICI.

[2] *Sparsit in plebem.* Sueton. in Caio, XXXVII. Dio, LIX. p. 660. Ii sunt sanè nummi, de quibus agit MS. codex Vindobonensis, quem edidimus supra. *De basilicâ Juliâ sparsit aureos et argenteos in quâ rapinâ perierunt homines* $\overline{XXXII}$. *CCXLVII.* Observavimus emendandum, *sparsit aureos et argenteos* $\overline{XXXII}$. (id est, *aureorum et argenteorum triginta duo millia,*) *in quâ rapinâ perierunt homines CCXLVII.* Tot autem perire potuisse minimè mirum, siquidem in tumultu Circensi fuerint *elisi viginti ampliùs equites Romani, totidem matronæ, super innumeram turbam.* Sueton. in Caio, XXVI.

[3] *Conjuratio.* Hujus meminit Tacitus Annal. XVI. 17. Zonaras quoque vol. I. p. 557. sed multis erroribus fœdatus, quos egregiè confutavit Cl. Reimarus in notis ad Dionem, LIX. p. 660.

[4] *Appellaret.* Zonaras, loc. cit.

[5] *Seu quos voluerit Princeps.* Unde Seneca, de Irâ, III. 18. *C. Cæsar Sextum Papinium, cui pater erat consularis, Betilienum Bassum, quæstorem suum, procuratoris sui filium, alios senatores et equites Romanos uno die flagellis cecidit, torsit, non quæstionis, sed animi causâ.*

[6] *Enectus est.* Zonaras, loc. cit.

igne, vultu suo[1] torsit, id unum præcavens ne citò perirent.[2] Gemitus quoque, una patientis ac perituri ominis solatia, invidens; fortè etiam liberiores voces, quas extremus dolor, nec ad nova supplicia superstes, mitteret, reveritus, os insertâ spongiâ includi,[3] et cùm spongiæ non invenirentur, scindi vestimenta miserorum, et in os farciri pannos imperavit: occluso exituræ animæ loco, in ultimum spiritum sævire gestiens.

45. Nec expleta diurnis tormentis cruenta cupiditas: nocte continuata, ne qua esset voluptatis intermissio.[4] Igitur in xysto[5] maternorum hortorum,[6] qui porticum à ripâ separat, inambulans, quosdam ex illis cum matronis atque aliis senatoribus ad lucernam decollavit.[7] Feralem scenam excepit atrox consilium. Patres enim occisorum eâdem nocte, dimissis per domos centurionibus, confecit,[8] ne sævitiæ exprobratores vivere pateretur.

46. Tot inter mortes casuum similitudine haud memorandas una extitit insignior. Jussus enim Capito[9] filii sui

[1] *Igne, vultu suo.* Seneca, de Irâ, III. 19.

[2] *Citò perirent.* Sueton. in Caio, XXX. *Non temerè in quemquam, nisi crebris et minutis ictibus, animadverti passus est: perpetuo notoque jam præcepto; ita feri, ut se mori sentiat.*

[3] *Insertâ spongiâ includi.* Senec. loc. cit.

[4] *Intermissio.* Senec. de Irâ, III. 18.

[5] *In xysto.* Xystus ambulatio erat ante porticum arboribus ad apricandum consita. Sic Plinio erat in suo Laurentino *ante cryptoporticum xystus violis odoratus.* Plin. Ep. II. 17.

[6] *Maternorum hortorum.* Hortor Agrippinæ, qui erant in Vaticano, prope ripam Tiberis, ut docet Donatus, *de Urbe Româ*, III. 23.

[7] *Ad lucernam decollavit.* Senec. loc. cit.

[8] *Confecit.* Senec. de Irâ, III. 20. *Adjicere his longum est, quod patres quoque occisorum eâdem nocte, dimissis per domos centurionibus, confecit: id est, homo misericors luctu liberavit. Non enim Caii sævitiæ, sed iræ malum propositum est describere.*

[9] *Jussus enim Capito.* Dio, LIX. p. 660. ait Capitonem Cassii Betillini patrem fuisse. Hujus quoque cædis generatim meminit Suetonius in Caio, XXVII. *Parentes supplicio filiorum interesse cogebat.*

cædi interesse, et "num clausis oculis adesse liceret" interrogans, statim mortis damnatus est. Jam supplicio proximus, se ex conjuratis unum esse simulavit, indicium professus.[1] At lætitiam, novâ occidendorum spe gliscentem, citò repressit, cùm auctores ducesque conjurationis appellaret Principis libidinum ministros, Urbis prætoriarumque cohortium præfectos, Callistum[2] ex libertis carissimum, ipsamque Caii uxorem Cæsoniam. Libertas, mendacio corrupta, nihil patriæ profuit: Capitoni promtum ac durum vitæ exitum adtulit.

47. PRINCEPS verò, quem conscientia, scelerum testis et vindex, vel sævissimis tyrannis formidata, angore ac solicitudine lancinat, omnia suspecta habere, nemini credere, omnes metuere: modò indignatione amens, furere, unamque optare populo Romano cervicem,[3] ut scelera sua, tot locis ac temporibus diducta, in unum ictum, et unum diem cogeret: modò ignaviâ imbellis, desperare, mortem quærere, Urbi ac prætorio præfectos, Callistumque arcessere, miserabiliter adloqui:[4] "unus sum, tres estis: ego "nudus, vos armati: si me odistis, si vitam petitis, occi- "dite."

48. HIS auditis, perterriti fidem renovant, tuta omnia adseverant; at mentem non firmant metu invalidam. Veteribus vitiis superstitibus, novis in dies adventitiis, gliscit formido, nec erubescit Princeps vel ipsâ in Urbe cinctus gladio prodire:[5] et, quò nihil inconsultius, ad securitatem

[1] *Indicium professus.* Zonaras, vol. I. p. 557.

[2] *Callistum.* De quo diximus Annal. XI. 38.

[3] *Cervicem.* Hæc et seq. totidem fermè verbis Seneca, de Irâ, III. 19. ubi adversùs Caii ferociam acriter intonat.

[4] *Miserabiliter adloqui.* Zonaras, vol. I. p. 557. τὰς ὑπαίχους τι καὶ Καλλίστου προσκαλεσάμενος. Εἰς εἰμὶ, ἔφη, τρεῖς δὲ ὑμεῖς, καὶ γυμνὸς μὲν ἐγὼ, ὡπλισμένοι δὲ ὑμεῖς. Εἰ ὦ μισεῖτε με, καὶ ἀποκτείναι θέλετε, φονεύσατε.

[5] *Cinctus gladio prodire.* Zonaras, loc. cit.

viâ inimicitiarum grassatur; amicosque, qui mutuis inter se odiis dissideant, adsciscit.[1] Id quidem, prævalidâ, nec improbâ dominatione, quandòque utiliùs quàm gloriosiùs, usurpatum, invisis verò Principibus perniciem semper intulit. Ipsa namque discordia scelerum feracior est, quàm concordia.

49. INTERIM senatus, luctu tot cæsorum mœstus, dolebat adhuc quosdam senatores vivere Principi odiosos; animumque iræ pervicacem, et ob moras omnium internecioni imminentem, formidabat.[2] Terroris anceps, gratiam dedecore redemit. Cùm enim Protogenes,[3] præcipuus Caianæ sævitiæ satelles, in curiam esset ingressus, ac singuli salutem et dextram ei porrigerent, ille Scribonium Proculum torvè intuitus;[4] "quid tu," inquit, "hostis publicè, me "salutas?" Statim Proculus à senatoribus correptus,[5] graphiis confossus et laceratus. Ejus membra, artus, et viscera, tracta per vicos, ubi ante se congesta vidit Caius,

[1] *Adsciscit.* Zonaras, vol. I. p. 557. Συνέβαλεν αὐτοὺς ἀλλήλοις ὅπως μὴ συμφωνῶσι, κατὰ μόνας ἑκάστῳ ὡς πιστοτάτῳ διαλεγόμενος περὶ τῶν λοιπῶν, μέχρις οὗ συνέντες τὸ ἐπιχείρημα, προήκαντο αὐτὸν τοῖς ἐπιβουλεύουσι. *Eos invicem commisit, ne consentirent, cum unoquoque tamquam fidissimo de ceteris colloquens, donec ejus consilio perspecto, eum insidiatoribus condonârunt.*

[2] *Imminentem, formidabat.* Zonaras, loc. cit.

[3] *Protogenes.* De quo Dio, LIX. p. 660. Ἦν δέ τις Πρωτογένης πρὸς πάντα αὐτῷ τὰ καλεπώτατα ὑπηρετῶν, ὥστε καὶ βιβλία ἀεὶ δύο περιφέρειν, καὶ αὐτῶν τὸ μὲν, ξίφος, τὸ δὲ, ἐγχειρίδιον ὀνομάζειν. *Fuit quidam Caii in omnibus atrocissimis rebus administer, nomine Protogenes, solitus libellos semper duos circumferre, gladii ac pugionis titulis insignitos.* De his quoque libellis Suetonius in Caio, XLIX. *In secretis ejus,* Caii, *reperti sunt duo libelli diverso titulo: alteri* GLADIUS, *alteri* PUGIO, *index erat. Ambo notas et nomina continebant morti destinatorum.*

[4] *Torvè intuitus.* Dio, loc. cit.

[5] *A senatoribus correptus.* Dio, ibid. Omisso nomine, Sueton. in Caio, XXVIII. *Cùm discerpi senatorem concupisset, subornavit qui ingredientem curiam, repentè hostem publicum appellantes, invaderent, graphiisque confossum lacerandum ceteris traderent. Nec antè satiatus est, quàm membra et artus et viscera hominis tracta per vicos, atque ante se congesta vidisset.*

se amicum senatûs[1] professus est; infamiam turpi, sed dignâ tali Principe, benevolentiâ rependens.

50. PATRES, ne in eo probrorum certamine vincerentur, decrevere "ludos;[2] Caïique sedes, quotiens in curiam "veniret, in editissimo tribunali collocaretur, omnibus "invia, militarique cincta præsidio: ante ejus statuas age- "rentur excubiæ." Quæ suspicioso Principi adeò placuere, ut et gratiam cum senatu firmaret, et opes promitteret.[3] Maximum placati animi argumentum fuit Pomponius.[4] Ab amico majestatis postulatus, absolutus est; et fœmina amicitiâ incertum an stupro[5] ei inligata, quòd excruciata gravissimis tormentis, nihil esset confessa, præmiis donatur.

51. QUO rariora his temporibus clementiæ exempla, eò fuere celebratiora. "Caium humanarum virtutum fasti- "gium esse supergressum" omnes clamitant: multi "inter "Heroas adscribendum" censent: plures numen ejus venerantur, et "Deum esse" pronuntiant.[6] Princeps, qui

[1] *Se amicum senatûs.* Dio ibid.

[2] *Decrevere ludos.* Hæc ceteraque Dio, LIX. p. 660.

[3] *Opes promitteret.* Dio ibid.

[4] *Pomponius.* Idem, ut videtur, ac Pomponius Secundus, de quo dictum est Annal. v. 8. et in not. Suppl. Annal. VII. 8. Ejus vitam scripserat Plinius, retuleratque cœnam, quam hoc anno, fortè ut gratias ageret, Caio Principi dedit Pomponius: ibi ministratum vinum, L. Opimio consule, A. U. C. 633. id est, 160. annis antè signatum, cujus singulæ unciæ nongentis sexaginta nummis, *Angl.* 8*l.* 6*s.* 8*d.* constabant. Pretium verò amphoræ 922,660. HS. *Angl.* 768*l.* 16*s.* 8*d.* Plin. XIV. 5. Amphora *pintas* Parisienses 28. continebat. Non mirum ergò singulas uncias, seu exiguum scyphum, valuisse 186. Hæc autem ut à nostris usibus aliena, ita incredibilia videntur. At iis fidem facit Polonia, ubi, ut audivi à nobilibus Polonis, vinum Hungaricum per sexaginta, immo per centum et ampliùs annos, adservatur; maximo tunc pretio, et quod ad Romani hujus vini valorem accedat, quantum patitur utriusque imperii fortuna.

[5] *Incertum an stupro.* Ambigua enim apud Dionem, loc. cit. vox, τὴν ἑταίραν αὐτῆ. Prorsus diversam esse à muliere libertinâ, de quâ dictum supra in Suppl. Annal. VII. 14. ex nomine temporumque ratione patet.

[6] *Deum esse pronuntiant.* Dio, loc. cit. Τῶν μὲν, ἥρωα, τῶν δὲ, θεὸν

sub anni superioris finem ad eam divinitatis insaniam, suâ vanitate, an regum orientis æmulatu hortatuve, in provinciis erat delapsus, id dignitatis Romæ obtinere gestiit; seque, quem verenda Principum majestas non satis tuebatur, divinitatis famâ defensum iri speravit: haud memor numen immortale vel negatis honoribus valescere; iis verò vel maximis evilescere mortales Deos.

52. GRANDE igitur, at lubricum, cœpit divinitatis rudimentum ponere. Se ad omnes Deorum nutus, habitus, formas fingit: ne sexûs quidem reverens, Deas æquè ac Deos, senes, juvenes, cœlestes, terrestres, aquatiles, omnes refert, totumque cœlum in se uno complectitur. Exin palatio Cæsarum Deum hospitem coarctari ratus, domo suâ urbem cingit;[1] et æde Castoris ac Pollucis[2] in vestibulum transfiguratâ,[3] hos inter medius sæpe consistit, seque adorandum adeuntibus exhibet.

53. QUOD tamen in hâc stultitiâ stupendum, humanitatis aliquid retinuit; Jovem enim æmulatus, cùm aliquandò oracula funderet, sutoremque Gallum ridentem aspiceret, eum interrogavit, "quisnam tibi videor?" "magnum deli-

ἀνακαλούντων, δεινῶς ἐξεφρόνησεν. *Aliis eum heroem, aliis Deum vocantibus, vehementi insaniâ correptus est.* Vide et Philonem, Legat. ad Caium, p. 1002 et 1003. Suetonium in Caio, XXII.

[1] *Urbem cingit.* Domum, quæ suâ magnitudine erat urbi par, exstruit. Plin. XXXVI. 15. Sect. 24. n. 5. *Sed eas omnes duæ domus vicerunt. Bis vidimus urbem totam cingi Caii et Neronis, et hujus quidem (ne quid deesset) aureâ. Nimirum sic habitârunt illi, qui hoc imperium fecere, tantas ad vincendas gentes triumphosque referendos ab aratro aut foco exeuntes, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quàm sellariæ istorum.* Immensæ Caii domûs pars maxima in monte Palatino fuit.

[2] *Æde Castoris ac Pollucis.* Ædes illa fuit in foro Romano, inter Capitolinum et Palatinum montes. Manent adhuc tres ejus columnæ prope ecclesiam sanctæ Mariæ Liberatricis.

[3] *In vestibulum transfiguratâ.* Sueton. in Caio, XXII. Rudera hujus vestibuli, quæ adhuc extant, exhibet Cl. Piranesi, *Antichità Romane*, vol. I. Tab. 33. n. 1.

"ramentum,"[1] respondit sutor: Libertatem veritas simul et hominis ignobilitas impunem fecere. Argutior L. Vitellius,[2] antè consilio et artibus egregius, tum servitio et adulatione princeps.[3] Percunctante enim Caio "an Lunam "cum ipso congressam videret;"[4] ille, demissis oculis, tremulâ voce, ac venerabundus, insusurrat "vobis solis, "domine, Diis datum, invicem vos intueri." Quo responso, ut olim ceteros oblatis divinitatis honoribus antevenerat, ita, licèt ambiguè adsertis, favore in posterum vicit.

54. At novum numen, paucis beneficum, plurimis grave, inauditis vectigalibus, turpioribusque artibus, divino nomine præscripto tremendis, in omnium fortunas grassatur. Sacra ipsa, vulgò opum fœcunda, in pauperiem tum cessere. Jovem enim Latialem[5] se dictitans, posuit templum numini suo proprium; et præter excogitatissimas hostias

[1] *Magnum deliramentum.* Ipsa sutoris verba servata voluit Dio, LIX. p. 660 et 661. Ὁ δὲ Γάϊος ἐκάλεσέ τι αὐτὸν, καὶ ἀνήρετο, τί σοὶ δοκῶ εἶναι; καὶ ὃς ἀπεκρίνατο (ἐρῶ γὰρ αὐτὸ τὸ λεχθὲν) ὅτι, Μέγα παραλήρημα· καὶ οὐδὲν μέντοι δεινὸν ἔπαθε· σκυτοτόμος γὰρ ἦν. *Eum Caius vocatum percunctatus est, quidnam ipsi esse videretur. Magnum, respondit ille, (ipsa enim ejus verba apponam) deliramentum. Idque impune tulit, quòd esset sutor.*

[2] *L. Vitellius.* De quo supra Annal. VI. 32.

[3] *Adulatione princeps.* Sueton. in Vitellio, II. L. Vitellius *miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorari ut Deum instituit, cùm reversus ex Syriâ non aliter adire ausus esset, quàm capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens.*

[4] *Congressam videret.* Dio, LIX. p. 661. Καί ποτε τοῦ Γαΐου συγγίνεσθαί τε τῇ Σελήνῃ λέγοντος, καὶ ἐρωτήσαντος αὐτὸν, εἰ ὁρῴη τὴν θεὸν συνοῦσαν αὐτῷ, κάτω τε, ὡς καὶ τεθηπὼς, ἔβλεπεν, ὑποτρέμων· καὶ σμικρόν τι φθογξάμενος· Ὑμῖν (ἔφη) τοῖς θεοῖς, δέσποτα, μόνοις ἀλλήλους ὁρᾷν ἔξεστι. *Aliquandò Caius rem sibi esse cum Lunâ dixit, percunctatusque est Vitellium, vidissetne Deam cum ipso congredientem: tum Vitellius, quasi attonitus, oculis in terram demissis, tremens, exili voce: Solis, inquit, domine, vobis Diis licet invicem videre.*

[5] *Jovem enim Latialem.* Sueton. in Caio, XXII.

phœnicopteros,[1] pavones, tetraonas,[2] numidicas, meleagridas, phasianas, quæ generatim per singulos dies immolarentur, sacerdotes instituit Claudium patruum, et locupletissimos quosque, qui singuli sacerdotia centies sestertiûm[3] emerent. Ipse sui sacerdos uxorem Cæsoniam, equumque suum *Incitatum* in collegium cooptavit:[4] numine ac cultu pariter inridendus; sed sorte lætus, quòd super auri acervos volutaretur.[5] Has tamen inter delicias haud deferbuit furor. Immo tum placuit hominum fortunæ vitæque inludere. Gratias enim Principi agere cogebantur, et quorum bona ablata, et quorum liberi occisi. In hâc promiscuâ pereuntium turbâ, quæ, quotidianum sacrum, novo numini

[1] *Phœnicopteros.* Hanc avem ceterasque, raritate et pretio commendabiles, memorat Suetonius, loc. cit. Lautiores inter cibos annumeratur Juvènal. XI. 139.

——— *Phœnicopterus ingens.*

Genus avis, inquit vetus Scholiastes, *quæ habet pennas colore Phœnicio. In aquâ semper est: abundans in Africâ. Hujus rostrum tam prolixum est et curvum, ut, nisi merso capite, aqua in os ipsius non possit intrare.* Vide Gesnerum, de Avibus, p. 662.

[2] *Tetraonas.* Plin. X. 22. sect. 29. *Decet tetraonas suus nitor, absolutaque nigritia, in superciliis cocci rubor. Alterum eorum genus vulturum magnitudinem excedit, quorum et colorem reddit. Nec ulla ales, excepto struthiocamelo, majus corpore implens pondus, in tantum aucta, ut in terrâ quoque immobilis prehendatur. Gignunt eos Alpes, et Septentrionalis regio. In aviariis saporem perdunt. Moriuntur contumaciâ, spiritu revocato.* Tetraones vulgò, *the buzzing pheasant.*

[3] *Centies sestertiûm. Angl.* 83,333*l.* 6*s.* 8*d.* Dio, LIX. p. 662. Suetonius quoque in Caio, XXII. *Magisteria sacerdotii ditissimus quisque et ambitione et licitatione maximâ vicibus comparabant.* De pretio tamen paulo aliter idem Suetonius in Claud. IX. *Postremò etiam sestertiûm octogies. Angl.* 66,666*l.* 13*s.* 4*d. pro introitu novi sacerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris angustias decidit, ut cùm obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoriâ venalis penderit sub edicto præfectorum.*

[4] *Cooptavit.* De Cæsoniâ et equo sacerdotibus vide Dionem, loc. cit.

[5] *Volutaretur.* Sueton. in Caio, XLII. *Novissimè contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, sæpe super immensos aureorum acervos patentissimo diffusos loco, et nudis pedibus spatiatus, et toto corpore aliquandiu volutatus est.* Cùm ad eam opum insaniam venit, Romæ et in Italiâ plus fuisse auri et argenti, quàm in toto orbe, docet Philo, Legat. ad Caium, p. 1007. Ἐν Ῥώμῃ καὶ τῇ ἄλλῃ Ἰταλίᾳ, πᾶς

cadebat, vitæ hilaritate, mortis constantiâ Canus Julius[1] præcipuam laudem tulit.

55. Nec Caius Diis, quàm hominibus, æquior extitit: eos modò probris et inrisionibus[2] lacessebat: modò aris

οἷς (πλυσίοις) ἄργυρος καὶ χρυσὸς τεθησαύρισται τοσοῦτος, ὥστε εἰ σύμπασαι ὁ ἐξ ἁπάσης τῆς ἄλλης οἰκουμένης. Hæc rhetoricè magis, quàm verè, dicta. Maximæ quidem erant imperii Romani opes, quæ, ut mos regnorum, totæ Romam et in Italiam deferebantur. Sed majores adhuc opes Parthorum, Indorum, ceterarumque gentium, si universè accipiantur.

[1] *Canus Julius.* Quem effusè laudat Seneca, *de Tranquillitate animi*, XIV. *Canus Julius, vir inprimis magnus, cujus admirationi ne hoc quidem obstat, quòd nostro seculo natus est, cum Caio diu altercatus, postquàm abeunti Falaris ille dixit: Ne fortè ineptâ spe tibi blandiaris, duci te jussi: Gratias, inquit, ago, optime Princeps. Quid senserit, dubito: multa enim occurrunt mihi. Contumeliosus esse voluit, et ostendere quanta crudelitas esset, in quâ mors beneficium erat? An exprobavit illi quotidianam dementiam? agebant enim gratias, et quorum occisi liberi, et quorum bona ablata erant. An tamquam libertatem libenter accepit? Quidquid est, magno animo respondit. Dicet aliquis: Potuit post hæc jubere illum Caius vivere. Non timuit hoc Canus: nota erat Caii in talibus imperiis fides. Credisne illum, decem medios usque ad supplicium dies, sine ullâ solicitudine exegisse? verisimile non est, quæ vir illè dixerit, quàm in tranquillo fuerit. Ludebat latrunculis, cùm centurio, agmen perituroruni trahens, illum quoque excitari jubet. Vocatus numeravit calculos, et sodali suo Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. Tum annuens centurioni: Testis, inquit, eris, uno me antecedere. Lusisse tu Canum illâ tabulâ putas? illusit. Tristes erant amici, talem amissuri virum. Quid mœsti, inquit, estis? Vos quæritis, an immortales animæ sint: ego jam sciam: nec desiit in ipso veritatem fine scrutari, et ex morte suâ quæstionem habere. Prosequebatur illum philosophus suus: nec jam procul erat tumulus, in quo Cæsari Deo nostro fiebat quotidianum sacrum. Quid, inquit, Cane, nunc cogitas? aut quæ tibi mens est? Observare inquit Canus, proposui illo velocissimo momento, an sensurus sit animus, exire se: promisitque si quid explorâsset, circumiturum amicos, et indicaturum quis esset animarum status. Ecce in mediâ tempestate tranquillitas: ecce animus æternitate dignus, qui fatum suum in argumentum veri vocat: qui in ultimo illo gradu positus, exeuntem animum percunctatur: nec ueque ad mortem tantùm, sed aliquid etiam ex ipsâ morte discit. Nemo diutiùs philosophatus: sed non raptim relinquetur magnus vir, et cum curâ dicendus: dabimus te in omnem memoriam, clarissimum caput, Caianæ cladis magna portio.*

[2] *Probris et inrisionibus.* Quas vide apud Suet. in Caio, XXII.

deturbabat, et in templi sui famulitium vocabat:[1] modò truncabat capite, ut suum imponeret. Laudatissimis quibusque potissimùm infensus, marmoreum Cupidinem, Praxitelis opus, Thespiis sustulit:[2] ipsum Jovem Olympium, Phidiæ[3] et artis miraculum, rapturus, nisi Memmius Regulus,[4] portento dolove territus, abstinuisset. Nec mirum muta simulacra ab eo sperni, qui tonantem Jovem[5] ad pugnam vocaret, et vincere præsumeret.

56. Hæc inter vesanæ mentis deliria, Romam advenerant Judæorum Alexandrinorum legati,[6] duce Philone, diserti magis quàm subacti ingenii homine. Querebantur,[7]

[1] *Vocabat.* Suet. loc. cit. *Dato negotio, ut simulacra numinum religione et arte præclara, inter quæ Olympii Jovis apportarentur è Græciâ, quibus capite demto suum imponeret.*

[2] *Thespiis sustulit.* Pausanias IX. Bœotic. 27. docet Cupidinem illum à Caio fuisse Thespiis sublatum, à Claudio redditum, à Nerone iterum Romam reportatum, ubi igne consumtus est. Illum memorat Plinius, XXXVI. 5. n. 5. *Ejusdem* Praxitelis *est et Cupido objectus à Cicerone Verri*, Cic. in Verrem, IV. 2. *ille propter quem Thespiæ visebantur, nunc in Octaviæ scholis positus.*

[3] *Phidiæ.* Plin. XXXIV. 8. *Ante omnes Phidias Atheniensis, Jove Olympiæ facto, ex ebore quidem et auro.* Dei sedentis effigiem et ornamenta fusè descripsit Pausanias, V. Eliac. prior. II.

[4] *Nisi Memmius Regulus.* Teste Josepho, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 1. Architecti Memmio Regulo dixere, infractum iri simulacrum, si loco moveretur. Addit ab aliis dici Memmium incredibilibus miraculis deterritum fuisse. *Λέγεται δὲ τὸν Μέμμιον διὰ ταῦτα, καὶ σημεῖον μειζόνων γεγενημένων, ἢ ὡς ἂν τινα πιστὰ ἡγεῖσθαι, ὑπερδεδιέναι τὴν ἀναίρεσιν.*

[5] *Tonantem Jovem.* Pluribus Seneca de Irâ, I. 16. *C. Cæsar, iratus cœlo quòd obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosiùs quàm spectabat, quòdque comessatio sua fulminibus terreretur, prorsus parùm certis, ad pugnam vocavit Jovem, et quidem sine missione, Homericum illum exclamans versum, ἢ μ' ἀνδιῇ, ἢ ἐγώ σε. Quanta dementia fuit? putavit, aut sibi noceri ne à Jove quidem posse, aut se nocere etiam Jovi posse. Non puto parùm momenti hanc ejus vocem ad incitandum conjuratorum animos addidisse. Ultimæ enim patientiæ visum est eum ferre, qui Jovem non ferret.* De conjuratione dicemus infra cap. LXVIII. et seq.

[6] *Judæorum Alexandrinorum legati.* Hanc Judæorum legationem fusè descripsit Philo in libro, cui titulum fecit, de Legatione ad Caium, p. 992 et seq.

[7] *Querebantur.* De his querelis vide Philonem, Legat. ad Caium, p. 1008 et seq.

" gentem, unius, immortalis, et rerum omnium effectoris, " Dei religioni addictam opprimi: adeuntа sibi civium jura:[1] " sacra violari: proseuchas[2] fœdis mortalium Deorum " imaginibus deturpari." In hos luctus eò magis effusi, quòd nihil religione carius et intolerantius, genusque Judæorum sit querula, novas et acriores mœstitiæ causas Puteolis, quò Principem, locorum atque libidinum incertum, erant insecuti,[3] accepere.

57. SCILICET " Jamneam[4] urbem exoticis sacris à Capi- " tone, Principis quæstore,[5] profanatam:[6] ejusdem artibus, " nefariisque Heliconis et Apellis, quos supra memoravi,[7] " consiliis sacrosanctum Hierosolymæ templum sibi periisse: " P. Petronium,[8] Syriæ præsidem, cum exercitu missum, " ut inauratum NOVI IOVIS INLVSTRIS CAII[9] colossum " in sacro adyto[10] reponat, vel totam gentem perditum eat: " sacrilegum opus Sidone deproperari:[11] " sacerdotes et opti- " mates, ut ad impietatem consentiant, evocari: desertas

[1] *Civium jura.* Civium Alexandrinorum jura, quæ quadringentos ante annos obtinuerant. Philo, Legat. ad Caium, p. 1040.

[2] *Proseuchas.* Quid sint proseuchæ jam diximus supra in Suppl. Annal. VII. 38.

[3] *Erant insecuti.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1018. Ἀφίγμεθα μὲν γὰρ ἀπὸ Ῥώμης εἰς Δικαιάρχειαν ἀναπολισθέντες Γαΐῳ. *Veneramus Româ Putcolos, Caium secuti.* De Puteolis, *Pozzuolo*, sæpe dictum est.

[4] *Jamneam.* Urbem, tribûs Dan in Palæstinâ, prope Joppen. Nunc appellatur *Zania.*

[5] *Principis quæstore.* Exigendis tributis in Judæâ præerat.

[6] *Profanatam.* Hæc lacrymosè describit Philo, Legat. ad Caium, p. 1020 et 1021.

[7] *Supra memoravi.* In Suppl. Annal. VII. 27.

[8] *P. Petronium.* In nummo, ex ære mediocri, anno sequenti cuso, TI. CLAVDIVS AVG. GER. IMP. capite laureato. Ex adversâ parte in coronâ, ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. q. *Sub Petronio*, Syriæ præside, *Antiochensium*, anno 90. æræ Cæsarianæ. Vide Harduinum, *Select. Opera*, p. 22 et 633. Petronius Vitellio in Syriæ præfecturâ successerat. Philo, Legat. ad Caium, p. 1025.

[9] *Inlustris Caii.* Διὸς ἐπιφανοῦς υἱὸς Γαΐου. Philo, Legat. ad Caium, p. 1019 et 1040.

[10] *In sacro adyto.* Hierosolymitani templi.

[11] *Sidone deproperari.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1024. Sidon, urbs Phœniciæ, hodie *Seyde.*

" Judæorum urbes, vacuas domos, omnes in Phœniciam " venisse,[1] ut Petronium, virum minimè atrocem, sed " displicere Principi verentem, ad miserationem gentis, " ultro in preces, et, si fuerint inritæ, in pericula et mortes " ruentis, flecterent: si foret pereundum, id solatii saltem " habituros, quòd peregrinâ in terrâ, inviolato adhuc " templo, occumberent."

58. LEGATI, his rebus auditis, dolore victi et muti corruunt,[2] necdum quantum periculi immineret gnari. Petronius enim, tot miserorum aspectu et precibus mollitus, literas, pietatem inter et obsequium ambiguas, ad Principem miserat:[3] " lentas operas: sed non intutas moras: religio- " nes tempore potiùs, quàm vi gliscere: Judæos sacris suis " pervicaciùs adstrictos; si festinaretur, fortè ægrorum " vitæque oblitos, in sui perniciem sponte ituros, cum " summo Principis detrimento, qui sanè per has regiones " meditatum in Ægyptum iter faceret."[4] Caius, ob suspiciones perspicax, divinos honores à Judæis negari et Petronium connivere introspexit.[5] Veritus tamen exercitûs defectionem, modestè rescripsit;[6] laudatâque Petronii prudentiâ, hortatus est " ut collectis jam frugibus, nullo- " que instante periculo, operas urgeret, et debitas Principi " religiones adsereret."

[1] *In Phœniciam venisse.* Philo, loc. cit. Eos in sex ordines distributos, seniorum, juniorum, puerorum, rursum aliâ parte anuum, mulierum, virginum, venisse testatur idem Philo, Legat. ad Caium, p. 1025. Εἰς τάξεις δὲ ἓξ διανεμήθησαν, πρεσβυτῶν, νέων, παίδων, πάλιν ὑ μέρει πρεσβυτίδων, γυναικῶν τῶν ὑ ἡλικίᾳ, παρθένων.

[2] *Muti corruunt.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1019.

[3] *Ad Principem miserat.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1027.

[4] *Faceret.* Ut Alexandriam veniret, et in urbe, quâ nulla alia ad adulationem projectior, quàm maximis divinitatis honoribus mactaretur. Philo, Legat. ad Caium, p. 1028 et 1029.

[5] *Introspexit.* Philo, loc. cit.

[6] *Modestè rescripsit.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1029.

59. INTERIM rex Agrippa,[1] Petronii literarum nesciu Caium salutatum venit. Vultu ejus obnubilo et iras recoi dente primùm territus,[2] mox auditis exprobrationibu " gentem suam rebellem esse, Principi ejusque numi " infensam," ita diriguit,[3] ut exanimus domum suam fuer reportatus. Postero die animis viribusque paululum recr atis, longas, supplicum more, literas misit Principi :[4] quarun libertate excusatâ, profitebatur " se amore patriæ succen " sum, avis proavisque regibus simul et summis pontifici " bus[5] natum, Dei altissimi templum semper veneratum, " pro se, pro patriâ, pro suâ gente clementiam pietatem " que Principis exorare."

60. " MEMINISSET avorum suorum Agrippæ et Tiberii,[6] " Augusti proavi,[7] proaviæ Juliæ :[8] omnes Judæorum reli- " gioni favisse : Agrippam,[9] cùm Hierosolymæ versabatur, " singulis diebus sacrosanctum templum adiisse, verendam- " que ejus majestatem, et sacrorum sanctitatem admiratum, " illud donis exornâsse : Tiberium ne voluisse quidem[10] " auratos clypeos, nullâ imagine, sed titulo tantùm insig-

[1] *Rex Agrippa.* De quo supra in Suppl. Annal. VII. 37. Ex regno redux, Caium salutatum veniebat.

[2] *Primùm territus.* Philo, loc. cit.

[3] *Ita diriguit.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1030.

[4] *Literas misit Principi.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1031.

[5] *Summis pontificibus.* Philo, loc. cit. Πάππων δὲ καὶ προγόνων βασιλέων ἔλαχον, ὧν οἱ πλείους ἐλέγοντο ἀρχιερεῖς. *Avos proavosque reges habuit quorum plures fuere summi pontifices.*

[6] *Agrippæ et Tiberii.* Tiberius avus Caii ob adoptionem Germanici. Avus quoque M. Agrippa ob Agrippinam, Caii matrem. Vide Stem. Cæs. n. 47 et 51.

[7] *Augusti proavi.* Ob Tiberium ab Augusto, Germanicum à Tiberio adoptatum.

[8] *Juliæ.* Liviæ, Augusti uxoris, in familiam Juliam adsumtæ, ut dictum est Annal. I. 8.

[9] *Agrippam.* Avum Caii, de quo mox dictum est. Ejus pietatem, animumque Judæis amicum commendant Philo, Legat. ad Caium, p. 1032 et 1033. Josephus, Antiq. Judaic. XVI. 2 et 3.

[10] *Ne voluisse quidem.* Hæc pluribus Philo, loc. cit. p. 1033.

" nes,[1] sibi in Herodis[2] regiâ à Pilato[3] dicatos, in urbe " sanctâ manere, sed Cæsaream[4] transferri jussisse: Augus- " tum non modò permisisse Judæis,[5] ut ubique terrarum " patrios cœtus celebrarent, et stipes[6] Hierosolymam " mitterent; at ipsum quoque imperâsse, ut suis impensis " victimæ[7] singulis diebus summo Deo[8] æternùm litaren- " tur: Juliam Augustam,[9] maritæ pietatis æmulam, aureas " phialas,[10] calices, aliaque plurima et pretiosissima donaria " missitâsse."

61. " IGITUR suppliciter obtestari, ut Princeps, majori- " bus suis virtute haud impar, par quoque sit in Judæos " benevolentiâ." Memorabat " accepta à Caio beneficia; " rupta vincula;[11] data regna:[12] at hæc vana, hæc exitiosa

[1] *Titulo tantùm insignes.* Cùm vetitæ essent Judæis imagines, positus tantùm clypeis titulus, qui nomen dedicantis, et ejus cui dedicabatur, continebat. Ἦ (ἐπιγραφὴ) δύο ταῦτα ἐμήνυε τόν τε ἀναθέντα, δὲ ὑπὲρ οὗ ἡ ἀνάθεσις. Philo, Legat. ad Caium, p. 1034. De clypeorum usu diximus supra Ann. II. 83.

[2] *Herodis.* Herodis I et magni.

[3] *A Pilato.* Judææ procuratore.

[4] *Cæsaream.* Cæsaream maritimam, tum Judææ caput; de quâ Plinius, v. 13. *Stratonis turris, eadem Cæsarea, ab Herode rege* in honorem Augusti *condita,* pòst dicta *colonia prima Flavia, à Vespasiano Imperatore deducta.* Manet adhuc nomen *Cæsarea.*

[5] *Permisisse Judæis.* Philo, loc. cit.

[6] *Stipes.* Judæi non modò Hierosolymis pecunias pro sacrificiis, pro templo erogabant, sed undique terrarum Hierosolymam mittebant. Collectas etiam pro pauperibus factas memorat D. Paulus, I Cor. XVI. I. Vide et Josephum, Antiq. Judaic. XVI. 6. Sed hâc de re diximus satis supra.

[7] *Victimæ.* Taurus et agni duo, ut scribit Philo, Legat. ad Caium, p. 1036.

[8] *Summo Deo.* Ὑψίστῳ Θεῷ. Philo, loc. cit.

[9] *Juliam Augustam.* Liviam, Augusti uxorem.

[10] *Aureas phialas.* Sic aurea inter donaria, à Seleuco Callinico in templum Apollinis Didymæi missa, recensetur *phiala caryota Bonæ Fortunæ una. Pondus drachmæ ducentæ quadraginta septem,* non numeratis operis sumtibus. Φιάλη καρυώτη Ἀγαθῆς Τυχῆς μία. Ὁλκὴ δραχμαὶ διακόσιαι τεσσαράκοντα ἑπτά. Chishull, *Antiquit. Asiatic.* p. 69. Missa quoque à rege Prusiâ phiala, pondere æquans drachmas Alexandrinas trecentas. Vide eumdem eruditum Chishull, p. 91.

[11] *Rupta vincula.* Ut dictum supra in Suppl. Annal. VII. 11.

[12] *Data regna.* Vide Suppl. loc. cit. et Annal. VIII. 18.

" esse, si templum violaretur, si convelleretur religio. " Reposcere se priorem servitutem, aut potiùs mortem, " cùm vivere non possit, nisi Caio adnuente; nec velit, " nisi probante Deo, et inviolato templo." [1]

62. VETUS amicitia, eâque imperiosior libertas Principem mollivit, nec tamen à cœptis penitus avertit: scripsit quidem ad Petronium " ne quid in templo novaret."[2] At simul imperabat " ut extra Hierosolymam aras, templa sibi " suisque ponere cuivis liceret. Si quis obstaret, statim " plecti, aut ad se mitti." Urbe talibus impietatis et dissensionum munimentis vallatâ, indulgentiæ eum adhuc pœnituit; jussitque[3] " ære aurato colossum Romæ fieri," qui, clanculùm Hierosolymam transvectus, in templo dicaretur, cùm per eam urbem, Ægyptum petiturus, iter faceret.[4]

63. IIS dispositis, legati Judæorum Alexandrinorum ad inrisionem magis, quàm ad orandam causam, admissi. Quod paulo fusiùs referre haud pigebit, ut inlustri exemplo quæ fuerit hujus principatûs ratio, noscatur. Caius, in Mæcenatis Lamiæque hortis[5] diversatus, præceperat " villas " omnes recludi; se eas inspecturum." Ibi legatos excepit:[6] cernui " Augustum Imperatorem" salutavere: quos ille indignabundo vultu respectans, " nonne vos," inquit, " qui me, probatum totius orbis confessione et veneratione,

[1] *Inviolato templo.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1037.

[2] *In templo novaret.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1038.

[3] *Jussitque.* Philo, loc. cit.

[4] *Iter faceret.* De hoc itinere in Ægyptum diximus supra cap. 58.

[5] *In Mæcenatis Lamiæque hortis.* In Esquiliis extra urbem fuere Mæcenatis et Lamiæ horti, et contigui. Vide et Donatum de Urbe Româ, III. 23. Lamiam laudat Horatius Od. III. 17. De hortis Mæcenatis jam dictum supra Annal. XV. 39.

[6] *Ibi legatos excepit.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1040.

"Deum negatis, et numen ne nomine quidem notum [1] coli-
"tis?" Dein protensis ad cœlum manibus, impia vocife-
ratus est, horrentibus Judæis; Alexandrinorum verò turbâ
"Caium Deum, Jovem, Deos omnes, unum esse" inge-
minante.[2]

64. INTERIM criminabatur Isidorus [3] "reliquos terrarum
'populos præter Judæos pro salute Principis sacrificâsse."
Hi accusationis indignitatem aversati, exclamant [4] "se inju-
'riis peti; terque, pro auspiciis imperii, restitutâ Cæsaris
'sanitate, victoriâque Germanicâ, hecatombas,[5] non truncas,
'utì apud ceteras gentes moris est, sed integras, sacro
'igne adolevisse." Haud mitior Caius eos "alii, non sibi,
'sacrificâsse" queritur: [6] moxque obambulans, aulas, œcos,
gynæcea, tabulata omnia inspectare; hæc probare; illa
damnare; alia mutata velle, adsectantibus inter adversa-
riorum contumelias Judæis: quos subitò affatus, "cur,"
inquit, "sue abstinetis?" [7] Rident plauduntque Alexan-

[1] *Ne nomine quidem notum.* Τὸν ἀκατονόμαστον. Philo, Legat. ad Caium, p. 1041. Calumniæ causâ, quòd Judæi nomen Dei יהוה, *Jehova*, ineffabile esse dicerent. Inde ampla adversùs Judæos calumniarum materies.

[2] *Ingeminante.* Philo, loc. cit. Τὰς τῶν θεῶν ἁπάντων ἐπωνυμίας ἐπεφήμιζον αὐτῷ.

[3] *Criminabatur Isidorus.* Philo, ibid.

[4] *Exclamant.* Philo, ibid.

[5] *Hecatombas.* Philo, ibid. Ἑκατόμβας ἐθύσαμεν. Ita dictæ sunt à centum bobus in his sacrificiis immolari solitis. Sic Màrius pugnaturus Diis vovit immolaturum se centum boves, ἠύξατο τοῖς θεοῖς κατὰ ἑκατόμβης, Plutarch. in Mario, p. 420. Non solos tamen boves in hecatombis fuisse immolatos accipimus ex Capitolino in Maxim. et Balb. XI. *Hecatombe autem tale sacrificium est: centum aræ uno in loco cespititiæ exstruuntur, et ad eas centum sues, centum oves mactantur. Jam, si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, et cetera hujusmodi animalia centena feriuntur.*

[6] *Queritur.* Philo, ibid. Ἔστω, φησὶ, ταῦτα ἀληθῆ τεθύκατε, ἀλλ' ἑτέρῳ, δὲ οὐχ ὑπὲρ ἐμοῦ. *Esto: hæc vera sint. Certè alii, non mihi sacrificâstis.*

[7] *Cur sue abstinetis.* Id Judæis lege vetitum, Levitic. XI. 7. Deuteronom. XIV. 8. Causam autem legis ita explicat eruditus Mead, *Medica sacra*, p. 7. *Fœdis in summâ pelle ulcerationibus ab omni ævo quàm maximè patuerunt Hebræorum corpora, unde carnis suillæ esu illis*

drini: patrios ritus excusant Judæi:[1] jocatur Princeps;[2] statimque ad seria transgressus, "quid juris in urbe Alexan-"driâ petant" interrogat.

65. Illi meditatam orationem, quâ jura per quadringentos annos[3] valida probarent, cœperant, cùm properè fugit, amplissimamque aulam pererrans, jubet "fenestras "vitro candido,[4] specularibus lapidibus haud absimili, "occludi." Exin ad Judæos lentè regressus, "quid "dicant" quærit. Dicta summatim repetentibus, subitò evadit in ædem, quam veteribus picturis[5] exornabat. Denique reversus, nec ita ferox, sed commiserans, "proh "miseros," inquit, "et imbecillos magis quàm malos, qui "me Dei naturæ participem esse haud intelligitis."[6] Hæc locutus, abiit; jussique legati recedere:[7] Principis futilitate inritati,[8] læti tamen quòd jam non causæ tantùm, sed vitæ etiam diffiderent.

interdictum fuisse putant eruditi: quippe quæ crassum et ægrè perspirabile nutrimentum sanguini subministrans, istiusmodi corporis constitutionibus minimè convenit.

[1] *Excusant Judæi.* Alios nempe aliis gentibus mores esse; ipsis Alexandrinis usu quarumdam rerum esse interdictum: multos etiam reperiri, qui ne agninâ quidem vescerentur. Philo, Legat. ad Caium, p. 1042.

[2] *Jocatur Princeps.* Et agninas carnes insuaves esse respondet. Philo, ibid.

[3] *Quadringentos annos.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1040. Ergò tempore Philippi, Macedonum regis, ante conditam urbem ab Alexandro Magno, cùm locus adhuc Rhacotes nominabatur, huc venerant Judæi. De urbe Alexandriâ vide Plinium, v. 9.

[4] *Vitro candido.* Philo, Legat ad Caium, p. 1042. Περιελθὼν προστάττει τὰς ἐν κύκλῳ θυρίδας ἀναληφθῆναι τοῖς ὑάλῳ λευκῇ διαφανέσι παραπλησίως λίθοις, οἳ τὸ μὲν φῶς οὐκ ἐμποδίζουσιν, ἄνεμον δὲ εἴργουσι καὶ τὸν ἀφ' ἡλίου φλογμόν. *Obambulans jussit circumquaque fenestras claudi vitro candido, simili specularibus lapidibus, quibus lux admittitur, ventus et sol excluditur.*

[5] *Veteribus picturis.* Ex Græciâ, cujus spoliata templa, advectis. Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1.

[6] *Haud intelligitis.* Philo, loc. cit.

[7] *Recedere.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1043.

[8] *Inritati.* Tunc Judæi arma sumsere: quem motum Cæsaris mors diremit; ut vidimus supra Hist. v. 9.

66. Sub anni finem Apelles[1] malarum artium pœnas luit; vinctusque ferreis compedibus,[2] et rotâ tortus per lierum intervalla, ut diu suppliciis sufficeret, quantum olim ad luxuriæ incitamenta, tantum ad crudelitatis ludibria valuit: haud raro, at semper infirmo exemplo. Validiùs enim ad scelus impellit præsentis fortunæ inlecebra, quàm retrahit futuræ infamiæ formido. Eodem anno Pontius Pilatus,[3] Viennam[4] biennio antè relegatus, vitam pristinæ dignitatis memoriâ, conscientiâ scelerum, mœroris impatientiâ tristem ipse finivit.

A. U. C. 794. J. C. 41.

67. Caius Cæsar IV. et Sentius Saturninus infaustis auspiciis consulatum iniere.[5] Sacrificanti enim Cæsari Calendis Januariis jecur victimæ defuit.[6] Alia quoque vulgata prodigia,[7] potiùs tædio principatûs, quam rei veritate. Haud siluerim tamen, quod Plinius,[8] egregius naturæ

[1] *Apelles.* De quo supra cap. 57.

[2] *Ferreis compedibus.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1021 et 1022.

[3] *Pontius Pilatus.* Procurator Judææ, de quo diximus in Suppl. Annal. v. 8. De ejus morte Euseb. in Chronic. *Pontius Pilatus, incidens in multas calamitates, propriâ se manu interfecit. Scribunt Romanorum historici.* Orosius, VII. 5. *Pilatus autem præses, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, postquàm plurimas seditiones in Hierosolymis excepit ac fecit, tantis irrogante Caio angoribus coarctatus est, ut suâ se transverberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit.*

[4] *Viennam.* Nunc *Vienne, in Dauphiné.* Adeo in Chronic. Eruditus Chorier, *Histoire générale de Dauphiné,* VI. Sect. 11. perperam existimat Pilatum in Judæâ occubuisse.

[5] *Consulatum iniere.* Caius Cæsar Augustus IV. et Cn. Sentius Saturninus consules fuere A. U. C. 791. J. C. 41.

[6] *Jecur victimæ defuit.* Plin. XI. 37. Sect. 73. jecur defuit *Caio Principe Kalendis Januariis, cùm iniret consulatum, quo anno interfectus est.*

[7] *Prodigia.* Quæ vide apud Suetonium, in Caio, LVII.

[8] *Quod Plinius.* Plin. XXXII. 1. *Heu vanitas humana, cùm rostra illa, ære ferroque ad ictus armata, semipedalis inhibere possit, ac tenere devincta, pisciculus! Fertur Actiaco Marte tenuisse prætoriam navim Antonii, properantis circumire et exhortari suos, donec*

scriptor retulit. Nec vera tantùm, sed tradita quoque nobilibus auctoribus, etsi minùs verisimilia, memorare debet Annalium conditor. Igitur cùm ab Asturâ [1] Antium renavigaret Princeps, fertur, totâ classe proficiente, ejus quinqueremem solam restitisse. Cunctis demirantibus quid quadringentorum remigum officio intercederet, exsiliere qui id circa navim quærerent: invenere echeneidem, gubernaculo adhærentem, Caioque ostenderunt. Indignationem, quòd eum semipedalis pisciculus remoraretur, excepit admiratio, cùm, qui adhærens ita tenuisset, in navigium receptus nihil polleret.

68. At hæc leviora, quàm ut atrocem adverterent Principem, qui quantùm ceteri prosperis, tantùm adversis inhiabat: solitus temporum suorum calamitatem dolere,[2] quòd fame, peste, exercituum cladibus, urbium incendiis, regionum subversionibus, utì superioribus principatibus

transiret in aliam. Ideoque Cæsariana classis impetu majore protinus venit. Tenuit et nostrâ memoriâ Caii Principis ab Asturâ Antium renavigantis: ut res est etiam auspicalis pisciculus. Si quidem novissimè tum in Urbem reversus ille Imperator, suis telis confossus est. Nec longa fuit illius moræ admiratio, statim causâ intellectâ, cùm è totâ classe quinqueremis sola non proficeret, exsilientibus protinus qui id quærerent circa navim, invenere adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Caio, indignanti hoc fuisse quod te revocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet. Constabat peculiariter miratum quomodò adhærens tenuisset, nec idem polleret in navigium receptus. Qui tunc posteàque vidêre, eum limaci magnæ similem esse dicunt. De echeneide vide Aldovrandum, de Piscibus, III. 22. p. 335 et seq. Maria autem nunc navibus plena, nec ullis umquam impedita echeneidibus, satis evincunt falsa esse, quæ hâc de re veteres prodidere.

[1] *Asturâ.* Plin. III. 5 et 6. *Astura, flumen et insula, in Antiano* sinu. Hodieque *Torre d'Astura* nominatur prope Terracinam.

[2] *Calamitatem dolere.* Sueton. in Caio, XXXI. *Queri etiam palam de conditione temporum suorum solebat; quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur. Augusti principatum clade Variană: Tiberii, ruinâ spectaculorum apud Fidenas, memorabilem factum: sui oblivionem imminere prosperitate rerum. Atque idemtidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat.*

contigerat, non nobilitarentur. Verùm quæ populis precabatur mala, in ipsum, Urbem regressum, vertêre. Nefandum facinus diversis incitamentis susceptum.[1] In illud ruit Æmilius Regulus, Cordubensis,[2] odio Principis: Annius Minucianus, ut Lepidum ulcisceretur,[3] sibique imminens discrimen propulsaret: Cassius Chærea, vir antiquis moribus et austeris, quibus, ut ad bonum nihil melius, ita ad malum nihil audacius, propter spretam suam virtutem[4] ipsamque Caii benevolentiam infensior.

69. SINGULI, quoscumque noverant dominatione offensos, socios deligere, non ut periculum declinarent, sed ut societate valescerent. Omnium acerrimus Chærea,[5] prætorianorum tribunus, singula observare: Principis libidines, sacrorum arcana, vectigalium immanitatem, populi luctus, suasmet injurias, cùm ob humanitatem et in exigendis vectigalibus moderationem à Principe, qui virilia omnia exuerat, ut muliebria ostentaret, mollitiei argueretur, et,

[1] *Susceptum.* De hâc conjuratione ejusque auctoribus et causis, vide Josephum, Antiq. Judaic. XIX. 1.

[2] *Cordubensis.* Plin. III. 1. *Corduba, colonia patricia.*

[3] *Lepidum ulcisceretur.* De Lepido dictum est supra cap. 27.

[4] *Spretam suam virtutem.* Suet. in Caio, LVI. *Primas sibi partes Cassius Chærea, tribunus cohortis prætoriæ, depoposcit: quem Caius seniorem jam, ut mollem et effœminatum denotare omni probro consuerat: et modò, signum petenti, Priapum aut Venerem dare: modò, ex aliquâ causâ agenti gratias, osculandam manum offerre, formatam commotamque in obscœnum modum.* Has quoque injurias, et quidem atrociùs, memorat Seneca, *de Constantiâ sapientis*, XVIII. *Chæreæ, tribuno militum, sermo non pro manu erat, languidus sono, et infractâ voce suspectior. Huic Caius signum petenti, modò Veneris, modò Priapi dabat; aliter atque aliter exprobrans armato mollitiam. Hæc ipse*, Caius, *perlucidus, crepidatus, armillatus. Coegit itaque illum uti ferro, ne sæpiùs signum peteret. Ille primus inter conjuratos manum sustulit: ille cervicem mediam uno ictu decidit: plurimum deinde undique publicas ac privatas injurias ulciscentium gladiorum ingestum est. Sed primus vir fuit, qui minimè visus est.* Principes ignoscere, punire decet: cavillari, convitiari semper dedecet, plerumque pœnitet, ut rectè monet Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XII. 38.

[5] *Chærea.* Cassius Chærea, de quo plura Josephus, loc. cit. Dio, LIX. p. 662.

quoties signum petebat, Veneris, Cupidinis, Priapive semper acciperet, in crimina, causasque cædis exaggerare: ad facinus adscitos, laudibus, exemplis accendere.

70. Ejus consilia fermè oppressit casus.[1] Quidam enim Timidius[2] Pompedium, senatorem, gestis magistratibus insignem, tum Epicureæ scholæ placitis in otia resolutum, conjurationi tamen innexum, quasi probrosis sermonibus Principem inlusisset, majestatis arcessivit; petiitque ut Quintilia, theatricis operis, venali pulchritudine, et Pompedii aliorumque plurimorum amoribus famosa, per tormenta interrogaretur. Adnuit Caius; ac ne quid suppliciorum acerbitati deesset, jussus Chærea eam quæstioni subjicere, in tormenta eò magis duraturus, quò toties objecta mollitiei crimina magis odisset.

71. His vulgatis, ingens fuit conjuratorum metus. Multi, ut quid sibi sperandum formidandumve intelligerent, Quintiliam, cùm ad supplicia ducebatur, invisêre. Illa, supra fortissimorum virorum animos erecta, unius è conjuratis pedem pede pressit, nutuque oculorum se silentii firmam, et adversùm tormenta invictam fore ostendit. Chærea, grandem animam nactus, tanto acerbiùs sæviit, quòd hâc viâ promtiùs certiùsque ad Principis perniciem properari persentisceret. Exin Quintiliam, defecto corpore, sed excelsâ mente immotam, ad Caium perduxit; quam ubi vidit, miserans, Pompedium absolvit, Quintiliam, in doloris levamen, amissæque formæ solatium, pecuniâ donavit.

72. At Chærea, periculo violentâque crudelitate atrox, Papinium tribunum, Clementem,[3] prætorianorum præfec-

[1] *Oppressit casus.* Quem casum fusè memorat Josephus, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 5.

[2] *Timidius.* Josephus, loc. cit. Τιμίδιος.

[3] *Clementem.* Fortè filium Julii Clementis, de quo supra Annal. L. 23.

tum, adit;[1] atque in hunc modum adloquitur:[2] "Hactenus "Principis securitati insudavimus: ejus vitæ insidiatores "ferro necavimus, aut tormentis adeò inclementer excru- "ciavimus, ut hominum teterrimo miseratio moveretur. "Hæccine, hæcne tota militiæ nostræ ratio?" Erubuit Clemens, vultu quantum dominationis puderet prodente, at siluit ne iniquâ Principis insectatione exitium sibi quæreret.

73. AUDACIOR Chærea, ratusque vinci facilem esse, qui erubesceret, queritur[3] "se crudelissimi Principis non "satellites tantùm, sed amicos esse: adversùs libertatem "et patriam armatos, civium sanguine quotidie fœdari: "nec tantâ infamiâ suam adhuc securitatem apud suspicacem "et humanâ cæde lætum Principem redimi. Audendum "tandem: suæ et omnium saluti consulendum."

74. CHÆREAM laudat Clemens,[4] sed "silentium et "moras" suadet: addit "se, ob ingravescentem ætatem "tantæ rei imparem, tutiora fortè reperturum; neminem "honestiora dicturum." Dein discessere, in varias cogitationes distracti. Clemens audita dictaque animo volvebat. Chærea, fide præfecti haud satis prosperè tentatâ, magis præceps, Corn. Sabinum, tribunum, Annium Minucianum, in Urbe dignitate præstantem,[5] in partes trahit: adjungit senatores, equites, milites. Accessit quoque Callistus,[6] Principis favore, et opibus, libertorum præcipuus: ad

[1] *Adit.* Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 6.

[2] *Adloquitur.* Hæc et seq. Joseph. ibid.

[3] *Queritur.* Joseph. ibid.

[4] *Laudat Clemens.* Joseph. Ant. Jud. XIX. 1. n. 7.

[5] *Dignitate præstantem.* Minucianus, teste Josepho, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 9. *erat dignitate præcipuus, civiumque nobilissimus, et inter ceteras laudes arte dicendi summus.* Ὑπερεχῇ τι ἀξιώματος, γενναιότατος γὰρ ἦν τῶν πολιτῶν καὶ τῷ ἐπὶ πᾶσιν ἐπαινημένῳ, μᾶλλον ὡς ἄπτοιτό τινος λόγου.

[6] *Accessit quoque Callistus.* De quo dictum est Annal. XI. 29. Vide et Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 10.

scelera tanto paratior, quanto fortunæ insolentior et avidior. Is perfidiæ dedecus velabat falsi incertum an veri criminis atrocitate, scilicet Caium sibi imperâsse, " ut Claudium " veneno tolleret."

75. TANTA conjuratorum multitudine augescebant quidem animi, sed retardabantur consilia. Quisque enim, utì adsolet, in diversas ibant sententias. Unus Chærea censebat[1] " super omnia opus esse festinatione: morâ res " corrumpi: plurimas jam omissas occasiones: Caium " potuisse interfici, Capitolium ascendentem, ut pro filiâ " sacra faceret; vel è summâ basilicâ præcipitari, cùm " nummos in plebem spargebat; vel opprimi, cùm arcanas " suas religiones celebrabat incustoditus et incautus. Cete- " rùm se neque sociis, neque armis indigere: à Diis sibi " eam vim corporis datam, ut solus nudusque valeat Caio " necem, patriæ salutem adferre."

76. INTREPIDUM Chæreæ animum omnes probavere, orantes tamen[2] " ne præproperâ festinatione res in discri- " men adducatur, et malorum remedium in majora et " insanabilia mala vertatur. Ludos Palatinos[3] quampri- " mùm edendos: hoc commodissimum meditatæ cædis " tempus: Urbe spectaculis intentâ, imparatis satellitibus, " aut ob locorum angustias impeditis, Caium vulneribus " totum fore pervium." Chærea, licèt morarum impatiens, consensit, et graviores tempore iras fovens, condictum

[1] *Unus Chærea censebat.* Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 11.

[2] *Orantes tamen.* Hæc omnia Joseph. ibid.

[3] *Ludos Palatinos.* Sueton. in Caio, LVI. Ludos illos à Liviâ in honorem Augusti institutos, et per triduum celebrari solitos memorat Dio, LVI. p. 600. et in suum usque tempus ab Imperatoribus fuisse continuò exhibitos adseverat. Ἡ Λιυία ἰδίαν δή τινα αὐτῷ (Αὐγούστῳ) πανήγυριν ἐπὶ τρισὶ ἡμέραις ἐν τῷ παλατίῳ ἐποίησεν, ἣ καὶ δῆμο αὐὶ ὑπ' αὐτῶν αὐτοκρατόρων τελεῖται. Apud Josephum, Antiq. Jud. XIX. 4. ludi isti appellantur ἱπποδρομίαι. Quos *ludos curules* interpretatus est Rufinus.

diem primum ludorum[1] expectavit. Inluxit tandem; at variis casibus præpeditus, numquam in scelus patuit. Quatuor quoque[2] sequentibus diebus conjuratorum consternatione, aut ancipitibus consiliis, nihil attentatum.

77. INFREMENS Chærea[3] factiosos, in unum convocatos, " juratæ fidei memoriâ, proditionis metu, Caii impune " quælibet ausuri licentiâ, numquam intermoriturâ " patrandi facinoris gloriâ" ad audaciam excitat. Exin paululum silens, exterritosque ac mutos obstupescere miratus, subirasci et quærere " quid morarentur, viri " fortissimi? Adesse ludorum diem ultimam:[4] Caium, " effuso nobilium, et optimorum quorumque sanguine, " Alexandriam mox profecturum:[5] suas libidines, Roma- " norum infamiam terrâ marique ostentaturum. Hæc " inaudîsse horrendum, ferre magis pudendum. Ægyp- " tium, scelera exosum, ac fortè ulturum, laudem maximi " facinoris ipsis prærepturum. Spretis eorum consiliis, se " semet hodie pro communi salute devovere, eventûs " securum, certumque id unum miserum, sibique turpe, si, " dum viveret, aliâ, quàm hâc suâ dextrâ, Caius caderet."[6]

78. PUDORE irâque accensi omnes,[7] fidem renovant, morarumque veniam ex audaciâ quærebant. Tum dux

[1] *Diem primum ludorum.* In vetere Kalendario Herwartiano, XVI. Kal. FEBRVARII, seu die 17. Januarii, LVDI PALATINI.

[2] *Quatuor quoque.* Zonaras, vol. I. p. 559. Ὅμως ἐκαρτέρων ἐπὶ πέντε ἡμέρας. *Se per quinque dies continuerunt.*

[3] *Infremens Chærea.* Joseph. Antiq. Judaic. XIX. 1. n. 12.

[4] *Ludorum diem ultimam.* Non ludorum Palatinorum; sed alterius tridui, quod Caius denuntiaverat, teste Zonarâ, loc. cit. Διὰ τῶν ἐπιόντων τριῶν ἡμέρας προήγγειλε.

[5] *Alexandriam mox profecturum.* Joseph. Antiq. Jud. loc. cit. De hoc itinere jam dictum supra cap. 58.

[6] *Caderet.* Hæc omnia Joseph. loc. cit. quæ ut probare nefas, ita quoque silere non licet.

[7] *Accensi omnes.* Joseph. Antiq. Judaic. XIX. 1. n. 13.

Chærea gladio se accingit, et palatium petit, ut signum[1] militiæ more accipiat. Numquam lætior magisque affabilis visus Princeps,[2] seu naturâ, malorum præsagâ, in extremos virtutum igniculos erumpente, seu blandiente magis fortunâ, quò sævior imminet. Illo enim ipso die, nono Calendas Februarias,[3] ad eum perductus fuerat L. Cassius Longinus,[4] Asiæ proconsul, quem è provinciâ evocaverat, monitus Fortunis Antiatinis[5] "ut sibi à Cassio caveret:" ejus vinculis, et, cùm vellet, cæde, se vitæ ac dominationis certum rebatur, oraculis ludificari homines, non defendi nescius.

79. ITAQUE sacris de more D. Augusto peractis,[6] ludis adfuit. Adstabat cum tribunis Cassius Chærea, Cassio Longino formidolosior. Sedebant ceteri conjurationis socii, firmare animos, et proximæ cædis rumusculos,[7] vulgari cœptos, opprimere intenti. Cruentâ fabulâ[8] et

[1] *Ut signum.* De hoc signo diximus Annal. I. 7.

[2] *Visus Princeps.* Joseph. loc. cit.

[3] *Nono Calendas Februarias.* Sueton. in Caio, LVIII. Dio, LIX. p. 663. Dies autem fuit 24. Januarii.

[4] *L. Cassius Longinus.* Olim Drusillæ maritus, de quo dictum est Annal. VI. 15 et 45.

[5] *Fortunis Antiatinis.* Sueton. in Caio, LVII. *Monuerunt et Fortunæ Antiatinæ, ut à Cassio caveret. Quâ causâ ille Cassium Longinum, Asiæ tum proconsulem, occidendum delegaverat, immemor Chæream Cassium nominari.* Perperam in recentioribus quibusdam MSS. et editis libris legitur *Sortes Antiatinæ.* Libri omnes veteres, et optimi quique, habent, *Fortunæ Antiatinæ.* De quibus Fortunis vide eruditum Philippum à Turre, *Monumenta Veteris Antii*, p. 12 et seq. Fortunam Antii cultam celebrat Horatius, I. Od. XXXV. 1.

O diva, gratum quæ regis Antium.

Verùm ad rem magis appositè Macrobius Saturnal. I. 23. *Videmus apud Antium promoveri simulacra Fortunarum ad danda responsa.*

[6] *D. Augusto peractis.* Joseph. Antiq. Judaic. XIX. 1. n. 13. Ludi Palatini D. Augusto erant sacri, ut modò dictum est cap. 76. Illi quoque sacrum fuisse triduum, à Caio additum, videtur. Quòd inter illa sacrificia, Princeps *sacrificans respersus est phœnicopteri sanguine*, prodigii loco habitum est. Sueton. in Caio, LVII.

[7] *Proximæ cædis rumusculos.* Quos vide apud Josephum, loc. cit.

[8] *Cruentâ fabulâ.* Cùm enim dies illa quarta et vigesima Januarii cæde Philippi, Macedonum

multâ fictæ mortis imagine exhilaratus Princeps, ad balneum prandiumque egressus horâ ferè septimâ,[1] pueros nobiles, ex Asiâ ad edendas in scenâ operas arcessitos, fortè adloquebatur, cùm Chærea, petito militiæ signo, probrosoque accepto,[2] "Accipe ratum,"[3] inquit, gladiumque ei humerum inter et collum impressit: silentem, et effugium tentantem Corn. Sabinus mox invasit,[4] et in genua provolvit, signum conjurationis inclamans, *Repete*:[5] Caius jacens, clamitansque "se vivere," statim triginta vulneribus[6] confectus est. Alii prodidere[7] Chæream ei cervicem gladio cæsim percussisse, præmissâ voce, "Hoc age;" et Corn. Sabinum ex adverso pectus transverberâsse. Constat extremum fatalemque ictum ab Aquilâ ingestum.[8]

regis, ante trecentos quinque et septuaginta annos in ludis à Pausaniâ occisi, foret insignita, tota in cruentis fabulis acta est. Mimus cruci affixit Laureolum, et Mnester Pantomimus cædem Cinyræ, ejusque filiæ Myrrhæ egit. Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 13. Juvenal. Satyr. VIII. 187. Unde intelligas Suetonium in Caio, LVII. *Pantomimus Mnester tragœdiam saltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat. Et cùm in Laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruinâ sanguinem vomuit, ut plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundavit. Parabatur et in noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Ægyptios et Æthiopes explicarentur.* Ni fortè emendandum, ut placuit Illustr. Pellicerio, *per Ægyptinos Æthiopas explicarentur*. Vide Festum verbo *Ægyptinos*. Hunc nigrorem, inferialibus spectaculis percommodum, memorat Plautus, in Pœnul. Act. v. scen. v. 11.

Ita replebo atritate, atrior multò ut siet,
Quàm Ægyptei, aut qui cortinam ludis per
Circum ferunt.

[1] *Horâ ferè septimâ.* Post ortum Solis. Sueton. in Caio, LVIII. *Nono Kalendas Februarias, horâ quasi septimâ, cunctatus an ad prandium surgeret, marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem suadentibus amicis* (conjurationis participibus, Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 13.) *egressus est. Cùm in cryptâ, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asiâ ad edendas in scenâ operas evocati præpararentur, ut eos inspiceret hortareturque, restitit.* Pro horâ septimâ horam nonam scripsit Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 14. περὶ τὴν ἐνάτην ὥραν. Hora verò Romanorum septima, quâ occisus est Caius, erat hora nostra ferè secunda pomeridiana.

[2] *Probrosoque accepto.* Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 14.

[3] *Accipe ratum.* Sueton. in Caio, LVIII.

[4] *Mox invasit.* Joseph. loc. cit.

[5] *Repete.* Sueton. loc. cit.

[6] *Triginta vulneribus.* Suet. ib.

[7] *Alii prodidere.* Sueton. in Caio, ibid.

[8] *Ab Aquilâ ingestum.* Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 14.

80. PERIIT Caïus nono et vigesimo ætatis anno: prope quadriennio[1] imperaverat. Parentes[2] eum ad virtutem finxissent, nisi imperiosior natura ad vitiorum portenta projecisset. Eminenti fuit staturâ.[3] Cetera in eo immania, pallor vultûs, anilitas frontis,[4] concavorum rigentiumque oculorum[5] torvitas, deformitas capitis emendicatis capillis aspersi, obsessa setis cervix, crurum exilitas, enormitas pedum. Vultum naturâ horridum ac tetrum efferabat ex industriâ, atque ad speculum in terrorem componebat. Atrocior autem erat animus, mens insana, ingenium mobile, et incredibilium rerum avidum. Puer adhuc, constupratis sororibus, libidinum rudimenta in domo Antoniæ[6] occœpisse fertur.[7] Juvenis, voluptatum monstra, suspicionum arcana, sanguinariasque leges Capreis didicit.[8] Princeps liberalitate, hilaritate, popularitate, aliisque virtutum imita-

[1] *Prope quadriennio.* Tacit. Dialog. de Orat. XVII. Sueton. in Caio, LIX. *Vixit annis viginti novem, imperavit triennio, et decem mensibus, diebusque octo.* Plura vide in Stem. Cæs. n. 86.

[2] *Parentes.* Pater Germanicus, Agrippina mater, avia Antonia.

[3] *Eminenti fuit staturâ.* Sueton. in Caio, L. *Staturâ fuit eminenti, expallido colore, corpore enormi, gracilitate maximâ cervicis et crurum, et oculis et temporibus concavis, fronte latâ et torvâ, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cetera. Quare transeunte eo, prospicere ex superiore parte, aut omnino quâcumque de causâ capram nominare, criminosum et exitiale habebatur. Vultum verò naturâ horridum ac tetrum etiam ex industriâ efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem.*

[4] *Anilitas frontis.* Seneca, *de constant. Sap.* XVIII. *C. Cæsar inter cetera vitia, quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur omnibus aliquâ notâ feriendis, ipse materia risûs benignissima. Tanta illi palloris, insaniam testantis, fœditas erat, tanta oculorum sub fronte anili latentium torvitas, tanta capitis destituti, et emendicatis capillis aspersi deformitas. Adjice obsessam setis cervicem, et exilitatem crurum, et enormitatem pedum.*

[5] *Rigentiumque oculorum.* Plin. XI. 37. sect. 54. *Caio Principi rigentes* oculi.

[6] *Antoniæ.* Caii aviæ. Vide Stem. Cæs. n. 42.

[7] *Occœpisse fertur.* Sueton. in Caio, XXIV.

[8] *Didicit.* Principe ac magistro Tiberio, qui Caii mentem ita perspexit, *ut aliquoties prædicaret, exitio suo omniumque Caium vivere: et se natricem (serpentis id genus) populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare,* Sueton. in Caio, XI. De Capreis, nunc *Capri*, dictum supra Annal. IV. 67.

mentis, quæ in vitia desinunt, primùm inlusit. Posteà ingenii pravitate, dominationis libidine, immoderata omnia et inaudita cupere:[1] ad nefanda insolescere: successu inlectus, pejora quærere; et brevi principatu quid summa vitia[2] in summâ fortunâ possint ostendere. Literas invidiâ corrupit: artes luxu adulteravit: mores exemplis prostravit: libertatis reliquias audaciâ funestavit: imperium stultitiâ, immanitate fermè evertit:[3] civis vecors, Princeps furiosus, contumeliosus,[4] prodigus simul et crudelis, religiosus et impius, vitâ, morte, memoriâ probrosus.[5]

[1] *Cupere.* Sueton. in Caio, XXI. *Destinaverat Sami Polycratis regiam restituere, Mileti Didymeum peragere, in jugo Alpium urbem condere, sed ante omnia Isthmum in Achaiâ perfodere. Miseratque jam ad dimetiendum opus primipilarem.*

[2] *Summa vitia.* Seneca, *Consolat. ad Helviam,* IX.

[3] *Fermè evertit.* Seneca, *Consolat. ad Polybium,* XXXVI. Immo cùm periit *septem aut octo certè dierum cibaria* populo Romano supererant, teste Senecâ, *de Brevitate vitæ,* XVIII. Idque unum doluit moriens, *quòd decedebat populo Romano superstite.*

[4] *Contumeliosus.* Seneca, *de Constantiâ sapientis,* XVIII. *C. Cæsar inter cetera vitia quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur.* Plurima ejus contumeliarum exempla ibi et aliàs passim refert Seneca.

[5] *Probrosus.* Inde sæpissimè à scriptoribus Romanis fax pestisque imperii, opprobrium generis humani appellatur. Tantum autem fuit omnium in eum odium, ut ne ejus quidem manes quietos siverint. Teste enim Suetonio, in Caio, LIX. *Cadaver ejus clam in hortos Lamianos asportatum, et tumultuario rogo semiambustum levi cespite obrutum est: posteà per sorores ab exilio reversas erutum, crematum, sepultumque. Satis constat, priusquàm id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos: in eâ quoque domo, in quâ occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumta sit.*

BREVIARIUM

SUPPLEMENTI

LIBRI NONI ANNALIUM.

1. Occiso Caio, cædes plurimæ. 2. Turbæ, Urbisque confusio. 5. De imperio consultant patres. 6. Claudius à militibus Imperator salutatur. 7. Sentius Saturninus, consul, libertatis hortator. 8. Idem persuadet Chærea. Cæsonia, ejusque filia interemtæ. 9. Patres ad Claudium legatos mittunt, ut imperio abstineat. 11. Agrippa, rex, medias partes fovere videtur, ut certiùs Principem tueatur. 13. Senatus Claudium Imperatorem agnoscit. 15. Chærea capite damnatur. 16. Claudius moderatione, et Caii insectatione, publicam gratiam quærit. 18. In suos beneficus,

imperii dignitati et securitati consulit. 20. Ejus quoque munificentiam experti reges Antiochus, Mithridates, et Agrippa. 21. Eadem æquitas erga urbes à Caio vexatas. 22. Egregia hæc imperii initia Messalinæ libidinibus et hebete Principis ingenio corrupta. 23. Sulpicius Galba, et P. Gabinius, Germanorum victores. 24. Juliæ et Annæi Senecæ exilia. 25. Antoniæ et Octaviæ nuptiæ. Britannicus et Titus nascuntur. 26. Leges. 27. Suetonius Paullinus bellum gerit in Mauritaniâ, Atlantemque montem superat. 29. Bellum absolvit Hosidius Geta. 30. Annonæ cura; præmiaque iis, qui naves fabricarent, proposita. 31. Ad lacum Fucinum emittendum suscepta opera. Portus Ostiensis. Orca ingens. 32. Vesanus ludorum furor. 33. Appius Silanus Messalinæ artibus pervertitur. 35. Furius Camillus Scribonianus, res novas in Dalmatiâ moliens, statim opprimitur. 37. In multos sævitum. 39. Arguta Galæsi libertas. 40. Arriæ constantia. 43. Lucii Othonis varia fortuna. 44. Quæ supererant veteris principatûs vitia abolita. 45. Puniuntur Lycii. 47. Messalinæ audacia et scelera. 49. Conjuratio à Lucio Othone prodita. 50. Bellum Britannicum, duce Aulo Plautio. 57. Claudius Britanniam petit. Victi Britanni. 59. Promota apud Romanos Geographiæ studia.

Hæc per reliquum anni, quo Caius interemtus est, et duobus annis sequentibus gesta,

A. U. C.	J. C.		
DCCXCV.	42.	Coss.	Ti. Claudio Cæsare II, C. Cæcinâ Largo.
DCCXCVI.	43.	Coss.	Ti. Claudio Cæsare III, L. Vitellio II.

SUPPLEMENTUM

LIBRI NONI

ANNALIUM.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

A. U. C. 794. J. C. 41.

1. Occiso Caio Cæsare, et interfectoribus in Germanici domum, palatio vicinam, clam delapsis,[1] Germani, corporis custodes,[2] tumultu ac rumoribus exciti, adcucurrere. Innatâ fide ac ferociâ, nec invalidiore largitionum Principis memoriâ, aut spe, in vindictam summo impetu ruunt. Asprenas, senator, primùm obvius, obtruncatur.[3] Norbanus,[4] nec dignitate suâ, nec majorum laudibus defen-

[1] *Clam delapsis.* Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 15. Clam delapsi sunt, vel attoniti magnitudine facinoris, vel lecticariorum, corporisque custodum vim veriti. Vide Sueton. in Caio, LVIII.

[2] *Germani custodes.* Genti suæ cognomines, è quâ delecti cohortem Celticam constituebant. Δεξυφόρους δὲ ἦσαν αὐτοὶ (Γερμανοὶ) ὁμώνυμοι τῷ ἔθνει ἀφ' οὗ κατειλήχθησαν, τὸ Κελτικὸν τάγμα παρεχόμενοι αὐτῶν. Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 15. De hâc Germanorum cohorte, à Cæsaribus ad corporis custodiam institutâ, jam diximus supra in Supplemento Annal. XVI. 95.

[3] *Obtruncatur.* Joseph. loc. cit. Asprenatem conjurationis participem, et cædis concitatorem fuisse testatur idem Josephus, n. 13.

[4] *Norbanus.* Nobilitate et militari majorum laude præstans. Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 15.

sus, vim parans fortiter occubuit. Anteius[1] domesticas injurias, cadaveris spectaculo, ulciscendi turpiter avidus, inglorius periit. Alii plurimi sontes et insontes trucidati.

2. INTEREA fama cædis theatrum pervasit; et pro cujusque aut ingenio, aut fortunâ, variè accepta.[2] Plebs Principem, ludis deditum, vel amissum dolore, vel salvum credere. Servi, scelerumque artifices, ob delationes malasque artes timere. Patricii, ceterique nobiles, dominationis atrocitatibus infensi, re lætari, specie tristari. Conscii conjurationis silere. Plurimi, quibus volupe est ficta divendere, spesve in turbidis ponere, alii differre "vulneratum quidem "Caium, sed vivere, et vulneribus fomenta parari:" alii "cruore madentem in foro adstare, populumque ad ultio-"nem, et optimatium internecionem hortari."

3. IIS rumoribus gliscebat terror: increvit, cùm theatrum, destrictis gladiis, circumsidêre Germani milites; aræque præfixis occisorum capitibus, quid omnibus immineret periculi ostentavere.[3] Cuncti veniam salutemque orabant. Temeritas, quæ in extremis valet plurimùm, tranquillitatem securitatemque inopinatò adtulit. Quidam enim Arruntius,[4] rerum venalium præconio indeque partis opibus famosus, atrâ veste, funereoque planctu theatrum subiit, et "Caium Cæsarem mortuum esse" vociferavit; mox circumcursans, militibus "gladios conderent" renuntiavit. His furor, ceteris terror statim relanguit.

4. HAUD aliter sedata Urbis perturbatio. Prætoriis cohortibus interfectores undequaque pervestigantibus, trepi-

[1] *Anteius.* Vir senatorii ordinis, cujus pater à Caio in exilium actus, mox fuerat occisus. Joseph. ibid.

[2] *Variè accepta.* De variis hisce sensibus vide Josephum, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 16.

[3] *Ostentavere.* Joseph. ibid. n. 18.

[4] *Arruntius.* Rem narrat Joseph. ibid. n. 18.

dantique populo occurrit Valerius Asiaticus,[1] consularis, magnâque in concione "utinam abs se patrata esset cædes" inclamavit. Tantâ ferociâ recedere animi; et in publica Caii convitia discessum est. Crevit audacia, cùm Clemens, quem supra memoravi,[2] Minucianum ceterosque senatores, cædis conscios, ad se adductos remisit; "Caiumque non "Romanorum, sed suis telis confossum[3] periisse" professus est, occiso Principi infestissimus, quòd anteà timidus.

5. At consules Sentius Saturninus et Pomponius Secundus,[4] gravioribus rebus intenti, despectâ curiâ, quia Julia vocabatur,[5] forum Capitoliumque occupaverant; jussisque Urbanis cohortibus senatûs securitati invigilare, edictum Caio contumeliosum[6] proposuere, promissâ populo vecti-

[1] *Valerius Asiaticus.* A Josepho, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 20. appellatur *vir consularis*, ὑπατικὸς ἀνήρ. Ergò jam consul designatus, aut suffectus fuerat. De ejus consulatibus dictum in notis ad Annal. XI. 1. At feralem ejus vocem referunt tum Josephus, ibid. num. 20. tum Dio, LIX. p. 663. Ἀπολλὼν ἐς περιφανές τι χωρίον, καὶ ἐκβοήσας, Εἴθε ἐγὼ αὐτὸν ἀπεκτόνειν. *Conspicuum in locum progressus, exclamavit: Utinam ego ipsum interfecissem.* Illum inter amicos habuerat Caius, et indignè irriserat, ut accipimus ex Senecâ, *de constantiâ Sapientis*, XVIII. *Asiaticum Valerium in primis amicis, ferocem virum, et vix æquo animo alienas contumelias laturum. Huic in convivio, id est, in concione, voce clarissimâ, qualis in concubitu esset uxor ejus, objecit. Dii boni, hoc virum audire, Principem scire, et usque eò licentiam pervenisse, ut, non dico consulari, non dico amico, sed tantùm marito, Princeps et adulterium suum narret et fastidium.*

[2] *Supra memoravi.* In Suppl. Annal. VIII. 72 et seq.

[3] *Suis telis confossum.* Quippe qui legum contemtu, injuriis, contumeliis, vitiis omnibus, viros sibi amicissimos ad sui odium adduxerat, ut pluribus prosequitur Clemens apud Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 19.

[4] *Pomponius Secundus.* Q. Pomponius Secundus consul suffectus. Joseph. Antiq. Jud. XIX. 4. n. 5.

[5] *Quia Julia vocabatur.* Sueton. in Caio, LX. Incensâ destructâque curiâ Hostiliâ, in honorem Caii Julii Cæsaris exstructa fuerat curia altera, dictaque Julia, ut videre est apud Dionem, XLIV. p. 242. et XLVII. p. 338.

[6] *Caio contumeliosum.* Josephus, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 20.

galium imminutione, militibus donativo, si quisque domum se reciperent, et à tumultu ac direptionibus abstinerent. Exin coacti patres de formâ regiminis consultavere. "Alii "abolendam Cæsarum memoriam,[1] diruenda templa,[2] "libertatem restituendam;" alii "retinendam dominatio-"nem" censuere. Hi, varias in partes distracti,[3] pro suâ spe aut fortunâ diversos Principes destinare. Omnes, flagrantibus partium studiis, reliquum diei noctemque absumere, et libertatem morâ perdere.

6. CASUS tamen, non consilium, imperio Claudium admovit.[4] Rumore cædis exterritus, ad palatii solarium prorepserat: inter prætenta foribus vela latebat abditus, cùm discurrens fortè gregarius miles, animadversis pedibus, è studio sciscitandi quisnam esset, eum agnovit, extractumque, et præ metu ad genua sibi accidentem, *Imperatorem* salutavit; et ad commilitones perduxit. A furore ad venerationem statim conversi, illum lecticæ imponunt, et vicissim succollantes in castra deferunt tristem ac trepidum, obviâ miserante turbâ,[5] quasi ad pœnam raperetur insons.

[1] *Cæsarum memoriam.* Sueton. in Caio, LX. *Senatus in asserendâ libertate adeò consensit, ut consules primò non in curiam, quia Julia vocabatur, sed in Capitolium convocarent. Quidam verò sententiæ loco abolendam Cæsarum memoriam ac diruenda templa censuerunt.*

[2] *Diruenda templa.* Divo Julio, Divo Augusto sacra.

[3] *Distracti.* Hæc et sequentia Dio, LX. p. 664.

[4] *Claudium admovit.* Suetonius in Claud. X. *Claudius maximâ ætatis parte transactâ, quinquagesimo anno imperium cepit quantumvis mirabili casu. Exclusus inter ceteros ab insidiatoribus Caii, cùm quasi secretum eo* (Caio) *desiderante turbam summoverent, in diætam, cui nomen est Hermæum, recesserat. Neque multo pòst rumore cædis exterritus, prorepsit ad solarium proximum.* Solarium locus erat in ædibus Romanis ad apricandum accommodatus.

[5] *Obviâ miserante turbâ.* Hæc totidem verbis Sueton. in Claud. X. Pluribus Josephus, Antiq. Jud. XIX. 3.

Receptus intrà vallum,[1] inter excubias militum pernoctavit, minore spe, quàm fiduciâ.[2]

7. PATRES enim, libertatem inter et novos dominos incerti, adhuc certabant; ac Sentius Saturninus, consul, omnium animos ad libertatem fermè erexit: hortatus,[3] "ut "eam, insperatam licèt, Deûm tamen immortalium mune- "re oblatam, Cassii Chæreæ fortitudine adsertam, amplex- "arentur: diem hanc sibi gloriosam, posteris lætam, æta- "tibus omnibus memorandam facerent: servitutis mala, "imperitante Julio Cæsare cœpta, Augusti et Tiberii "principatibus aucta, à Caio cumulata cogitarent. Domi- "nationem, virtutibus infensam, libidinibus grassari. "Rempublicam bonorum civium studiis ac præmiis niti. "Penes ipsos esse ut reviviscat libertas, vel æternùm obru- "ta jaceat." Addidit, "utcumque erit vestra sententia, "libertatis vindices, et maximè Cassium Chæream, meri- "tis honoribus decorate."[4]

[1] *Receptus intrà vallum.* Sueton. ibid. Receptus intrà vallum castrorum prætorianorum. Facti memoria extat in nummo argenteo P. Chamillart, quem laudat Harduinus, *Selecta Opera*, p. 717. TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P. caput Claudii laureatum. In posticâ parte, visuntur castra prætoria, quibus inscriptum, IMPER. RECEP. id est, *Imperatore recepto* à cohortibus prætoriis. Ut Claudium recepere prætoriani, ita quoque prætorianos recepit Claudius; id certum facit nummus alter, ab Harduino memoratus, TI. CLAVDIVS CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. Caput Claudii laureatum. In aversâ parte, PRAETOR. RECEPT. id est, *prætorianis receptis.* Tribunus cohortis prætoriæ paludatus, tenens lævâ Aquilam legionariam, dextram præbet Augusto togato. Egregia prætorianorum voluntas simulque Principis humanitas singulis annis novis nummis testata; inde nummi passim obvii, in quibus præter solitas voces, IMP. RECEP. vel PRAETOR. RECEPT. notantur anni tribuniciæ potestatis tertius, quartus, sextus, &c. TR. P. III. IIII. VI. &c.

[2] *Quàm fiduciâ.* Minor quidem spes ob abjectam trepidamque Claudii mentem, ac senatûs dissensionem. Fiducia tamen ob viriles militum animos.

[3] *Hortatus.* Orationem Saturnini, sed pro more suo verbosissimam, refert Joseph. Antiq. Jud. XIX. 2. num. 2.

[4] *Honoribus decorate.* Cassium

8. ORATIONI[1] vim addidit Chæreæ præsentia; nocte que jam adultâ,[2] consules adlocutus, signum petiit, et *libertatem* accepit; lætantibus omnibus consularis potestatis et reipublicæ monumentum, tot abhinc annos[3] intermissum, renovari. Mox, ut Caii domus penitus exscinderetur, Chærea Julium Lupum,[4] tribunum, misit,[5] qui Cæsoniam et ejus filiam[6] interficeret. Reperta mater, filiam proxima, mariti cadaveri adsidens, cruore fœda, et indolens "suis "eum consiliis haud paruisse."[7] Ut vidit tribunum, quem ad cæsi Principis miserationem trahere frustra nitebatur, rigescere, sibique extremam necessitatem minitari, fortiter jugulum nudavit, et, Deûm hominumque fidem obtestans,

ceterosque libertatis vindices tanto majoribus honoribus efferendos contendebat Saturninus, quòd Brutus Cassiusque, Julii Cæsaris interfectores, discordiarum ac bellorum semina tantùm jecissent; hi verò, sublato Caio, mala omnia à republicâ avertissent, pacemque et securitatem publicam adseruissent. Joseph. loc. cit.

[1] *Orationi.* Orationem hanc patribus equitibusque, qui aderant, acceptissimam fuisse testatur Trebellii maximi impetus, qui exiliit, et Saturnino annulum, cui fortè Caii vultus erat insculptus, detraxit ac fregit. Joseph. loc. cit. num. 3.

[2] *Jam adultâ.* Joseph. ibid. Nocte diei 24. Januarii, ut dictum est supra in Suppl. Annal. VIII. 78 et 79.

[3] *Tot abhinc annos.* Tum enim à Principibus, non à consulibus signum petebatur. Toto decennio errat Josephus, aut potiùs erravere qui emendârunt in Josepho, Antiq. Jud. XIX. 2. num. 3. Ἔτει γὰρ ἑκατοστῷ, *anno centesimo;* emendandum erat ἔτει γὰρ ἐνενηκοστῷ, *anno nonagesimo.* Nam non ante nonaginta annos, cùm Rubiconem transiit et adversùs patriam pugnavit Cæsar, hoc consularis potestatis insigne consulibus sublatum.

[4] *Julium Lupum.* Cognatum Clementis, prætorianorum præfecti, de quo plura in Suppl. Annal. VIII. 72. Joseph. loc. cit. n. 4.

[5] *Misit.* Quatuor erant cohortes cum Chæreâ senatûs partibus addictæ, *quæ esse sine imperatore, quàm sub tyrannide maluerant,* ut loquitur Joseph. loc. cit. n. 3. οἳ τὸ ἀβασίλευτον τιμιώτερον τῆς τυραννίδος ἡγοῦντο.

[6] *Ejus filiam.* Vide quæ de Milonià Cæsoniâ, Caii Cæsaris uxore, ejusque filiâ Juliâ Drusillâ, diximus in Stem. Cæs. n. 90 et 91.

[7] *Consiliis haud paruisse.* Hæc Joseph. ibid. Addit verba ista ambigua diversum in sensum fuisse tracta. Alii enim volebant Cæsoniam Caio suasisse, ut resipisceret humanitatemque indueret: contra verò alii contendebant fœminam, scelerum consciam, eorumque pœnas reformidantem, egisse ut ipse omnes suos hostes internecione perderet.

percussori obtulit: planctu mortisque firmitudine, si quid mulieri credendum, se maritæ immanitatis objectorumque criminum insontem esse testata. Ejus filia parieti illisa.

9. Dum hæc patrabantur, nuntiata patribus Claudii fortuna. Ne silentio augesceret, confestim legavere Veranium et Brocchum,[1] tribunos plebis, qui Claudio suaderent,[2] " ut nihil contra senatûs auctoritatem adtentaret: " pristina dominationis mala, quæ ipse erat sæpe expertus, " meminisset; malletque cum securitate ac laude in repub- " licâ vivere, quàm cum dedecore et imminentis fati formi- " dine imperare velle. Rempublicam habere milites, armà, " et innumera servitia; quodque ad defensandos patriæ " libertatis vindices validius, propitios fore Deos, quorum " est recta honestaque tueri."

10. Minax prætorianorum aspectus legatos perterruit; certique inferiores esse consulares copias, orant, Claudii genua advoluti,[3] " ne Urbem bello et internecioni objectet: " si imperium voluerit, patres adeat, quæ videantur sua- " deat: posthabitâ autem semper odiosâ, sæpe luctuosâ " tyrannide, principatum lætis auspiciis et civium benevo- " lentiâ nixum anteferat." Jam Claudius, mentis et consilii parùm firmus, ad modesta divertebat, nisi militum fero-

[1] *Veranium et Brocchum.* Ita eos appellat Joseph. Antiq. Jud. XIX. 3. n. 4. Eorum nomina silet Dio, LX. p. 665. Breviter autem Suetonius in Claud. x. *Accitusque et ipse* Claudius *per tribunum plebis in curiam ad suadenda quæ viderentur, vi se et necessitate teneri respondit.* Vim hanc et necessitatem intellige de prætorianis, qui Claudium detinebant. Porrò Brocchus non est nomen Romanis ignotum. Occurrit in veteribus Inscriptionibus, utì videre est apud Gruterum, p. 768. et alibi: immo *Brocchi* apud Romanos dicebantur, qui erant *producto ore et dentibus prominentibus.* Vide Plinium, XI. 37. sect. 60. et Nonium, cap. 1. num. 102.

[2] *Claudio suaderent.* Joseph. loc. cit. num. 3.

[3] *Genua advoluti.* Joseph. loc. cit. num. 4.

cia, Agrippæ, regis,[1] prudentia, ipsaque dominationis cupido, vel in imbellibus pectoribus haud invalida, abjectos animos sustulisset. Legatis "vi se et necessitate teneri" respondit.

11. AGRIPPA, ejus imbecillitati adhuc diffisus, artes suas ita occulebat, ut, dum dominationi clam adlaborabat, senatui favere crederetur. Ab eo accitus ut de rerum summâ consuleret, curiam venit. "Quid actum de Claudio"[2] interrogat: quasi ignarus id edoctus, "se pro senatu ac "libertate mori paratum" profitetur: "at rem difficillimam "agi: militibus et pecuniâ opus esse." Senatores "utrumque sibi suppetere" adseverant. Monet Agrippa "ipsis "fortè quidem multos, sed novos et disciplinæ rudes esse "milites: veteranos verò et bellorum peritos Claudio "adesse: nihil temere tentandum: si velint, se Claudium "aditurum, et abdicationem persuasurum."

12. AD Claudium reversus, eum senatûs fluctuationem, militum ceterarumque rerum, quibus respublica nititur, inopiam docet, et ad sensus regnatrice domo dignos exstimulat. Claudius rei facilitate suâque utilitate victus, haud absurdè respondet legatis,[3] "se non mirari senatum prio"ribus Principibus succensere: at nihil veteris injuriæ, se "Principe, remansurum: ætate, fortunâ, exemplis, suâque naturâ meliora edoctum: sibi quidem imperium, at "communem cum ipsis fore potestatem; nec formidolosum "esse debere, quem suarum partium suæque dignitatis

[1] *Agrippæ, regis.* Hic est Agrippa I. Herodis Magni nepos, ejusque in regni parte successor, de quo multa diximus in Supplemento Annal. VII. 11 et seq. Prudentiam Agrippæ hâc in re plurimùm, et fortè plus æquo, commendat Joseph. Antiq. Jud. XIX. 4.

[2] *Quid actum de Claudio.* Hæc et sequentia Josephus, ibid.

[3] *Respondet legatis.* Josephus, ibid. et de Bello Jud. II. 11.

" socium[1] habuerunt." Iis deinde dimissis, milites adloquitur. Cùm in ejus nomen jurâssent, singulis quinadena sestertia[2] promittit; primus Cæsarum[3] fidem militis, præmio pigneratus.

13. AUDITA Claudii responsione, patres à consulibus in ædem Jovis victoris convocati sunt.[4] At plurimi quid imminueret libertati præscii, pars in Urbe latitare: pars in villas secedere, ut, si minùs dignitati, magis securitati consulerent: alii, haud ampliùs centum, convenere: mox clamoribus militum, qui plures dominos respuebant, unum efflagitabant Principem, sunt præpediti: pauca, nec placita, pro libertate dixit Pomponius, consul; ceteri de principatu disceptavere. Hos enim inter, nonnulli summæ rei inhiabant; quorum præcipui, Marcus Vinicius[5] nobilitate et Juliæ[6] matrimonio insignis, Valerius Asiaticus[7] audaciâ, quàm auctoritate, validior. Magna ausuros deterruit mutua æmulatio: insuper partes Claudii singulas in horas adcrescebant; metus quoque erat ne, si ad arma veniretur, vel Urbs subverteretur, vel, jam cœptâ militum defectione, propudiosam ad mortem traherentur. Itaque patres, milites, in Claudium consensere; frustra indignante Chæreâ[8] " huc recidere tanta libertatis molimina; et post cædem

[1] *Dignitatis socium.* Senator consulque fuerat factus A. U. C. 790. ut dictum est in Suppl. Annal. VII. 6. Vide et Sueton. in Claud. VII. Dionem, LIX. p. 644.

[2] *Quinadena sestertia. Angl.* 125*l.* Totius ergò largitionis summa, non numeratis ducum præmiis, fuit *Angl. circiter* 1,200,000*l.* Josephus, loc. cit. num. 2. ait data quina drachmarum millia, seu *Angl.* 170*l.* Sed potior Suetonii in Claud. x. auctoritas. Ni fortè volueris data militibus XV $\overline{\text{HS}}$, ducibus XX $\overline{\text{HS}}$. Tunc consentient omnia. Porrò in donis diversitatem fuisse fatetur Josephus.

[3] *Primus Cæsarum.* Hæc Sueton. in Claud. x.

[4] *Convocati sunt.* Joseph. Antiq. Jud. XIX. 4. n. 3.

[5] *Marcus Vinicius.* Vide Stem. Cæs. n. 99. Malè apud Josephum, loc. cit. appellatur Marcus Minucianus, Μινουκιανὸς Μάρκος.

[6] *Juliæ.* Caii Caligulæ sororis. Vide Stem. Cæs. n. 97.

[7] *Valerius Asiaticus.* De quo supra diximus, n. 4.

[8] *Indignante Chæreâ.* Hæc et seq. Josephus, ibid.

" furiosi Principis stolidum adsumi: si vellent, se præcisam " Claudii cervicem eis allaturum." " Hanc quoque infa- " miam morte suâ se anteventurum" minitabatur Sabinus.[1]

14. Hæc incassum jactitata. Quò tardiores ad obsequium, eò patres ad servitium promtiores ruunt: ad castra properant, duce Pomponio.[2] Sed infensi milites consulem, quòd fuisset libertatis hortator, strictis gladiis, jam morti destinabant, nisi restitisset Claudius, suoque lateri eum adsidere jussisset. Haud ita civiliter excepti senatores: contra repulsi, inlusi, cæsi; vulneratus quoque Aponius.[3] In hæc intempestivæ severitatis dedecora prorumpebat Princeps, dominandi rudis, cùm venit Agrippa, eumque docuit " senatum in præsentiâ non injuriis, sed honoribus mulc- " tandum."[4]

15. Ad omnia facilis, patres in palatium convocat, quò ipse mediam per urbem lecticâ defertur,[5] stipantibus militibus, superbisque et populo insultantibus quòd Principem imperio dedissent. Licèt Pollio, cohortibus prætoriis recens præfectus,[6] edixisset " ne Chærea et Sabinus in publicum " prodirent," adstitere tamen, majore sanè spe dominationem contemtu legis inridendi, quàm novas turbas concitandi. Ubi primùm ventum est in palatium, Claudius cum amicis de Chæreâ consultavit. Viri fortitudinem laudavere; at " morte plectendum, ut pœna terrori esset," censuere;

[1] *Sabinus.* Corn. Sabinus, unus è præcipuis Chæreæ sociis, Caiique interfector, ut dictum est in Suppl. Annal. VIII. 74 et 79.

[2] *Pomponio.* Consule.

[3] *Aponius.* Hæc omnia Josephus, Antiq. Jud. XIX. 4. n. 5. M. Aponius Saturnius, Mœsiæ rector, memoratur à Tacito Hist. I. 79. et II. 85. Fortè hujus Aponii fuit filius.

[4] *Mulctandum.* Turbidi imperii primordia præmiis potiùs, quàm pœnis, tutanda.

[5] *Defertur.* Ex castris prætoriis ad palatium, quod erat in monte Palatino, defertur. Joseph. loc. cit.

[6] *Recens præfectus.* A Claudio in locum Clementis suffectus. Joseph. ibid.

jamque adultâ adulatione, non ut Caii interfector, sed ut nefariorum adversùs Claudium consiliorum reus,[1] capite damnatur. Interritus, ne mutato quidem vultûs colore, Lupumque, ut facinoris, ita pœnæ socium, sed non satis fortem, ad firmitudinem hortatus,[2] supplicium adiit, jussitque percussorem "eodem, quo Caium peremerat, gladio "uti."[3] Ad mortem sic obduratus, uno ictu obtruncatur. Lupus minore constantiâ, repetitis ictibus trucidatus est.[4] Sabinus, veniâ et dignitate, quæ ei fuere oblatæ, spretis, se ipse interemit: indignum ratus,[5] si Chæreæ superstes viveret.

16. PRINCEPS, eam morientium ferociam[6] veritus, in atrociores milites animadvertere; senatores, aliosque sibi infensos beneficiis demulcere: necdum vitæ potentiæque securus, omnibus, qui salutaturi adirent, acerbissimos scrutatores adponere;[7] ne convivia quidem inire, nisi specu-

[1] *Consiliorum reus.* Dio, LX. p. 666. Id quoque innuit Suetonius in Claud. XI. *Tribunis modò ac centurionibus paucis è conjuratorum in Caium numero interemtis, exempli simul causâ et quòd suam quoque cædem depoposcisse cognoverat.*

[2] *Hortatus.* Vestes exuendo, cùm de frigore quereretur Lupus, eum adlocutus Chæreas, ait: *Macte animo. Lupi non algent.* Joseph. ibid.

[3] *Gladio uti.* Joseph. ibid.

[4] *Trucidatus est.* Joseph. ibid. Διὰ τὸ μαλακῶς τὸν τράχηλον παρασχεῖν, quòd præ timore *collum parùm fortiter porrigeret.*

[5] *Indignum ratus.* Hæc totidem verbis Dio, LX. p. 666. Μὴ ἀξιώσας καλασθέντος αὐτοῦ περιεῖναι.

[6] *Ferociam.* Populi desideriis honoratam, ut narrat Josephus, Antiq. Jud. XIX. 4. n. 6. Quandò enim Chæreæ parentatum, populus Romanus sua libamina ipse attulit, fertaque in ignem conjecit, *orans ne ob ingratum ejus animum succenseret.* Ἱλίων καὶ ἄμμην (malem cum Coccejo ἀμύμονα) εἶναι τῆς εἰς αὐτὸν ἀχαριστίας παραιτούμενος.

[7] *Scrutatores adponere.* Principis terrores graphicè describit Suetonius in Claud. XXXV. *Nihil æquè quàm timidus ac diffidens fuit. Primis imperii diebus, quamquam, ut diximus, jactator civilitatis, neque convivia inire ausus est, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent, militesque vice ministrorum fungerentur: neque ægrum quemquam visitavit, nisi explorato priùs cubiculo, culcitisque, et stragulis prætentatis et excussis: reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, et quidem omnibus et acerbissimos. Serò enim ac vix remisit, ne fœmi-*

latores cum lanceis circumstarent, militesque vice ministrorum fungerentur: alia metu excogitare, quæ posteà ad Principum majestatem retenta.[1] Aspera tamen suspicionum mollita, sublatis impietatis criminibus,[2] condonatis veteribus injuriis, remissis sensim,[3] ut gratia augesceret, vectigalibus.

17. Accessit etiam favor, cùm Claudius protulit duos Caii libellos,[4] à Protogene scriptos, alterum *gladii*, alterum *pugionis* titulo insignes. Ambo notas et nomina electissimorum senatorii equestrisque ordinis, morti destinatorum, continebant. Eos cum famosis literis,[5] quas Caius crematas simulaverat, palam combussit; Protogenemque, ut Urbi gratificaretur, interfecit.[6] Majorem adhuc ex inauditâ improbitate Caio invidiam, sibi laudem civiumque benevolentiam quæsivit. Arcam enim ingentem, venenorum plenam,[7] quam in secretiore Caii supellectile repererat, demersit; tantaque erupit lues, ut infecta maria traderentur, nec sine piscium exitio, quos enectos æstus in proxima littora ejecit.

18. Tum omnes se à Principe servatos[8] fateri: in fratre Germanici virtutes, spes populi Romani cumulatas prædi-

næ prætextatique pueri et puellæ contrectarentur, et ne cuivis comiti aut librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur. Multa quoque id genus memorat Dio, lx. p. 666.

[1] *Retenta.* Nonnulla ad suam usque ætatem perseverare ait Dio, loc. cit. Quædam tamen à Vespasiano abolita.

[2] *Impietatis criminibus.* Impietatis in Principem; quam tamen ulciscebatur, si esset cum aliis criminibus conjuncta. Dio, lx. p. 666.

[3] *Remissis sensim.* Dio, ibid.

[4] *Duos Caii libellos.* Ferales illos libellos, *Gladium* et *Pugionem* appellatos, memorant Sueton. in Caio, xlix. Dio, lix. p. 660.

[5] *Famosis literis.* De his literis commentariisque adversùs Caii matrem ac fratres scriptis, quos crematos simulaverat, diximus in Suppl. Annal. vii. 8 et 11.

[6] *Interfecit.* Dio, lx. p. 667.

[7] *Venenorum plenam.* De hâc arcâ fermè totidem verbis Sueton. in Caio, xlix.

[8] *A Principe servatos.* Inde tot Claudii nummi, auro, argento et

care. Ille verò nimios honores[1] recusare, nedùm divinos velle: sola imperii insignia usurpare: statuas paucas et modestas[2] permittere; "mutis signis templa, compita, "publicas, privatas ædes oppleri, civesque exturbari" dictitans.[3] Hâc civilitate stabilito imperio, nihil antiquius habere, quàm ut id biduum,[4] quo de mutandò reipublicæ statu hæsitatum erat, memoriæ eximeret. Omnium itaque factorum dictorumque in eo veniam et oblivionem in perpetuum sancire ac præstare; et, cùm Principum reverentia religionibus et pietatis officiis adcrescat, aviæ Liviæ[5] divinos honores, et Circensi pompâ currum elephantorum;[6] paren-

ære cusi, quorum in parte posticâ est corona quercea, in quâ scriptum, EX SC. OB CIVES SERVATOS.

[1] *Nimios honores.* Immo teste Suetonio in Claud. XII. Princeps *in semet augendo parcus, atque civilis, prænomine Imperatoris abstinuit.* Id confirmant nummi, in quibus plerumque hæc tantùm inscriptio: TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. GERM. id est, *Tiberius Claudius Cæsar Augustus Germanicus.* Hanc quoque modestiam laudat Dio, LX. p. 667. Crebras etiam ac nimias acclamationes inhibuit, ut docet Dio, ibid. p. 668. τά τε ἐπιβοήματα τὰ πολλὰ καὶ ὑπέρογκα ἔπαυσε. Eum tamen saltem vicies *Imperatorem* salutatum fuisse accipimus ex argenteo nummo, olim in Museo Collegii Ludovici Magni, qui anno Claudii decimo cusus est. In anticâ parte, Claudius capite laureato, TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. X. P. P. IMP. XX. In parte posticâ, Victoria cum caduceo, PACI AVGVSTAE. Humanorum honorum modicus, divinis penitus abstinuit, vetuitque ne quis ipsum adoraret, neve quis ipsi supplicaret. Vide Dionem, loc. cit.

[2] *Paucas et modestas.* Unam nempe argenteam, duas ex ære et lapide. Dio, ibid.

[3] *Dictitans.* Dio, ibid.

[4] *Id biduum.* Hæc omnia iisdem verbis recitat Suetonius in Claud. XI.

[5] *Aviæ Liviæ.* Augusti uxori, quæ ob adoptionem Germanici avia erat Claudii. Vide Stem. Cæs. n. 66. Matri cœlestes honores negaverat Tiberius, tribuit Claudius. Vide quæ hâc de re jam diximus in not. et emend. ad Annal. v. 2. Addit Dio, LX. p. 667. Liviam equestribus certaminibus à Claudio fuisse honoratam: ejus effigiem in templo Augusti dedicatam: mandatum quoque Vestalibus ut ei sacra facerent, mulieribusque ut per ejus nomen jurarent.

[6] *Currum elephantorum.* Augustino similem. Suetonius, ibid. id est, qualem habebat D. Augustus.

tibus inferias publicas:[1] patri[2] Circenses ludos[3] natali die decernere. Ne Antonium quidem inhonoratum, ac sine gratâ mentione transmisit: testatus per edictum, "tanto "impensiùs petere se ut natalem patris Drusi celebrarent, "quòd idem esset et avi sui Antonii."

19. ADDIDIT matri[4] carpentum, quo per Circum duceretur: tribuit quoque cognomen Augustæ,[5] quod fœmina, virtutis, quàm laudis, studiosior, recusaverat. Fratris[6] memoriam, per omnem occasionem celebratam, novis auxit honoribus.[7] Agrippinam et Juliam[8] de exilio

[1] *Inferias publicas.* Sueton. in Claud. XI. In iis inferiis exstruebantur aræ, floribus exornabantur, cædebantur victimæ, Diisque Manibus sacrificabatur, de reliquo epulabantur, qui mortuis ita parentaverant. Feralia hæc sacra fusè describit Kirchmannus, de Fun. Roman. IV. 1 et seq. De Claudii parentibus vide Stem. Cæs. n. 79 et 42.

[2] *Patri.* Neroni Claudio Druso, de cujus laudibus vide Stem. Cæs. n. 79.

[3] *Circenses ludos.* Sueton. ibid. De his ludis, et quot in iis essent missus, si geminaretur lætitia, diximus supra.

[4] *Matri.* Antoniæ, Antonii Triumviri filiæ, fœminæ optimæ, cujus laudes vide in Stem. Cæs. n. 42. et in Suppl. Annal. VII. 42. Pietatis Claudii in matrem testes nummi plurimi et ubique obvii. Carpentum verò, quo honestata Antoniæ memoria, erat vehiculi genus mularum bigis tractum, in quo defunctarum Augustarum imagines per circum ducebantur.

[5] *Cognomen Augustæ.* Perperam in vulgatis Suetonii in Claud. XI. libris legitur, *cognomen Augustæ ab aviâ recusatum.* Compertum omnibus Liviam cognomen Augustæ non recusâsse, sed ultro usurpâsse. Idcirco Lipsius emendabat, *ab viro* recusatum; multi extant Antoniæ nummi cum titulo ANTONIA AVGVSTA, sed imperante Claudio cusi, ut fatentur viri omnes eruditi. Cognomen Augustæ olim datum fuisse Antoniæ à Caio jam notavimus in Suppl. Annal. VII. 6.

[6] *Fratris.* Germanici, numquam satis laudati imperatoris. Vide Stem. Cæs. n. 81. Tabula Antiatina, quam eruditus Vulpius Soc. Jesu publicavit et illustravit, notat mense Octobri, die, ut videtur (hìc enim extritum marmor), sexto idus INFER. GERMANIC. id est, *inferias Germanici.*

[7] *Honoribus.* Hos inter honores comœdiam à Claudio scriptam et coronatam recenset Suetonius in Claud. XI. *Ad fratris memoriam per omnem occasionem celebratam, cómœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de sententiâ judicum coronavit.* In hâc urbe tantam modestiam præ se tulit, ut tamquam privatus et Græcorum more ibi viveret, musicis spectaculis cum pallio et soleis, gymnico certamini cum purpureâ veste et aureâ coronâ interesset. Hæc Dio, LX. p. 668.

[8] *Agrippinam et Juliam.* De

reduxit. Magnâ quoque usus in priores Principes reverentiâ, jusjurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit, quàm "per Augustum."[1] Tiberio marmoreum arcum[2] juxta Pompeii theatrum,[3] decretum olim ab senatu, sed omissum, peregit. Omnia quidem Caii acta rescidit,[4] ejusque statuas noctu sustulit:[5] vetuit tamen eum ignominiâ notari;[6] diemque necis, quamvis exordium principatûs sui, inter festos referri:[7] quo edicto Principi dignitas, sceleribus odium manebat.

20. Haud minùs diligenter cautum ut nova dominatio regibus exteris commendaretur. Restituta Antiocho[8] Commagene parsque Ciliciæ, à Caio data et ademta. Mithridates,[9] Iberus, Armeniæ rex, in vincula conjectus, primùm libertatem, deinde regnum recepit. Data Pole-

quibus dictum in Suppl. Annal. VII. 35. Dio, LX. p. 667. Reversæ suam pietatem in Caium, fratrem suum, licèt immeritum, significavere;[a] ejusque cadaver per eas sepultum, ut jam diximus supra.

[1] *Per Augustum.* Sueton. in Claud. X.

[2] *Marmoreum arcum.* Sueton. ibid.

[3] *Pompeii theatrum.* Cujus scenam, olim ambustam, refecerat Tiberius, ut dictum est supra Annal. VI. 45. Illam dedicavit Claudius, sed unum Tiberii nomen inscripsit, suum omisit, Dio, LX. p. 669. Quibus cærimoniis ludos tum ediderit narrat Sueton. in Claud. XXI. Hujus theatri rudera visuntur adhuc Romæ ad Campum Floræ in ædibus Ducis *de Grillo*, vicinisque apothecis.

[4] *Rescidit.* Sueton. in Claud. XI. Verùm hæc cum Dione, LX. p. 667. intellige de perperam actis à Caio, vel ab aliis propter Caium. Τὰ μὲν δὴ οὖν ὑπό τε τοῦ Γαΐου καὶ ὑφ' ἑτέρων δι' ἐκεῖνον οὐκ ἐρρώθη γενόμενα, ἀνέτρεψα.

[5] *Sustulit.* Dio, ibid.

[6] *Ignominiâ notari.* At, vel invito Claudio, hæc ignominia, malorum Principum ultrix, Caium secuta est; testaturque Dio, ibid. ætate suâ in sacramentis votisque concipiendis Caii Tiberiique nomina reticeri.

[7] *Inter festos referri.* Sueton. in Claud. XI. Vetuit diem illum inter festos referri, ne de Caii nece lætari videretur; quod sibi nec gloriosum, nec tutum fuisset. Sequentibus annis primo illo imperii sui die prætoriarum cohortium militibus centenos nummos, *Angl.* 17*s.* viritim dedit. Dio, LX. p. 673.

[8] *Restituta Antiocho.* Dio, LX. p. 670. De Antiocho IV. Commagenæ rege, dictum supra in Suppl. Annal. VII. 11. et VIII. 34. Vide et Annal. XII. 55.

[9] *Mithridates.* Dio, ibid. De illo jam actum in Suppl. Annal. VIII. 34. Vide quoque Tacitum Annal. XI. 8. et XII. 44 ac seq.

moni,[1] regi Bosphorano, Cilicia, ut Mithridates, à magno Mithridate[2] oriundus, Bosphoro donaretur.[3] At ut egregia Agrippæ officia, ita maxima fuit gratia. Non modò confirmata regna, quæ jam acceperat, additæ adhuc Judæa et Samaria.[4] Ei quoque decreta consularia insignia, fratri ejus Herodi[5] prætoria; multaque Judæis indulta.[6]

21. EAMDEM æquitatem expertæ urbes, quibus statuas à Caio ablatas restituit.[7] Neque opum appetens, vetuit ne

[1] *Data Polemoni.* Dio, ibid. Hic Polemon II. supra memoratus in Supplemento Annal. VII. 36. Nullos supercsse nummos Polemonis, dum in Bosphoro regnabat, cusos, docet Cl. Cary, *Histoire des Rois du Bosphore*, p. 50.

[2] *Magno Mithridate.* Rege Ponticо, olim Romæ æmulo.

[3] *Bosphoro donaretur.* Dio, ibid. Quot in Mithridatis, regis Bosphorani historiâ recensendâ peccaverit Vaillant, et quomodò ejus nummus à falsario fuerit adulteratus disce ab erudito Cary, loc. cit. p. 51 et seq. Tristem, sed fortem, regni ejus exitum descripsit Tacitus Annal. XII. 15 et seq.

[4] *Judæa et Samaria.* Quæ olim fuerant avi ejus Herodis Magni. Iis etiam addidit Abilinam, quæ ad Lysaniam tetrarcham pertinuerat, et quæcumque ex Libano erant imperatoriæ dominationis, ut videre est apud Josephum, Antiq. Jud. XIX. 5. n. 1. Tunc Magni cognomen accepit Agrippa; cusique nummi ejus dignitatis et Claudii benevolentiæ testes. Hos inter præcipuus nummus ex ære mediocri à Vaillant et Harduino, *Select. Opera.* p. 332. vulgatus: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ. Caput diadematum Agrippæ. In aversâ parte, Dea stat cum temone et cornu copiæ: Μ... ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η ΠΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΩΝ. id est, *Metropolis Cæsarea ab Augusto dilecta.* Aliæ quoque urbes lætitiam suam significavere, quòd gentilem regem haberent. Hinc nummi ΕΠΙ ΒΑCΙΑΕ. ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ, id est, *Tiberiensium sub rege Agrippâ.* Hinc magis adhuc obvii nummi, in quibus lilium cum tribus literis $\frac{\text{ΒΑ}}{\Phi}$, id est, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΓΡΙΠΠΑ ΦΑΣΑΗΛΙΤΩΝ, seu *Rex Agrippa*, nummus *Phasaelitarum*, de quibus Plinius, XXI. 5.

[5] *Fratri ejus Herodi.* Regi Chalcidis, de quo Dio, LX. p. 670. Vide Stem. Herodum, vol. II. p. 368. n. 25.

[6] *Judæis indulta.* Duo hâc de re Claudii decreta, rogantibus Agrippâ et Herode obtenta, refert Josephus, Antiq. Jud. XIX. 5. n. 2 et 3. In posteriore id memorandum Judæis permitti, ut per universum Romanum imperium, propter fidem et amicitiam Romanis præstitam, patrios suos mores sine ullo impedimento servent; moniti tamen ut *modestiùs se gerant*, nec aliarum gentium religiones contemnant: ἐπιεικέστερον χρῆσθαι, καὶ μὴ τὰς τῶν ἄλλων ἐθνῶν δεισιδαιμονίας ἐξουθενίζειν.

[7] *Restituit.* Dio, LX. p. 669.

quis, si cognatos haberet, Cæsarem scriberet heredem.[1] Demum quod in novo principatu difficillimum, àbruptam severitatem inter et nimiam facilitatem temperamento usus, varia sanxit quibus sanctitas legum,[2] civium tranquillitas, ludorum moderatio adstrueretur. Ipse observantiâ in consules, benignitate erga omnes, ingens modestiæ exemplum simul et incitamentum.

22. LÆTA quidem initia, sed citò corrupta Messalinæ[3] libidinibus, insolentiâ libertorum,[4] hebete ingenio Principis, qui naturâ invalidus, serviliter eductus, literatior[5] mitiorque, quàm Principem mediocris animi decet, pauca pro arbitrio et majestate imperii, pleraque alieno impulsu, præcipitive metu aut impetu actitavit. Dominationem vix retenturus, ni mole suâ aliquandiu starent magna imperia; legatique exercituum obviam, sed turpem fortunam inlustriori obsequio postposuissent.

23. Hos inter eminuit Sulpicius Galba,[6] Germaniæ superioris legatus. Licèt ad nova summaque à multis

Suetonius in Caio, XXII. quem vide in not. ad Suppl. Annal. VIII. 55.

[1] *Scriberet heredem.* Dio, loc. cit.

[2] *Sanctitas legum.* Hæc et quæ sequuntur multis exemplis confirmat Dio, LX. p. 668 et 669. quorum hæc præcipua. Claudius sodalitia, à Caio restituta, in quibus multum erat gulæ ac licentiæ, nihil caritatis et pietatis, dissolvit. Strenarum munera, ab Augusto ob humanitatem studiosamque populi voluntatem, à Caio propter aviditatem prodigentiamque accipi solita, à Tiberio ob parsimoniam (nam ea munera majoribus muneribus rependebat Augustus, et ex iis Deorum statuas vicatim dedicabat. Sueton. in August. LVII.) repudiata, ipse ut lucri cupiditas ab imperatoriâ majestate penitus abesset, edicto sustulit. Vesaniam quoque ludorum, qui per dies plurimos iterabantur, si quid fortè prioribus diebus fuisset peccatum, frænavit.

[3] *Messalinæ.* Claudii uxoris, fœminæ perditissimæ. Vide Stem. Cæs. n. 26.

[4] *Libertorum.* Callisti, Pallantis, &c.

[5] *Literatior.* Multa privatus Princepsque Latinè et Græcè scripsit, quæ commemorat Suetonius in Claud. XLI et XLII.

[6] *Sulpicius Galba.* Posteà Imperator, jam laudatus supra in

stimulatus,[1] officii constans maluit imperium defendere, quàm usurpare; Cattosque devicit,[2] fide et victoriâ intimam Principis benevolentiam promeritus. Laudis æmulus, P. Gabinius, Germaniæ inferiori præfectus, Chaucos[3] debellavit. Aucta lætitia, quòd, quæ sola[4] apud hostes superarat, captam Varianâ clade legionis aquilam reportavit; indeque *Chaucius*[5] cognomen obtinuit. Princeps verò, periculorum et bellorum expers, ob utramque victoriam *Imperator* salutatus est.[6] Liberti, exquisitiore adulatione, in ejus laudem traxere sopitas in Mauretaniâ turbas, quæ jam ante Caii cædem desierant;[7] et ut triumphalia ornamenta ob id acciperet persuasere.

24. At fœdiora meditabatur Messalina. Juliam,[8] formâ, nobilitate, cum Claudio necessitudine præcellentem exosa, ferocem ejus animum, et ad imperantis fortunæ obsequia flecti nescium, impatientiùs ferebat. Primùm muliebri æmulatione certavere, mox, prout solitum, vicit potentia. Juliaque variis criminibus atque etiam adulteriis infamata magis, quàm convicta, rursus in exilium projecta est. Annæus Seneca, adulteriorum societati innexus, in insulam

Suppl. Annal. VIII. 23. Erat teste Plutarcho in Galb. p. 1054. Romanorum ditissimus, *ἰδιώτης πλουσιώτατος ἁπάντων.*

[1] *Multis stimulatus.* Sueton. in Galbâ, VII.

[2] *Cattosque devicit.* Dio, LX. p. 670. De quibus plura dicta sunt supra in libro de Moribus German. XXX.

[3] *Chaucos.* Suetonius in Claud. XXIV. Perperam legas apud Dionem, LX. p. 670. *Μαυρουσίους, Maurusios.* Malè emendabat Palmerius *Cheruscos*, nec satis probabiliter Xylander et Reimarus *Marsos.* Corrigendum Χαύκους, penes quos erat una Aquila, sicut altera apud Marsos fuerat, de quâ dictum Annal. II. 25. Inde error prodiit, quòd paulo antè Mauretaniam memoraverat Dio. Porrò Chauci littus maris inter Amisiam et Albim tenebant.

[4] *Quæ sola.* Dio, loc. cit. Vide quoque not. et emend. ad Annal. II. 25.

[5] *Chaucius.* Suetonius, ibid.

[6] *Imperator salutatus est.* Dio, ibid.

[7] *Desierant.* Dio, ibid. Plinius quoque. Sed vide quæ jam adnotavimus supra in Suppl. Annal. VIII. 34.

[8] *Juliam.* Germanici filiam. *Vid.* Stem. Cæs. n. 97.

Corsicam relegatur:[1] sapientiæ famâ, Juliæ superbiâ facilè excusandus, nisi ipse ingeniosioribus scriptis,[2] adulatoriis precibus,[3] amarulentis dicteriis,[4] fermè fidem criminationibus fecisset.

25. INTER hæc dissidia, Claudius filias suas, Antoniam[5] Cn. Pompeio Magno[6] tradidit, Octaviam[7] L. Junio Silano[8] despondit, exiguâ[9] maritali pompâ, pòst tristiore exitu.[10] Generos vigintiviratu[11] tantùm donavit: dein feriis Latinis[12] Urbi præfecit: tardè concessit ut quinquennio maturiùs, quàm per leges, magistratus[13] peterent. Eodem

[1] *Relegatur.* Dio, ibid. Exilii sui laudator inducitur Seneca in Octaviâ, Act. 2. sc. 1. v. 381.

Melius latebam procul ab invidiæ malis,
Remotus inter Corsici rupes maris:
Ubi liber animus, et sui juris, mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.

[2] *Scriptis.* Vide imprimis librum de Consolatione ad Helviam matrem suam à Senecâ scriptum.

[3] *Adulatoriis precibus.* Quas lege in consolatione ad Polybium, ac maximè capite 32. rigidâ ac virili Stoicorum sapientiâ minimè dignas.

[4] *Dicteriis.* Quibus aculeata rigescit insectatio, quam post mortem Claudii, quem vivum laudaverat, scripsit; cuique titulum fecit, Claudii Cæsaris ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΣ. Tam parùm secum consensisse Senecam nemo mirabitur, qui reputaverit unam virtutem sibi semper constantem, plerumque discors esse ingenium.

[5] *Antoniam.* Vide Stem. Cæs. n. 105.

[6] *Cn. Pompeio Magno.* Pompeio Magno cognomen, sibi invisum, ademerat Caius Caligula; restituit quidem Claudius, generumque fecit: sed posteà occidit. Unde Seneca in Apocoloc. p. 707. *Caius Cæsar Crassi filium vetuit Magnum vocari: hic* Claudius *nomen illi reddidit, caput tulit.*

[7] *Octaviam.* Vide Stem. Cæs. n. 36.

[8] *L. Junio Silano.* Filio Appii Silani, de quo dicetur infra cap. 33.

[9] *Exiguâ.* Immo ita exiguâ, ut etiam his ipsis diebus senatum habuerit. Quod testatur Dio, LX. p. 668. et ex eo Zonaras. Suffragatur quoque Sueton. in Claud. XII. *Sponsalia filiæ natalemque geniti nepotis silentio, ac tantùm domesticâ religione transegit.*

[10] *Tristiore exitu.* Si quidem uterque à Claudio posteà occisus. Ob crimen interemtus est *Pompeius, in concubitu dilecti adolescentuli confossus,* Sueton. in Claud. XXIX. Silanus, incustoditi amoris accusatus magis, quàm reus, mortem sibi conscivit, ut dictum est Annal. XII. 8.

[11] *Vigintiviratu.* De hoc honorum rudimento jam egimus supra Annal. III. 29.

[12] *Feriis Latinis.* Quæ sint, et unde sic dictæ, vide supra Annal. IV. 36.

[13] *Magistratus.* Hæc omnia Dio, LX. p. 668. Magistratus intellige de quæsturâ, et aliis posteà hono-

anno nati sunt,[1] ortu et fato disparès, moribus et studiis pares, familiari necessitudine[2] summi, Britannicus et Titus: mirâ hominum sorte, quæ utriusque vices variâsse videtur, ut singuli plus desideriorum relinquerent. Britannicus Claudio et Messalinâ genitus vigesimo paterni imperii die: Titus Vespasiano et Flaviâ Domitillâ tertio Calendas Januarias.

A. U. C. 795. J. C. 42.

26. CLAUDIUS CÆSAR II. et Cæcina Largus, consules,[3] in acta Augusti juravere.[4] In sua jurari vetuit Princeps;

ribus. Quæstura juxta leges post annum 24. petebatur, ut notavimus Ann. III. 29.

[1] *Nati sunt.* Britannicus natus est *vigesimo imperii* Claudii *die*, Sueton. in Claud. XXVII. Titus verò *natus est* III. *Kal. Januarias insigni anno Cajanâ nece, prope Septizonium, sordidis ædibus, cubiculo verò perparvo et obscuro: nam manet adhuc et ostenditur*, Sueton. in Tit. I. Septizonium illud, Severiano antiquius, fuit in Esquiliis. De Britannico vide Stem. Cæs. n. 108. Primùm dictus est Tiberius Claudius Germanicus. Posteà Britannicus appellatus est, Dio, LX. p. 673.

[2] *Necessitudine.* De quâ plura Suetonius in Tit. II. Titus educatus in aulâ cum Britannico simul, *ac paribus disciplinis, et apud eosdem magistros institutus. Quo quidem tempore, aiunt, metoposcopum à Narcisso Claudii liberto adhibitum, ut Britannicum inspiceret, constantissimè affirmâsse; illum quidem nullo modo, ceterùm Titum, qui tunc propè adstabat, utìque imperaturum. Erant autem adeò familiares, ut de potione, quâ Britannicus haustâ periit, Titus quoque juxtà cubans gustâsse creditur, gravique morbo afflictatus diu. Quorum omnium mox memoriam statuam ei auream in palatio posuit, et alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompâ hodieque præfertur, dedicavit, prosecutusque est.*

[3] *Consules.* Tiberius Claudius Cæsar II. et C. Cæcina Largus consules fuere A. U. C. 795. J. C. 42. Dio, LX. p. 671. Largus auctor videtur fuisse senatusconsulti Largiani, de quo Institut. Libr. III. Tit. 8. de Successione libertorum. *Posteà* (id est, *post legem Juniam*) *senatusconsulto Largiano cautum fuerat, ut liberi manumissoris non nominatim exheredati facti, extraneis heredibus eorum in bonis Latinorum præponerentur.* Vide eruditum Heineccium, *Antiquitates Romanæ Jurisprud.* III. 8. n. 9.

[4] *Juravere.* Claudio ita jubente, ut testatur Dio, LX. p. 671. Neque permisit quemquam in sua acta jurare. De hoc usu jurandi dictum est Annal. I. 7.

prorogatoque[1] per totum annum Cæcinæ magistratu, ipse bimestri dignitate[2] se abdicavit, nihil contra leges se fecisse jurejurando professus,[3] majore vanitate, quàm veritate. Consul enim, et extra honorem,[4] juris dicundi assiduus, nonnumquam à præscriptis legum discedebat, quandòque ex bono et æquo, sæpiùs inconsultâ animi levitate, et amenti similis.[5] Novas tamen leges condidit, suâ utilitate, Principis civilitate probatas. Rectores enim provinciarum, diutiùs in Urbe morari solitos, jussit[6] in eas ante Calendas Apriles proficisci: simul vetuit "ne sibi pro acceptâ dignitate "gratias agerent;" professus "se Principem; ipsos esse "principatûs adjutores: apud se gratiam laudemque nactu-"ros, si ex provinciis, officio egregiè perfuncti, reverte-"rentur." Legem Papiam Poppæam, à Tiberio jam mollitam,[7] sed in hoc Urbis luxu adhuc graviorem, moderatus est: et sexagenarios,[8] qui uxorem quinquagenariâ

[1] *Prorogatoque.* Dio, ibid.

[2] *Bimestri dignitate.* Sueton. in Claud. XIV.

[3] *Jurejurando professus.* Dio, ibid. Ob tale jusjurandum, Trajanum, qui egregia promiserat, majora præstitit, laudat Plinius in Panegyric. LXIV et LXV.

[4] *Extra honorem.* Abdicato consulatu.

[5] *Amenti similis.* Multus hâc in re Sueton. in Claud. XIV et XV. eamque exemplis quamplurimis confirmat.

[6] *Jussit.* Legem hanc retulit Dio, LX. p. 672.

[7] *Mollitam.* Vide quæ dicta sunt supra Annal. III. 25 et 28.

[8] *Sexagenarios.* Licèt legem Papiam Poppæam moderatus fuisset Tiberius, caput tamen addiderat, quo sexagenarii, etiamsi uxores ducerent, pœnis tamen legis Papiæ Poppææ subjacebant. Contendebat enim Tiberius infœcunda hæc matrimonia non iniri, ut liberi procrearentur, sed tantùm ut legis pœna vitaretur. Caput istud Tiberianum obrogavit, id est, mutavit Claudius. Unde Sueton. in Claud. XXIII. ait: *Capiti Papiæ Poppææ legis, à Tiberio Cæsare, quasi sexagenarii generare non possint, addito, obrogavit.* Eâ verò conditione obrogavit, ut sexagenarius, vel etiam sexagenario major uxorem minorem quinquagenariâ duceret. Id nos docet Ulpianus Tit. XVI. 3 et 4. *Qui intrà sexagesimum, vel quæ intrà quinquagesimum annum, neutri legi* (Juliæ et Papiæ Poppææ) *paruerit, licèt ipsis legibus post hanc ætatem liberatus esset, perpetuis tamen pœnis tenebitur, ex senatusconsulto Perniciano:* (eruditus Perizonius emendat *Persiciano*, quòd Paulus Fabius Persicus consul fuit, imperante Tiberio, A. U. C. 797. At legem Papiam Poppæam moderatus est Tiberius A. U. C. 773. Mallem itaque emendari *Tibe-*

minorem ducerent, cœlibum pœnis exemit. Pupillis[1] consuluit, eorumque tutelæ curam, olim prætoribus commissam, consulibus mandavit. Ad lites quoque expediendas, rerum actum,[2] divisum anteà in hibernos æstivosque menses, conjunxit. Demum ne publica pecunia periret, tres prætorios viros,[3] qui ærario debita exigerent, instituit: additis lictoribus, ut cresceret dignitas. Ad divina quoque conversus, Urbem, religionum multitudine fatiscentem, sacris Eleusiniis augere voluit.[4] Laudabiliore curâ, Gallorum, quos furiosa Druidarum superstitio humanis victimis Deos placare docuit, feros ritus, civibus sub Augusto jam inter-

riano.) Sed Claudiano senatusconsulto, major sexagenario, si minorem quinquagenariâ duxerit, perinde habebitur, ac si major sexaginta annorum duxisset uxorem. Quod si major quinquagenariâ minori sexagenario nupserit, impar matrimonium appellatur: et senatusconsulto Calvitiano (assentior Cujacio emendanti *Claudiano*, licèt Perizonio et Schultingio placeat *Calvisiano*) *jubetur non proficere ad capiendas hereditates, et legatas dotes. Itaque mortuâ muliere, dos caduca erit.* Qui plura voluerit, adeat Cl. Heineccium, *Antiq. Rom. Jurisprud.* vol. I. p. 296 et seq.

[1] *Pupillis.* Sueton. in Claud. XXIII. *Sanxit ut pupillis extra ordinem tutores à consulibus darentur.* Anteà in Urbe prætoris, in provinciis præsidum erat tutores pupillis dare. Cùm nondum lege Claudianâ satis consultum esset tutoribus, M. Antoninus Philosophus *prætorem tutelarem primus fecit, cùm antè tutores à consulibus poscerentur, ut diligentiùs de tutoribus tractaretur.* Jul. Capitolin. in M. Antonin. X.

[2] *Rerum actum.* Sueton. ibid. Apud Romanos res aliæ per hyemem, aliæ per æstatem agebantur. Molestissimum hunc comperendinatum sustulit Claudius. Posteà restituisse videtur Galba, teste Suetonio in Galb. XIV. Meliùs providit M. Antoninus, supra laudatus, qui *fastis dies judiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret.* Jul. Capitolin. in M. Antonin. X.

[3] *Tres prætorios viros.* Dio, LX. p. 671.

[4] *Augere voluit.* Sueton. in Claud. XXV. *Sacra Eleusinia etiam transferre ex Atticâ Romam conatus est.* Transtulit posteà Hadrianus, ut docet Aurel. Victor. de Cæsar. in Hadr. Eleusiniis sacris, Cereri ac Proserpinæ dicatis, nihil fuit apud Græcos celebratius secretiusve: quorum ob contemtum capitis damnatus est optimus Socrates.

dictos, abolevit,[1] ceteraque[2] hujus superstitionis vetuit. Triumphato enim terrarum orbe, hæc nobilissima Romanos manebat victoria, ut religionum monstra tollerent, victasque gentes rationi servire, ac felices vivere cogerent.

27. INTERIM Suetonius Paullinus[3] bellicæ laudis famam in Africâ auspicabatur. Ædemon[4] enim, libertus, arma resumserat ut Ptolemæum regem, à Caio Cæsare[5] inter-

[1] *Abolevit.* Suetonius, loc. cit. *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, et tantùm civibus sub Augusto interdictam, penitus abolèvit.* Hæc ita sunt aperta et indubitata, ut à librariis corruptum existimem locum Plinii, XXX. 1. *Gallias utique possedit* sacri prodigiosi celebratio, *et quidem ad nostram memoriam. Namque Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum, et hoc genus vatum medicorumque.* Fortè scripserat Plinius *Tiberii Claudii principatus,* vel *Tib. Cl. Cæsaris principatus.* Hæc inhumana Gallorum sacra, qui, affecti gravioribus morbis, vel in prœliis ac periculis versantes, pro victimis homines immolant, pluribus recenset Cæsar de Bell. Gal. VI. 15. Quod verò incredibile videretur, ni quantùm in hominum animos valeat superstitio, innumeris ac portentosis exemplis foret compertum, cùm homines occidere non licuit, humano saltem sanguine aras proluere juvit. Hoc docet horum temporum scriptor elegans Pomponius Mela, III. 2. Gallorum *gentes superbæ, superstitiosæ, aliquandò etiam immanes, adeò ut hominem optimam et gratissimam Diis victimam cæderent. Manent vestigia feritatis jam abolitæ, atque ut ab ultimis cædibus temperant, ita nihilominùs, ubi devotos altaribus admovêre, delibant.* Melæ interpretes, temporis quo scripserit incuriosi, multa in his illustrandis peccavêre. Perperam enim Schottus *abolitam feritatem* ad A. U. C. 657. retulit, cùm *senatusconsultum,* teste Plinio, XXX. 1. *factum est, ne homo immolaretur.* Romanis nondum parebant Galliæ. Infeliciter quoque pro *ultimis cædibus* emendare voluit Pintianus *humanis cædibus.* Quæ sit satis monuisse, ut quanti sit in illustrandis veterum Scriptorum operibus temporum ratio dignoscatur.

[2] *Ceteraque.* Inter hæc in magnâ Galliarum famâ erat ovum anguinum, de quo cùm multa commemorâsset, addit Plinius, XXIX. 3. sect. 12. *Vidi equidem id ovum mali orbiculati modici magnitudine, crustâ cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, insigne Druidis. Ad victorias litium, ac regum aditus, mirè laudatur: tantæ vanitatis, ut habentem id in lite in sinu equitem Romanum è Vocontiis, à divo Claudio interemtum non ob aliud sciam.*

[3] *Suetonius Paullinus.* Prætorii erat ordinis, teste Dione, LX. p. 670. De illo sæpe dictum Annal. XIV. 29 et seq. et in vitâ Agricolæ, v.

[4] *Ædemon.* Plin. v. 1.

[5] *A Caio Cæsare.* Ut diximus in Suppl. Ann. VIII. 34.

remtum, ulcisceretur. Ne per moras audacia glisceret, Suetonius Mauretaniam properè ingressus est. Barbari, exercitibus Romanis tum primùm[1] in regione suâ bellantibus exterriti, refugêre. Dum in latebris premebantur, ventum ad montem Atlantem, tot fabulis celebratum.[2]

28. SUETONIUS Polybium,[3] egregium Annalium conditorem, qui Africæ littora exploraverat, æmulatus, terras scrutari voluit; primusque[4] Romanorum ducum Atlantem aliquot millium spatio transgressus, loca, hactenus tantùm virilem ob luxuriam[5] audita, invisit. Vanescentibus, quò propiùs accedebat, fabulis, nulla occurrêre Ægipanum

[1] *Tum primùm. Romana arma primùm, Claudio Principe, in Mauritaniâ bellavere.* Plin. v. 1.

[2] *Fabulis celebratum.* Præter Herculi et Perseo ibi laborata, illum etiam in nubila ita erectum prodidere veteres, ut cœlum et sidera non *tangere modò vertice, sed sustinere quoque* diceretur. Mela, III. 10. De Atlante hâcque Suetonii expeditione, pauca, sed lectu digna, scripsit Cl. d'Anville. *Mémoires de l'Acad. Roy. des Inscrip.* Vol. XXVI. p. 80 et seq. Hoc enim bello ultra Atlantem perventum ad urbes Alelen et Cillabam, nunc *Helel* et *Gher-Selbin* arbitratur: quas tamen inde remotissimas in Phazaniâ, hodie *Fezzan*, ponit Plin. v. 5.

[3] *Polybium.* Polybius Cornelium Scipionem Africanum in Africanâ expeditione comitatus, ab eo acceptâ classe A. U. C. 608. A. C. 145. partem illam orbis scrutatus est; suumque iter descripsit, Plinio, v. 1. memoratum, sed compendiosiùs pro tantâ rei utilitate hominisque dignitate. Immo errorem Polybio affingit, tanto scriptore indignum: scilicet, si Plinio credimus, à monte, quem Theôn Ochema dixere veteres, nunc *the southern extremity of the Sierra Leone*, ad promontorium Hesperium, nunc *the Cape of Palms, navigatione dierum ac noctium decem, in medio eo spatio Atlantem locavit Polybius, à ceteris omnibus in extremis Mauritaniæ proditum.* Id certè non peccavit Polybius; sed in medio spatio à portu Carthaginis, unde profectus est, ad Hesperium promontorium, quò pervenit, ac proinde in extremis Mauritaniæ positum esse Atlantem meritò prodidit. Quod nemini hactenus, ne erudito quidem Harduino compertum miror. Hâc de re totoque Polybii itinere plura fortè aliàs sum dicturus.

[4] *Primusque.* Plin. loc. cit. et ex eo Solinus, cap. 26. Hanc expeditionem memorat quoque Dio, LX. p. 670.

[5] *Virilem ob luxuriam.* Apud Romanos Indico luxu fœminæ, Africano viri gloriabantur. Præcipuus apud viros honor citreis mensis, quas tanti faciebant, ut, Jubâ rege mortuo, duæ sint venumdatæ, *quarum alteri pretium fuit* HS. $\overline{XII}$. *Angl.* 10,000*l. alteri paulo minùs*, Plin. XIII. 15. Sed

Satyrorumque[1] vestigia: sed comperit imas montis radices,[2] densis altisque repletas sylvis, incognito[3] genere arborum, proceritate spectabili, enodi nitore,[4] fronde cupressis simili, gravi odore,[5] et tenui obductâ lanugine, sericis velleribus nihilò viliore:[6] verticem altis etiam æstate operiri nivibus: decumis eò pervenerat castris:[7] ultra ad fluvium Ger[8]

de hâc insaniâ jam diximus in not. et emend. ad Annal. III. 52. ùbi multa de Romanorum luxu congessimus.

[1] *Satyrorumque.* Plinius, v. 1. *Eundem* Atlantem *noctibus micare crebris ignibus, Ægipanum Satyrorumque lasciviâ impleri, tibiarum ac fistulæ cantu, tympanorumque et cymbalorum sonitu strepere celebrati auctores prodidere.* Eadem fermè legas in Periplo Hannonis. *Geographi veteres*, vol. I. p. 4 et 5. Inde orta fabula, quòd pauci, qui istas regiones incolunt, homines diu propter immodicum calorem lateant, noctu ad res agendas cum facibus discurrant. Præterquàm quòd in his oris igneï halitus frequentes esse potuere. De monstrificâ Ægipanum et Satyrorum formâ vide Melam, I. 4 et 8. Plinium, v. 8.

[2] *Imas montis radices.* Africam versùs, non verò versùs mare. Unde Plinius, v. 1. *E mediis hunc* Atlantem *arenis in cœlum attolli prodiderunt, asperum, squallentem, quà vergat ad littora Oceani, cui cognomen imposuit: eundem opacum, nemorosumque, et scatebris fontium riguum, quà spectat Africam, fructibus omnium generum sponte ita subnascentibus, ut nunquam satietas voluptatibus desit.*

[3] *Incognito.* Hæ sunt arbores citri Atlanticæ, à citro seu malo Assyriâ omninò diversæ, quas non noverant Romani, licèt apud eos tanto essent in pretio. Plinius, XIII. 15. *Atlas mons peculiari proditur sylvâ . . . confines ei Mauri quibus plurima arbor citri, et mensarum insania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt.*

[4] *Enodi nitore.* Cùm in luxu una valeat raritas, apud Romanos eviluit enodis ille trunci nitor, sed ingentibus pretiis emebantur contortæ radices. Id testatur Plinius, XIII. 15. *Tuber hoc est radicis, maximèque laudatum, quod sub terrâ totum fuerit: et varius quàm quæ supernè, quæque gignuntur etiam in ramis, propriè quod tanti emitur, arborum vitium est, quarum amplitudo ac radices æstimari possunt ex orbibus.* Eamdem insaniam arguit Seneca, de Beneficiis, VII. 9. *Video istic mensas, et æstimatum lignum senatoris censu, Angl.* 10,000*l.* cò *pretiosius, quò illud in plures nodos, arboris infelicitas torsit.*

[5] *Gravi odore.* Plin. ibid. *Cupresso fœminæ sylvestri sunt similes folio, odore, caudice.*

[6] *Nihilò viliore.* Solin. XXIV. Plinius quoque, v. 1. *Tenui eas obduci lanugine: quibus additâ arte, posse, quales è bombyce, vestes confici.*

[7] *Castris.* Plin. ibid. Decimâ castrorum metatione.

[8] *Fluvium Ger.* Fluvium mediterraneum, qui Gætuliam alluit, dictum Ptolemæo, IV. 6. Γὴρ; nunc *Adjedee* appellatum. Solinus et Cl. de l'Isle, *Theatr. Histo-*

contendit per solitudines nigri pulveris, eminentibus interdùm velut exustis cautibus; locaque inhabitabilia[1] fervore, quamquam hiberno tempore, expertus: proximos saltus, elephantorum, ferarum et serpentium gregibus infestos adiit; et, à Canariis populis, qui dividuis ferarum[2] visceribus victitabant, inhabitari comperit.

29. His exploratis, rebellibusque territis magis, quàm subactis, Suetonius Romam repetiit, cum pertinaciore hoste[3] posteà dimicaturus. Cœpta verò in Mauretaniâ absolvit Cn. Hosidius Geta;[4] Salaboque, barbarorum duce, semel atque iterum devicto, et ad solitudines frustra delapso,[5] initæ tandem pacis conditiones. Duas in provincias, Tingitanam et Cæsariensem,[6] divisa est Mauretania, duobusque equestris ordinis rectoribus permissa. Conciliandi animos simul et firmandi dominationem causâ, oppidum Tingi[7] coloniam

ric. fol. 1. perperam volunt Suetonium ad fluvium, *qui Niger vocatur*, contendisse. Niger, hodie *Guin*, à fluvio Ger decem gradibus distat; at tantùm aliquot millium spatio Atlantem transgressus est Suetonius, teste Plinio, loc. cit.

[1] *Inhabitabilia.* Suetonius tamen non ultra trigesimum latitudinis gradum contendit.

[2] *Dividuis ferarum.* Atque etiam canum, unde nomen accepere, ut docet Plinius, v. 1. *Canarios appellari. Quippe victum ejus animalis promiscuum his esse, et dividua ferarum viscera.*

[3] *Pertinaciore hoste.* Cum Britannis. Vide Annal. XIV. 29 et seq.

[4] *Cn. Hosidius Geta.* Dio, LX. p. 670.

[5] *Frustra delapso.* Cùm barbari siticulosa loca semper peterent, eos, magnâ aquarum copiâ collectâ, insecutus est Geta. Eâ tamen in tantis solitudinibus deficiente, Romanus exercitus adhuc periisset, ni inopina imbrium vis per magicas artes, ut tradit Dio, LX. p. 671. seu quod libentiùs crediderim, fortè fortunâ præstò fuisset.

[6] *Tingitanam et Cæsariensem.* De hâc divisione jam dictum in Supplemento Annal. VIII. 34.

[7] *Tingi.* Hodie *Tenja*, vel *Tanger*, urbs princeps Mauritaniæ Tingitanæ, de quâ Plinius, v. 1. *Tingi, quondam ab Antæo conditum: posteà à Claudio Cæsare, cùm coloniam faceret, appellatum Traducta Julia.* De hujus urbis nomine et nummis vide Harduinum, *Select. Opera*, p. 77. Antiquitatem quoque laudat Mela, I. 5. *Tinge oppidum pervetus, ab Antæo, ut ferunt, conditum. Extat rei signum, parma elephantino tergore exsecta, ingens, et ob magnitudinem nulli nunc usuro habilis; quam locorum accolæ ab illo gesta-*

fecit Claudius; appellatumque Traducta Julia: eodem honore donatæ Cæsarea,[1] olim Jubæ regia, et Lixos,[2] fabulosissimè antiquis narrata. Deductis quoque veteranis, conditum Oppidum novum;[3] et Latium datum Tipasæ:[4] Rusucurium[5] civitate honoratum. Interim Musulanorum manu,[6] Numidiam turbare ausâ, victâ cæsâque, tranquillitas Numidiæ est reddita.

30. Romano nomine apud barbaros ita inclarescente, fame[7] in Urbe laborabatur, luxu[8] et superstitibus Caianæ

tam pro vero habent, traduntque, et inde eximiè colunt.

[1] *Cæsarea.* Nunc *Shershell.* Olim caput Mauritaniæ Cæsariensis. Plin. v. 2. *Oppidum celeberrimum Cæsarea, anteà vocitatum Iol, Jubæ regia, à divo Claudio coloniæ jure donata.*

[2] *Lixos.* In orâ maritimâ infra Tingim. Plinius, v. 1. *A Juliâ Constantiâ,* hodie *Arzilia,* 32,000. *passuum, colonia à Claudio Cæsare facta Lixos, vel fabulosissimè antiquis narrata. Ibi regia Antæi, certamenque cum Hercule: et Hesperidum horti. Affunditur æstuarium à mari flexuoso meatu, in quo draconis custodiæ instar fuisse nunc interpretantur. Amplectitur intrà se insulam, quam solam è vicino tractu aliquanto excelsiore, non tamen æstus maris inundat. Extat in eâ et ara Herculis, nec præter oleastros aliud ex illo aurifero nemore.*

[3] *Oppidum novum.* Dictum quoque Ptolemæo, IV. 2. Ὀππιδόνον κολωνία. Nunc *Sinaab,* in mediterraneâ Mauritaniâ Cæsariensi.

[4] *Tipasæ.* Plin. loc. cit. Tipasa, nunc *Tefessad,* prope Cæsaream versùs Orientem fuit. De jure Latii vide quæ dicta sunt in not. et emend. ad Annal. XI. 23.

[5] *Rusucurium.* Plin. v. 2. Rusucurium, hodie *Dellys,* in Mauritaniâ Cæsariensi, honoratum à Claudio civitate. De jure civitatis Romanæ dictum in not. et emend. ad Annal. XI. 23.

[6] *Musulanorum manu.* De hâc validâ Africæ gente vide Annal. II. 52. Paucis Aurel. Victor. in Claud. *Cæsa Musulamiorum manus.* Pluribus Dio, LX. p. 671. Sed sine gentis appellatione.

[7] *Fame.* Dio, LX. p. 671. validæ hujus famis, Λιμῷ τι ἰσχυρῷ, meminit. Ea est ipsa fames, ab Agabo prædicta, de quâ D. Lucas in Act. Apostol. XI. 28. Ἀναστὰς δὲ εἷς ἐξ αὐτῶν, ὀνόματι Ἄγαβος, ἐσήμανε διὰ τοῦ πνεύματος, λιμὸν μέγαν μέλλειν ἔσεσθαι ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην· ὅστις καὶ ἐγένετο ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος.

[8] *Luxu.* De Romanorum luxu dictum satis in not. et emend. ad Annal. III. 52.

stultitiæ[1] reliquiis magis, quàm terrarum infœcunditate.[2] Princeps innatâ bonitate, metuque plebis,[3] numquam insolentioris, quàm cùm eâ tumultuandi occasione abutitur, publicæ penuriæ in præsentiâ subvenit,[4] negotiatoribus[5] lucri spe excitatis, et suscepto in se damno, si quid per tempestates accidisset. Facilius majusque incitamentum, honores addidit: civibusque, qui naves mercaturæ causâ fabricarent, vacationem[6] Legis Papiæ Poppææ; Latinis[7] jus Quiritium;[8] fœminis[9] jus quatuor liberorum[10] constituit.

[1] *Caianæ stultitiæ.* Caligulæ stultitiam in Puteolano ponte exstruendo memoravimus in Suppl. Annal. VIII. 10 et seq. De hâc quoque Aurelius Victor in Claud. *Adhuc* à Claudio *annonæ egestas composita, quam Caligula induxerat, dum adactis toto orbe navigiis, pervium mare theatris curribusque damno publico efficere contendit.*

[2] *Terrarum infœcunditate.* Fuere quidem per multos annos *assiduæ sterilitates*, ut loquitur Suetonius in Claud. XVIII. Ægyptum tamen non fuisse hoc anno infœcundam arguere videtur Claudii nummus, quem protulit Harduinus, *Select. Opera.* p. 718. TI. KAAY. KAI—id est, *Tiberius Claudius Cæsar*, caput Claudii laureatum. In aversâ parte, sex spicæ, fertilitatis Ægyptiæ symbolum, AYTOKPA. E. B. id est, *imperii anno secundo.*

[3] *Metuque plebis.* De cujus insolentiâ dixìmus Annal. XII. 43.

[4] *Subvènit.* Inde tot nummi Claudii, in quibus exhibetur vel vas frumentarium cum spicis, vel CERES AVGVSTA.

[5] *Negotiatoribus.* Hæc et seq. Sueton. in Claud. XIX.

[6] *Vacationem.* Ne forent obnoxii pœnis legis Papiæ Poppææ de cœlibibus. De illâ lege jam egimus supra cap. 26. et fusiùs in not. et emend. ad Annal. III. 28.

[7] *Latinis. Latini*, ut docet Caius Institut. I. Tit. 1. n. 2. *sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur.* Libertas illa Latina introducta A. U. C. 772. lege Juniâ Norbanâ.

[8] *Jus Quiritium.* Civitatem Romanam, habet Ulpianus Tit. III. n. 6. ubi ipsum Claudii edictum memorat his verbis. *Nave Latinus civitatem Romanam accepit, si non minorem, quàm decem millia modiorum navem fabricaverit, et Romam sex annis frumentum portaverit, ex edicto divi Claudii.* Navem, quæ decem millia modiorum contineret, nos diceremus *a vessel of ninety tons.* De modio Romano jam egimus supra Annal. II. 87. De Jure Quiritium Civitateque Romanâ, vide not. et emend. ad Annal. XI. 23.

[9] *Fœminis.* Intellige de libertabus. Ingenuis enim fœminis tres sufficiebant liberi. Vide quæ diximus in not. et emend. ad Annal. III. 28. ubi multa de lege Papiâ Poppææ.

[10] *Jus quatuor liberorum.* Hoc jure libertæ patroni tutelâ libera-

Quæ quidem in tantâ legum mutatione duravere,[1] usu et necessitate defensa.

31. FUTURI quoque providus, et veritus ne, ob tempestatum adversa et importuosum mare, eadem rediret frugum egestas, opera duo pari et inenarrabili impendio, utilitate et exitu dispari adgressus est. Agros enim Romanos, infinitis villarum spatiis in dies magis arctatos, lacum Fucinum[2]

bantur, sui juris vivebant, sine tutorum auctoritate testabantur, res suas administrabant, tutò capiebant quidquid eis testamento esset legatum. Huc spectat Ulpianus, Tit. XXIX. n. 3. *Libertas, quatuor liberorum jure, tutelâ patronorum* liberari—*jam posse eas sine auctoritate patronorum testari.* Jure illo fruebatur Zosima, cujus memoria extat apud Gruterum, p. 631. 2.

PERSICVS. LIBERTVS. MANVMISSVS....C. CORNELIO. PERSICO. F. HABENTI. EQVVM. PVBLICVM. CORNELIAE. ZOSIMAE. MATRI. EIVS. HABENTIVS. QVATVOR. LIBER. BENEFICIO. CAESAR. LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQ. SVIS. EORVMVE.

id est, *habenti jus quatuor liberorum beneficio Cæsaris.* At non confundenda cum hoc beneficio personali lex generalis, quam Claudius tulit ut matres liberis suis succederent. Quâ quidem de lege agit Justinianus, III. Tit. III. 1. *Lex duodecim Tabularum ita stricto jure utebatur, et præponebat masculorum progeniem, et eos, qui per fœminini sexûs necessitudinem sibi junguntur adeò expellebat, ut ne quidem inter matrem et filium filiamve ultro citroque hereditatis capiendæ jus daret—sed hæ juris angustiæ posteà emendatæ sunt. Et primus quidem divus Claudius matri ad solatium liberorum amissorum legitimam eorum detulit hereditatem.* Posteà Hadriani tempore, matribus adhuc magis consultum senatusconsulto Tertulliano. De his omnibus vide eruditum Heineccium, *Antiq. Roman. Jurisprud.* III. Tit. 3.

[1] *Mutatione duravere.* Suetonius in Claud. XIX. *Quæ constituta hodieque servantur.*

[2] *Lacum Fucinum.* Hodie *the lake of Celano*, quem *magnitudine, mari similem*, πελαγίᾳ τὸ μέγεθος, dixit Strabo, v. p. 240. Quadraginta circiter millia passuum ambitu continet. De hujus lacûs emissione, ægrè post undecim annos absolutâ, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus, jam diximus multa in notis ad Annal. XII. 56. Qui verò accuratissimam stupendi hujusce operis descriptionem voluerit, adeat eruditam dissertationem ab erudito Fabretti scriptam *de Emissario lacûs Fucini.* Raph. Fabret-

emittendo augere incassum molitus est, prodigentiæ reus adversùs luxuriam invalidus.[1] Portum verò Ostiensem[2] à divo Julio[3] sæpe destinatum, semper ob difficultatem omissum, nec nisi Trajani,[4] Principis optimi, auspicio absolvendum, feliciùs cœpit. Primùm repugnavere architecti.[5] Sed vicit Principis auctoritas. Immensùm egesta terra;[6] mareque immissum.[7] Grande adhuc accessu

ti de Columnâ Trajani Syntagma, p. 385 et seq. Errat verò Dio, LX. p. 672. cùm ait lacum Fucinum fuisse emissum, ut magis navigabilis fieret Tiberis. In Lirim, hodie *Garigliano* emissus est: in Tiberim numquam potuit emitti. Peractum à Claudio emissarium olim meditatus fuerat Augustus; sed abstitit, victus precibus Marsorum, qui lacu utebantur. Idem consilium agitaverat Julius Cæsar, teste Suetonio in Jul. XLIV. *Siccare Pomptinas paludes, emittere Fucinum lacum* cogitabat.

[1] *Invalidus.* Quantula enim hæc! quàm imbecilla adversùs luxuriam omnia vastantem remedia!

[2] *Ostiensem.* Manet quidem nomen, *Porto.* At portus ipse, cùm per sexcentos et ampliùs annos durâsset, Barbarorum bellis, Romanorum incuriâ, ruderibus limoque obductus, penitus periit. Nuncque rus est, ubi fuit olim portus Romanorum celeberrimus. Egregiam ejus descriptionem et ichnographiam vide apud Cornelium Meyer, *l'Arte di restituire a Roma la tralasciata navigatione del suo Tevere.* Tab. 2.

[3] *A divo Julio.* Sueton. in Claud. XX. Fusiùs Plutarchus in Jul. p. 735. τῇ δὲ ἴγγιστα τῆς Ῥώμης θαλάσσῃ κλεῖθρα διὰ χωμάτων ἐπαγαγὼν δὲ τὸ τυφλὸ καὶ δύσορμὸ τῆς Ὠστιανῆς λιμένος ἀναπαθηράμενος, λιμένας ἐμποιήσασθαι καὶ ναύλοχα τῇ τοσαύτην ἐξέπιστα ναυτιλίαν. *Proximo Urbi mari claustra aggeribus imponere, cæcumque et importuosum Ostiæ littus repurgare, ac portus ibi moliri stationesque tantæ sufficientes navigationi.*

[4] *Nec nisi Trajani.* Nero quidem, inter Claudii et Trajani tempora interjectus, portum illum plurimis ornamentis auxit; unde tot ejus nummi, in quibus portus navesque et columna exhibentur cum hâc Inscriptione, superiùs AVGVSTI, inferiùs SPQROSTC. id est, *Augusti Portus Ostiensis senatûsconsulto.* Sic enim cognominabatur ut videre est apud Dionem, LXXV. p. 858. Trajanus verò non tantùm ornamenta, sed portum alterum addidit, qui quoque periit. Hujus laudes vide apud Plinium, VI. Ep. 31. Olim dicebatur *Portus Trajanus*, Ptolemæus, III. 1. Loco adhuc manet nomen *Porto Trajano.*

[5] *Architecti.* Immensas fore impensas causantes.

[6] *Egesta terra.* Dio, LX. p. 672. Ob importuosum mare opus fuit multam terram egerere, ut aperiretur portus.

[7] *Immissum.* Unde Juvenalis, Satyr. XII. 75.

Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia tursum

ubstructionis miraculum,[1] cùm navis,[2] omnium maxima, quâ Caius obeliscum, qui in Vaticano Circo[3] visitur, ex Egypto importaverat, tribus molibus turrium altitudine in â exædificatis Puteolano pulvere,[4] demersa est, ut Pharus,[5] Alexandrini æmulus, superponeretur. Tantas inter operas ors obtulit spectaculum, raritate et celebritate memorandum.[6]

luæ pelago currunt medio, longèque relinquunt
Italiam. Non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit.

[1] *Miraculum.* Dio, ibid. Sueton. in Claud. xx. *Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextrâ sinistráque brachio, et ad introitum profundo jam solo mole objectâ: quam quò stabiliùs fundaret, navem antè demersit, quâ magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.*

[2] *Navis.* Illam egregiè commendat Plinius, xvi. 40. *Abies admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto Caii principis jussu, obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit: quâ nave nihil admirabilius visum in mari certum est:* 120,000. *modiûm lentis pro saburrâ ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magnâ ex parte Ostiensis portûs latere lævo. Ibi namque demersa est à Claudio principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in eâ exædificatis obiter Puteolano pulvere, advectisque. Arboris ejus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat.* Paucis eadem repetit Plinius, xxxvi. 9. n. 4.

[3] *In Vaticano Circo.* De Circo et obelisco dictum est supra Annal. xiv. 14.

[4] *Puteolano pulvere.* Hodieque appellatur *Pozzolana:* nomen ducit à Puteolis, nunc *Pozzuolo*, urbe Neapoli vicinâ. Puteolani pulveris hæc est natura, ut si aquam attingat, saxum fiat. Unde Plinius, xxxv. 13. *Quis enim satis miretur pessimam ejus* terræ *partem, ideoque pulverem appellatum in Puteolanis collibus, opponi maris fluctibus: mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis, et fortiorem quotidie, utìque si Cumano misceatur cæmento.*

[5] *Pharus.* Locus, ubi fuit Alexandriæ Pharus, adhuc vocatur *Torre Alessandrina.* Quanta fuerit tum Ostiensis, tum Alexandrini phari magnificentia, inde æstimare licet, quòd in Alexandriæ pharo fuerit turris, quæ constitit octingentis talentis, *Angl.* 180,000*l.* teste Plinio, xxxvi. 12.

[6] *Memorandum.* Historiam narrat Plinius, ix. 6. testis ipse oculatus. *Orca et in portu Ostiensi visa est, oppugnata à Claudio principe. Venerat tunc ex ædificante eo portum, invitata naufragiis tergorum advectorum è Galliâ, satiansque se per complures dies, alveum in vado sulcaverat, accumulata fluctibus in tantum, ut circumagi nullo modo posset: et dum saginam persequitur, in littus fluctibus propulsa, emineret dorso multùm supra aquas carinæ vice inversæ. Prætendi jussit Cæsar plagas multiplices inter ora portûs: profectusque ipse cum prætorianis co-*

Orca,[1] carnis immensæ, dentibus truculenta, portu subiit. Per complures dies satiata naufragiis tergorum Galliâ advectorum, vado tam profundùm incubuit, t circumagi nequaquam posset. Dum saginam persequitu fluctibus in littus propulsa, dorso supra aquas inversæ car næ instar eminuit. Admirationi, dein ludo, patuit bellu Adstante Principe, comitantibus cohortibus prætoriis spectante populo Romano, cum monstro à multo milit dimicatum. Numerosa lancearum vis congesta è navigii adsultantibus, quorum unum, reflatu belluæ oppletu undâ, periit.

32. ALIA ludorum genera, Romæ habita, non ferino sed humano furore, Principisque dedecore fœda, in Urbi luctum citò erupere. Nam certamina, stante republicâ ad duranda corpora et erigendos animos instituta, vigent dominatione, efferavere Principes, qui ex funerum adsue tudine ad atrocia libita insolescebant. In his gladiatorii muneribus, insitam naturâ et literis humanitatem Claudiu exuit[2] tanto faciliùs, quòd se primùm servilis audaci

hortibus populo Romano spectaculum præbuit, lanceas congerente milite è navigiis assultantibus, quorum unum mergi vidimus, reflatu belluæ oppletum undâ. Imperante Septimio Severo, cetus portum illum adhuc appulit; tantæ autem magnitudinis, ut ejus effigies, in amphitheatrum introducta, quinquaginta ursos caperet, Κῆτος ὑπερμεγεθὲς ἐς τὸν τῆ Αὐγούστου ἐπίκλην λιμένα ἐξώκειλε, καὶ ἐάλω, καὶ τὸ μίμημα αὐτῆ ἐς τὸ κυνηγέσιον εἰσαχθὲν, πεντήκοντα ἄρκτους εἶσω ἐδέξατο.

[1] *Orca.* Orca est *a whale with teeth.* Eruditus Shaw, *Voyages*, vol. I. p. 335. memorat orcam, sexaginta pedes longam, sub muros urbis *Algiers* ante aliquot annos projectam. Quod Algerianis ita portentosum visum est, ut ne quid exitii regno suo immineret, metuerent.

[2] *Claudius exuit.* Id quoque adnotavit Cl. de Montesquieu, *Considérations sur les causes de la grandeur des Romains et de leur décadence*, cap. XV. p. 155 et 156. verasque causas attulit cur apud nos sit humanitas, dum apud Romanos tanta viguit crudelitas. Suetonius, hominum rudis, licèt multa scripserit, quibus in eorum notitiam venire potuisset, perperam ait in Claud. XXXIV. eum *sævum et sanguinarium naturâ fuisse.*

vindicem esse gloriabatur, et eo sanguine gaudebat populus. Servos ergò libertosque, falsis in dominos criminationibus, Tiberio Caioque imperitantibus, famosos, feris objecit.[1] Rei quidem, verùm aliis pœnarum generibus multandi, cecidere tam multi, ut Augusti statuam, eò loci positam, aliò transferri jusserit,[2] ne vel cædes semper inspicere videretur, vel semper velata esset. Haud erubescente Principe ea jubere et spectare, quibus æream Augusti imaginem interesse, cum puderet.

33. Tot cædibus obduruit:[3] sæpe ausus imperare, gladiatores,[4] ac maximè retiarios[5] jugulari, ut exspirantium facies videret. Mox à facinorosis vilioribusque capitibus ad meliora nobilioraque impetum cepit, Messalinâ et libertis crudelitatis instinctoribus; ac, si quid hæsitaret, metu imminentis periculi[6] ad audaciam impellentibus. C. Appium Silanum,[7] Hispaniæ rectorem, iis artibus circumvenere.

[1] *Feris objecit.* Dio, lx. p. 673.

[2] *Aliò transferri jusserit.* Dio, ibid.

[3] *Obduruit.* Hæc tamen tam pudenda, tam horrenda cùm agerentur, Seneca exul, Consol. ad Polyb. xxvi et xxxvi. appellabat Claudium Principem *maximum, mitissimum, omnium Principum mitissimum.* Quod calamitosi ingenii propudium!

[4] *Imperare, gladiatores.* Suetonius in Claud. xxxiv. Alia multa id genus probra ibidem narrat, quæ indignationem moveant. Nihil enim Principem magis dedecet, quàm crudelitas.

[5] *Retiarios.* Retiarii, armati rete et tridente, cum secutoribus, seu myrmillonibus, pugnabant. In eo posita retiariorum ars, ut myrmillonum capita rete suo implicarent. Pòst eos prosternebant, et tridente perfodiebant. Retiarii imaginem vide apud Cl. Gori, *Inscript. Antiq.* vol. iii. p. 99.

[6] *Imminentis periculi.* Ad cetera Claudii vitia accessit illud in Principibus maximum, quòd *nihil æquè quàm timidus ac diffidens fuit.* Sueton. in Claud. xxxv. Inde *nulla adeò suspicio, nullus auctor tam levis extitit, à quo non mediocri scrupulo injecto ad cavendum ulciscendumque compelleretur.* Sueton. in Claud. xxxvii. Ita animatus Princeps *totum ex magnâ parte principatum, non tam suo, quàm uxorum libertorumque arbitrio administravit: talis utique plerumque, qualem esse eum aut expediret illis, aut liberet,* Sueton. in Claud. xxv. Infelix, qui semper vel novis terriculamentis, vel patratorum scelerum conscientiâ exagitaretur. Dio, lx. p. 674.

[7] *C. Appium Silanum.* Historiam paucis narrat Suetonius in

A Principe accitus, in Urbem redierat; acceptâque in matrimonium matre Messalinæ, summa erat adepturus, si ipsi minus virtutis, Messalinæ minus libidinis fuisset. At eam, ne materni quidem thalami reverentem, aversatus, despectam cupidinem in odium tanto implacabiliùs, quanto turpiùs, vertit. Cùm tamen nihil esset criminis, quod objiceretur, adversùs eum per commenta grassari consenserunt Messalina et Narcissus; divisasque inter se partes ita sunt exsecuti.

34. NARCISSUS, similis attonito, Claudii cubiculum ante lucem inrupit,[1] adfirmans "somniâsse se vim Principi ab "Appio inlatam." Messalina, in admirationem formata, "sibi quoque eamdem speciem aliquot jam noctibus obver-"sari" retulit. Nec multo pòst ex composito "inrumpere "Appius" nuntiatur, cui pridie ad id temporis ut adesset præceptum erat: quasi planè repræsentetur somnii fides, "arcessi statim ac mori" jubetur. Postero die Claudius, fraudis, nedum sceleris, minimè suspicax, ordinem rei gestæ pertulit ad senatum, ac liberto gratias egit "quòd "pro salute suâ etiam dormiens excubaret."

35. TUM omnes indignari: Principem, imbecillitate crudelem, formidare. Proceres, quibus plus imminet periculi, et majores sunt spes, novas res meditantur. Annius Vinicianus,[2] harum appetens, sed, quòd deerant milites, movendis impar, Furium Camillum Scribonianum, Dalmatiæ legatum, ad defectionem literis solicitat:[3] eò faciliùs

Claud. XXXVII. pluribus Dio, LX. p. 674. Silanus consocer Claudii dicitur Suetonio in Claud. XXIX. quòd filium suum Octaviæ desponsâsset.

[1] *Inrupit.* Hæc totidem fermè verbis Suetonius in Claud. XXXVII.

[2] *Annius Vinicianus.* Dio, LX. p. 674. Jam sub Tiberii principatu majestatis postulatus fuerat Vinicianus, ut vidimus supra Annal. VI. 9. Post Caii cædem eum imperio dignum visum fuisse tradit Dio, loc. cit.

[3] *Solicitat.* Dio, ibid. De hâc

ad consilia traxit, quòd imperii avidus esset, nec indignus haberetur, legionesque cum multis auxiliis suppeterent. Permotæ ducis auctoritate, novitatis inlecebrâ, mutant sacramentum.[1] Senatores plurimi et equites, eadem partes secuti, Dalmatiam petunt.

36. SCRIBONIANUS, adspirantis fortunæ initiis elatior, ratusque timidam Claudii mentem citra bellum terreri posse, eum contumeliosâ minacique epistolâ "cedere imperio"[2] jubet, "vitamque otiosam in privatâ re agere." Mobilis Cæsar jam dubitabat, adhibitis principibus viris,[3] an obtemperaret, cùm nuntiatum est "Scriboniani fortunam evani-"dam periisse: legionum neque aquilas ornari,[4] neque "signa convelli moverique potuisse: milites Deûm metu, "violatæ fidei pudore in pœnitentiam conversos, Claudii "imagines adorâsse, renovâsse sacramentum. Scribonia-"num, amentem animi, in Issam insulam[5] profugisse; "ibique à Volaginio, in uxoris gremio, occisum[6] quinto "rebellionis die."

quoque defectione scripsere Suetonius in Claud. XIII. Tacitus Annal. XII. 52.

[1] *Sacramentum.* Quod priùs Claudio dixerant.

[2] *Cedere imperio.* Sueton. in Claud. XXXV.

[3] *Principibus viris.* Suet. ibid.

[4] *Aquilas ornari.* Ob novi principatûs initia, aquilas signaque ornare voluere milites: quo de usu diximus supra Annal. III. 2. Rem ferò narrat Suetonius in Claud. XIII. *Bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiæ legatus: verùm intrà quintum diem oppressus est, legionibus, quæ sacramentum mutaverant, in pœnitentiam religione conversis, postquàm renuntiato ad novum imperatorem itinere, casu quodam, an divinitùs, neque aquilæ ornari, neque signa convelli moverique potuerunt.*

[5] *Issam insulam.* In orâ Illyrici, de quâ Plinius, III. 26. *Issa civium Romanorum, et cum oppido Pharia.* Hodie appellatur *Lesina.*

[6] *Occisum.* Juxta Dionem, LX. p. 674. Scribonianus voluntariam mortem oppetiit, ἑκούσιος ἀπέθανε. Sed potior fides habenda Tacito, Hist. II. 75. eum à Volaginio, gregario milite, occisum scribenti. *Propter adventum Apostoli Petri Romam, et tenera Christianorum germina, vix dum adhuc pauca ad sanctæ fidei professionem erumpentia, hanc exorientem tyrannidem et consurgens istud civile bellum esse compressum* contendit pius Orosius, VII. 6. Adventitiis istis et incertis

37. TALIBUS nuntiis è timiditate ad securitatem revocatus Princeps, Volaginium è gregario milite ad summa militiæ provexit;[1] atque, ut exercituum fidem consecraret, præter solita præmia voluit "legiones septimam et undecimam "Claudianas,[2] pias, felices à senatu appellari;"[3] laudem providi Principis reportaturus, si, punitis flagitii repertoribus, ceteros dissimulâsset, aut clementiâ devinxisset. At Messalina et liberti, arreptâ hâc sæviendi et in quorumvis fortunas involandi occasione, eum ad immodicam severitatem exasperârunt.[4] Vinicianus aliique plurimi voluntariâ morte judicium antevenere.[5] Ceteri, senatores, equites, viri ac mulieres custodiis carceribusve[6] attinebantur: ad indicium attracti non modò servi ac liberti, sed ingenui quoque tum peregrini, tum cives: nonnulli etiam senatorii et equestris ordinis tormentis subditi, licèt, ineunte principatu, "se nemini libero[7] tormenta adhibiturum" jurâsset

argumentis minimè indiget certa et inconcussa Christianorum fides. Vidi nummum hujus Scriboniani, ex ære magno, sed spurium. In anticâ parte, FVRIVS CAMILLVS. Caput Scriboniani diadematum. In posticâ, miles dextrâ, hastæ, sinistrâ, clypeo innititur.

[1] *Provexit*. Tacit. Hist. II. 75.

[2] *Claudianas*. Ideo septima legio *Claudiana* dicitur Tacito Hist. II. 85. Eadem nuncupatio occurrit in nummis Gallieni à Bandurio, *Numismat. Imper. Rom.* vol. I. p. 168. laudatis LEG. VII. CL. VII. P. VII. F. id est, *legio septima Claudiana, septimùm pia, septimùm fidelis*. LEG. XI. CL. VI. P. VI. F. id est, *legio undecima Claudiana, sextùm pia, sextùm fidelis*.

[3] *A senatu appellari*. Dio, LX. p. 674. Τό τε ἕβδομον καὶ τὸ ἑνδέκατον (στρατόπεδον), καὶ Κλαυδίεια, καὶ Πιστὰ, καὶ Εὐσεβῆ, καὶ πρὸς τῆς βουλῆς ὀνομασθῆναι.

[4] *Exasperârunt*. Ita ut ultioni tantùm intentus, militibus signum petentibus sæpe daret versum hunc Homericum, Odyss. XVI. 72.

Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.
Ulcisci fas est, si quis nos læserit antè.

Vide et Suetonium in Claud. XLII.

[5] *Antevenere*. Dio, LX. p. 675.

[6] *Custodiis carceribusve*. De iis diximus supra Annal. III. 22.

[7] *Nemini libero*. Hæc omnia Dio, loc. cit. Apud læsum Principem juramento validior lex Julia, de quâ Julius Paulus, Sentent. V. Tit. 29. *In reum majestatis inquiri priùs convenit, quibus opibus, quâ factione, quibus hoc auctoribus fecerit: tanti enim criminis reus non obtentu adulationis alicujus, sed ipsius admissi causâ puniendus*

Claudius. Ipse, medius inter consules, sellâ curuli aut tribunicio subsellio sedens, adstantibus prætorii præfectis, præsentibus libertis, ad senatum referebat, læsamque majestatem ulciscebatur.

38. PRÆTER viros, fœminæ complures in carcere supplicio adfectæ;[1] quod fœdius,[2] aliæ, captivarum instar, vinclis onustæ, ad tribunal protrahebantur, earumque corpora in Gemonias projiciebantur. Enectorum verò extra Urbem capita tantùm[3] exposita. Liberis vita,[4] quibusdam paterna bona[5] permissa. Sed odium severitatis auxit nocentissimorum impunitas, quam à Messalinâ et libertis favore et pecuniâ redemere;[6] ut scelere, ita et grafiâ infames.

39. FERALEM scenam paucorum fortitudo illustravit. Hos inter famam promeritus est Galæsus,[7] Scriboniani[8] libertus: inductus enim in curiam multa locutus est liberè. A Narcisso autem, in medium prorumpere auso, interrogatus, "quidnam ageret, si Scribonianus imperaret;" forti responso, "à tergo adstans, tacerem," ejus insolentiam retudit.

est. Et ideo cùm de eo quæritur, nulla dignitas à tormentis excipitur.

[1] *Supplicio adfectæ.* Hæc et seq. Dio, ibid.

[2] *Fœdius.* Fœditas enim atrox fœminas vinclis onerari, ad tribunal protrahi, cæsarumque corpora in Gemonias projici.

[3] *Capita tantùm.* Et hi erant viri honestissimi. Nam, ut docet Paulus, loc. cit. *Humiliores bestiis objiciuntur, vel vivi exuruntur; honestiores capite puniuntur.* Non in Urbe, sed extra Urbem plectebantur. Vide Annal. I. 61. et XV. 67.

[4] *Vita.* Imperante Tiberio in Sejani liberos acerbè sævitum, ut vidimus in Suppl. Ann. v. 43 et 49.

[5] *Paterna bona.* Dio, LX. p. 675. Non omnibus, sed quibusdam tantùm paterna bona permissa sunt, quòd reorum majestatis bona vel fisco, vel ærario addicebantur. Crevit pœna, imperantibus Arcadio et Honorio, qui non modò reorum majestatis bona fisco adjudicavere, sed eorum quoque liberos ab omni hereditate et dignitate exclusere, ut semper miseri tædium vitæ, mortisque cupiditatem, in paterni sceleris pœnam et odium, passim circumferrent.

[6] *Redemere.* Dio, ibid.

[7] *Galæsus.* Rem narrat laudatque Dio, ibid. In mediam curiam, et ante Principem prorumpere ausus est Narcissus.

[8] *Scriboniani.* Galæsus libertus erat Furii Camilli Scriboniani, de quo supra cap. 35.

40. At memoriam omnem vicit Arria,[1] Cæcinæ Pæti uxor. Jam plurimâ laude[2] nobilis, et apud Messalinam acceptissima, potuisset se à marito, Scribonianæ conjurationis socio, segregare, et superstes vivere. Sed vitâ morti posthabitâ, cùm Pætus, occiso Scriboniano, navem esset ascensurus ut Romam traheretur, ipsa milites oravit, "ut "simul imponeretur."[3] "Daturi," inquit, estis consulari "viro[4] servulos aliquos, quorum è manu cibum capiat, à "quibus vestiatur, à quibus calcietur: omnia vel sola præstabo." Re non impetratâ, conducit piscatoriam naviculam, ingensque navigium minimo sequitur.

41. Mox, cùm Romam venit, causam apud Claudium dicit; uxoremque Scriboniani, indicium profitentem,[5] increpans, "ego," inquit, "te audiam, cujus in gremio Scri- "bonianus occisus est, et vivis?" Tantam animi ferociam miratur et timet Thrasea,[6] ejus gener; quæque sibi evenirent quasi præscius, deprecatur "ne mori pergat: filiam- "que suam cum marito,[7] si sibi pereundum quoque fuerit, "mori cogat." Arria, tanto animosior, quanto filia carior, respondet, "si tam diu tantâque concordiâ vixerit tecum, "quàm ego cum Pæto, volo."[8]

42. Aucta hoc responso suorum curâ, attentiùs custoditur. Id sentit, et queritur, "eos nihil agere: posse qui-

[1] *Arria.* Ejus historiam paucis memorat Dio, ibid. Tacitus Annal. xvi. 34. Pluribus Plinius, Epist. iii. 16. quam totam epistolam edidimus inter Testimonia Veterum.

[2] *Plurimâ laude.* Constantiæ imprimis, quam in morte filii et mariti morbo fortiter probavit. Vide Plinium, loc. cit.

[3] *Simul imponeretur.* Hæc et seq. totidem fermè verbis Plinius, loc. cit.

[4] *Consulari viro.* Fuerat ergò Pætus consul suffectus. Ejus enim nomen nusquam in Fastis occurrit.

[5] *Indicium profitentem.* Conjurationis socios indicantem.

[6] *Thrasea.* Thrasea Pætus, quem Nero, scelerum suorum non satis certus, nisi virtutem ipsam exscinderet, interfecit; ut fusè narratum Annal. xvi. 21 et seq.

[7] *Cum marito.* Thraseâ, qui Arriam, Arriæ filiam uxorem duxerat.

[8] *Volo.* Hæc omnia Plinius, loc. cit.

" dem efficere, ut malè moriatur: ne moriatur, non posse."[1] Hæc vix effata, exsilit cathedrâ; adversoque parieti capite ingenti impetu impacto, corruit sensûs expers, constantiæ tamen haud immemor. Nam refocillatæ prima verba fuere: " dixeram vobis inventuram me quamlibet duram ad " mortem viam, si vos facilem negâssetis." Tam acriter suprema tentantem fors juvit. Extremâ enim necessitate marito nuntiatâ, percussorem exosus, nec tamen mortis satis firmus, pugione pectus prætentabat. Testis Arria ferrum stringit, perfodit pectus, extrahit pugionem, porrigit marito? additâque voce,[2] "Pæte, non dolet;"[3] occumbit.

43. Absimili, sed æquè singulari facto Lucius Otho[4] inclaruit. Recti enim pervicax, ausus est in Illyrico milites quosdam, quòd motu Scriboniani ex pœnitentiâ præpositos suos, quasi defectionis adversùs Claudium auctores, occiderant, capite punire,[5] et quidem ante principia,[6] se coram: quamvis ob id ipsum promotos in ampliorem gradum à Claudio sciret. Gloriam apud militaris disciplinæ peritos adeptus, gratiam apud Principem minuit. Hanc, retectis nefariis Romani equitis adversùs eum consiliis, ut anno proximo opportuniùs expediam,[7] non modò recuperavit, sed

[1] *Non posse.* Plinius, ibid.

[2] *Voce.* Vocem illam *immortalem ac pœnè divinam* appellat Plinius, ibid. Quantum in hâc Stoicâ ferociâ insanierint Veteres omnibus compertum, satisque diximus in not. et emend. ad Annal. VI. 29.

[3] *Non dolet.* Verbo, fortitudinis pleno, nescio quid urbanitatis malè addidit Martialis, Epigramm. I. 14.

Casta suo gladium cùm traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis,
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit:
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

[4] *Lucius Otho.* Pater M. Othonis, qui posteà fuit Imperator.

[5] *Capite punire.* Hæc omnia totidem verbis Suetonius in Othone, 1.

[6] *Ante principia.* De principiis, loco castrorum sacratissimo, dictum supra Annal. I. 61.

[7] *Expediam.* Infra cap. 49.

etiam auxit, magnâ priscæ severitatis, maximâ infractæ fidei laude. Hoc anno, uno è tribunis plebis defuncto, ceteri, quamquam præsentibus consulibus, senatum coegere[1] ut alter sufficeretur.

A. U. C. 796. J. C. 43.

44. TIBERIO Claudio Cæsare III. et L. Vitellio II. consulibus,[2] festorum solemniumque dierum numerus in immane creverat.[3] Malum pietate cœptum, auctum licentiâ, gliscens in dies adulatione, repressit Cæsar, non extinxit:[4] immo moribus ad inaniora delabentibus, revaluit[5] cum majore religionum et imperii detrimento. Abolita simul reliqua Caii dominationis opprobria: quæque vel nefariè, vel immeritò donaverat, aut rapuerat, restituta.[6] Curatoribus viarum præter dignitatem reddita quoque pecunia, quam damnationibus et hastâ extorserat Corbulo.[7] Paululum mollitâ lege,[8] edictum "ut provinciarum rectores ante medium "Aprilem ex Urbe in provincias suas discederent."

[1] *Senatum coegere.* Dio, LX. p. 676.

[2] *Consulibus.* Tiberius Claudius Cæsar III. L. Vitellius II. consules fuere A.U.C. 796. J.C. 43. In vetere inscriptione apud Muratori, *Thesaur. Inscript.* vol. I. p. 304. TI. CLAVDIO. CAES. III. L. VITELLIO II. COS.

[3] *Creverat.* Dio, LX. p. 676.

[4] *Non extinxit.* Immo tam citò recruduit, ut, Nerone principatum ineunte, adhuc consultatum, ut dividerentur sacri et negotiosi dies, queis divina colerentur, et humana non impedirentur, ut dictum est Annal. XIII. 41.

[5] *Revaluit.* Ita ut totus fermè annus vel sacris, vel ludis absumeretur, ut patet ex veteribus Kalendariis. Quantum inde et religionum et commercii detrimentum emergeret facile cuivis æstimare. Saltem, ne hâc pietatis specie fas jusque vanesceret, M. Aurelius Antoninus posteà *fastis dies judiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret.* Jul. Capitolin. in M. Antonin. X.

[6] *Restituta.* Dio, loc. cit.

[7] *Corbulo.* De quo jam dictum supra in Suppl. Annal. VIII. 2.

[8] *Mollitâ lege.* Anteà enim fuerat sancitum, ut ante Kal. April. ex Urbe proficiscerentur, ut vidimus supra cap. 26.

45. AT sævitum in Lycios,[1] qui, exutâ veteri modestiâ, exitialibus inter se discordiis laborabant, et Romanos aliquot occiderant. Iis ademta libertas, quam olim constantiâ et fide, piratis[2] maria omnia infestantibus, erant promeriti. Lycia contributa Pamphyliæ tum tanto fideliori, quòd ante Cn. Pompeii[3] victoriam fuerat cum piratis latrociniorum socia.

46. DUM Claudius hâc de re in curiâ cognoscebat, Lycium quemdam,[4] civem Romanum, Latinè adlocutus, eum Romani sermonis rudem esse indignatus est, jurequę civitatis privavit: semper, utì adsolent impotentes Principes, indecora inter et decora ambiguus. Nam simul, iniquas grassandi artes exosus, ne criminationibus civium Romanorum jus violaretur vetabat:[5] simul levissimis de causis jus illud vel ipse adimebat, vel ita abjectè publicabat "ut vitreis "fractis venale,"[6] diceretur. Majore adhuc licentiâ, et quovis pretio apud Messalinam et libertos prostabat. Sic nomen, quantâ cum imperii utilitate, tantâ Urbis laude, cum præ-

[1] *Sævitum in Lycios.* Dio, LX. p. 676.

[2] *Piratis.* De Piratico bello diximus supra Annal. XII. 62. In hoc bello quàm strenui fidelesque Romanis fuerint Lycii, quàm verò infida Pamphylia docet Strabo, XIV. p. 664 et 665.

[3] *Cn. Pompeii.* Qui oram maritimam à prædonibus liberavit, et imperium maris populo Romano restituit, Plin. VII. 26. Vide quoque Plutarch. in Pompeio, p. 642.

[4] *Lycium quemdam.* Id tradit Dio, LX. p. 676. Fortè Claudius gloriabatur se hâc in re imitari Augustum, qui traditur *legato consulari successorem dedisse, ut rudi et indocto, cujus manu* ixi *pro* ipsi *scriptum animadverterit.* Sueton. in Aug. LXXXVIII.

[5] *Vetabat.* Coercuit enim, teste Dione, loc. cit. delatorum nequitiam, qui homines ab ipso donatos jure civitatis arguebant, quòd Claudii nomen non usurparent, testamentoque nihil ei legarent. Sed simul et isti Lycio et aliis plurimis civibus Romanis immitem se præstabat, et immeritò jus civitatis adimebat, ut observat ibidem Dio.

[6] *Venale.* Dio, loc. cit. Οὕτως ὑπὸ εὐχερείας ἐκινωνήθη, ὥστε καὶ λογοποιηθῆναι, ὅτι κἂν ὑάλινά τις σκεύη συντετριμμένα δῷ τινι, πολίτης ἔσται. *Ob parandi facilitatem adeò vile factum est* jus civitatis Romanæ, *ut vulgò jactatum fuerit, etiamsi quis alicui vasa vitrea confracta dedisset, civem Romanum fore.*

stantissimis et opulentissimis exterarum regionum viris sapienter à majoribus communicatum, cœpit evilescere.

47. Nec Messalina his prædationibus contenta; sed dominationis cupidine, quâ nulla in fœminis acrior, magis accensa, imperii munia, conspirantibus libertis, in se trahere:[1] exercituum, provinciarum præfecturas vendere: in totâ republicâ tam inclementer auctionari, ut, cùm ne emendi quidem superesset facultas, Claudius populum in campum Martium coegerit, ibique rerum pretia statuerit; publico suo dedecore, maximoque libidinum incitamento, quæ numquam ferociùs vigent, quàm cùm mollioribus remediis inritatæ.

48. Post hæc enim cœpit Messalina nihil moderati habere; nec jam libidinibus, sed sceleribus certare:[2] dignitate ad audaciam abuti: pudicitiam publicare: nobilissimos quosque viros ac fœminas ad voluptatum monstra provocare: si adsenserint, gratiam; si dissenserint, odia dividere: Claudium spectaculorum inlecebris ludificari: eum muliebri famulitio ita cingere, ut, dum hæc stupente et indignante Urbe in propatulo patrabantur, unum Principem laterent, ipseque histrionem Mnesterem, Messalinæ flagitia paventem, ipsius jussis esse obnoxium[3] juberet. Justus Catonius,[4] prætoriarum cohortium præfectus, cùm publicam infamiam indicio ulcisci pararet, Messalinæ odio, Claudii jussu morte adfectus est. Iisdem artibus, crimine incerto, nec defen-

[1] *In se trahere.* In his Messalinæ probris recensendis multus est Dio, LX. p. 676 et 677.

[2] *Sceleribus certare.* Horrenda libidinum et scelerum *meretricis Augustæ* monstra, quæ hic exscribere puderet, memorant Plinius, X. 63. et Juvenalis VI. 115 et seq. Vide quoque Dionem, loc. cit.

[3] *Esse obnoxium.* Tacit. Annal. XI. 36.

[4] *Justus Catonius.* Dio, loc. cit. Illum quoque inter plurimos à Claudio occisos numerat Seneca in Apocolocynt. Fortè idem ipse est ac Justus Catonius, quem *primi ordinis centurionem* jam vidimus supra Annal. I. 29.

sione ullâ datâ, Juliæ,[1] altera Drusi, altera Germanici filia, D. Augusti proneptes, ferro fameve enectæ.

49. Hæc Cæsareæ domûs funera Claudii nece cumulare meditabatur eques Romanus. Scelus L. Otho, prodentibus servis, comperit, et detexit, magnâ quidem cum laude, quòd anno superiore, utì jam diximus,[2] gratiâ apud Principem exciderat. Reus à tribunis plebis et consulibus è Tarpeiâ rupe[3] dejectus est. Mox de L. Othonis honoribus consultatum. Senatus eum rarissimo honore, statuâ in palatio positâ, prosecutus est.[4] Claudius quoque, ut præstito officio, ita liberalitate potior, Othonem inter patricios adlegit; collaudansque amplissimis verbis, adjecit. "virum esse, quo meliores liberos habere ne optaret "quidem."

50. Tum oblata tandem, quæ per tot annos defuerat, bellorum materies. Bericus,[5] aliique ex Britanniâ ob seditionem profugi, insulam, à D. Julio prosperè tentatam, nunc domesticis dissensionibus et inexpertâ novorum regum ætate vinci facilem, Claudio demonstravere. Eò libentiùs auditi, quòd triumphi decus quæreret Princeps, nec occupationes, quæ libidines suas occulerent, aversaretur Messalina. Insuper Britanni ob non redditos transfugas tumul-

[1] *Juliæ.* Sueton. in Claud. XXIX. Dio, LX. p. 677. et Seneca in Apocolocynt. Augustum ita loquentem inducit: *Hic, P. C. qui vobis non posse videtur muscam excitare, tam facilè homines occidebat, quàm canis exta edit—Iste quem videtis, per tot annos sub meo nomine latens, hanc mihi gratiam retulit, ut duas Julias, proneptes meas, occideret, alteram ferro, alteram fame—Dic mihi, dive Claudi, quare quemquam ex his, quos, quasque occidisti, antequàm de causâ cognosceres, antequàm audires, damnâsti? hoc fieri solet? in cælo non fit.* De utrâque Juliâ vide Stem. Cæs. n. 74 et 97.

[2] *Diximus.* Supra cap. 43.

[3] *Tarpeiâ rupe.* Dio, LX. p. 677. De rupe Tarpeiâ jam dictum Annal. VI. 19. et Hist. III. 71.

[4] *Prosecutus est.* Hæc et seqq. Sueton. in Othone, 1.

[5] *Bericus.* Dio, LX. p. 677.

tuabantur.[1] Itaque jussus est Aulus Plautius[2] è Galliâ[3] exercitum in Britanniam transmittere, dum Cæsar elephantos ceteraque bellorum terricula pararet.

51. At legiones, secum reputantes quantula D. Julius in Britanniâ gessisset, quàm dira perpessus esset in Oceano Germanicus, exoticam et ultra terrarum fines militiam, plenam discriminis, laudis vacuam, aspernabantur. Plautius, vir bello egregius, gnarusque milites frustra ad odiosa impelli, eos cunctando ad spem amoremque victoriæ adducebat. Cæsar, morarum impatiens, Narcissum mittit,[4] qui rem deproperet. Is, personam juraque Principis in Urbe usurpare solitus, Plautii tribunal conscendit. Milites, superbum genus, et opprobrii indignantissimum, liberti audaciam exhorrescunt: "Io Saturnalia"[5] occlamitant; et personatum Principem ludificati, "Plautium ducem suum esse: quò "jusserit, statim ituros" gloriantur.

52. Plautius, ne indignatio, ad res quasque, et imprimis militares validissima, elanguesceret, confestim naves conscendit; copiasque in tres partes distraxit,[6] ut suis facilior, hostibus formidolosior foret adpulsus. Reflante vento ali-

[1] *Tumultuabantur.* Sueton. in Claud. XVII.

[2] *Aulus Plautius.* Dio, ibid. Vide et Tacitum, Vit. Agric. XIII et XIV.

[3] *E Galliâ.* E Galliâ Belgicâ, Rhenanisque legionibus.

[4] *Narcissum mittit.* Narcissus præpotens Claudii libertus, cujus mors memorata est supra Annal. XIII. 1.

[5] *Io Saturnalia.* Mos enim erat Saturnalibus, ut id festum, sumtâ dominorum personâ, servi celebrarent. Dio, LX. p. 667.

[6] *In tres partes distraxit.* Dio, loc. cit. Eruditus autem Buchevius, *Belgium Romanum*, IV. II. n. 5. existimat Romanum exercitum in tres partes ita divisum fuisse ab Aulo Plautio, ut primam partem è Batavis, secundam è Menapiis juxta Brugas, *Bruges*, tertiam è Morinis et Iccio Cæsaris portu, nunc *Boulogne*, Occidentem inter ac Boream solvere jusserit. Ita à vento Occidentali maximè in Orientem retroacti, facis rursum ab Oriente in Occidentem discurrentis signo recreati sunt: inde, priore cursu repetito, Britannis jam à littorum custodiâ digressis, in Britanniam sunt advecti.

quandiu retroacti: restitere tamen, tum pœnitentiæ pudore, tum facis ab Oriente ad Occidentem[1] transcurrentis visu ad pertinaciam obfirmati; navesque plano et nudo littore constituêre. Nam Britanni, adversante vento, nihil sibi timendum rati, et in sua remigrantes defensionem omiserant. Ubi autem audiere Romanos adpulisse, terror, utì adsolet, barbaros attonuit. Nec redire, nec congredi ausi, se in paludes ac sylvas abdidere, ut sicut olim D. Julium morâ fatigaverant,[2] ita Plautium otio frangerent.

53. At ille, haud nescius lentitudine suos defecturos, hostes valituros, statim bellum adgredi: latitantes Britannos venari: omnibus vestigiis indagare; ac tandem divulsos offendere, qui vix, sociati, fuissent bello pares. Devicto Cataratacо,[3] mox cæso Togodumno,[4] Cunobelini nuper mortui filiis, fugâ salutem quæsiere; parsque Bodunorum,[5] qui Catwillaunis[6] parebant, in fidem recepta. Præsidio ibi relicto, Plautius ad amnem[7] progressus, hostes, quasi insuperabili obice defenderentur, in secordiam resolutos reperit: jubet Gallos,[8] flumina in armis tranare solitos, "impetum in eos facere: viris parcere; sed equos telis "figere: cetera se provisurum." Jussa facessunt alacres. Britanni, insperatâ audaciâ perturbati, in esseda[9] se recepere.

[1] *Ad Occidentem.* Quem navigando petebant. Dio, ibid. De his facibus vide Plinium, II. 26.

[2] *Fatigaverant.* Vide Julium Cæsarem, Bell. Gall. v. 8 et seq.

[3] *Cataratacо.* Dio, LX. p. 678. eum appellat Καταράτακον.

[4] *Togodumno.* Dio, ibid.

[5] *Parsque Bodunorum.* Dio, ibid. Boduni, aliis dicti Dobuni, provincias illas obtinebant, quas nunc dicimus *Oxford and Glocester.*

[6] *Catwillaunis.* A Dione, ibid. appellantur Κατυελλανοί. At in veteri lapide, qui in vallo *Picts-Wall* repertus est, dicuntur Catwillauni. CIVITATE CATVVILLAVNORVM. Vide *Transact. Phil.* vol. XXX. n. 356. p. 813. Tenuere provincias, quas nunc vocamus *the counties of Buckingham, Hertford and Bedford.*

[7] *Ad amnem.* Sanè Tamesim, nunc *the Thames.* Dio, loc. cit. Ἐπὶ ποταμῷ τινι.

[8] *Gallos.* Nempe Germanos inferiores, fluminum accolas, et maximè Batavos, ut rectè explicat eruditus Bucherius, loc. cit.

[9] *Esseda.* Currus erant Britan-

At, undique vulneratis equis, curribus excussi, obtritique, multâ cum strage inulti pereunt.[1]

54. INTEREA Fl. Vespasianus, ad summa genitus, ejusque frater Sabinus,[2] legatus, amnem trajecerant. Hostes, Gallorum[3] inruptione et suorum luctu turbidos, inopinatò adorti, plurimos interfecere. Quâ clade non dejecti, inritati magis Britanni, sumtoque ex furore consilio, patientiam incusant, seque ad prælium accingunt: nec nisi in posterum diem differtur. Utrinque acerrimè pugnatum: nutabat victoria; jamque hostes Hosidium Getam[4] circumsistebant, cùm pericula in eorum exitium is convertit, eosque tam fortiter superavit, ut, licèt nondum consul fuisset, triumphalia insignia obtinuerit.[5]

55. INFELICITER tentatâ fortitudine, Britanni ad artes refugêre. Properant ad Tamesis, æstu intumescente adcrescentis, ostia, gnaris locorum tuta, ignaris infida, flumenque trajiciunt. Romani, eos prosecuti incautiùs, periclitati. At Galli, ob rei difficultatem audaciores, enatant, dum alii, supra eum locum per pontem transgressi, simul Britannos adoriuntur, et multiplici pugnæ imparatos ingenti clade prosternunt. Lætissimam victoriam luctus occupavit. Fugitivos enim dum ipsi inconsultiùs quoque

norum, de quibus jam dictum supra in Vitâ Agricolæ, XXXV.

[1] *Pereunt.* Dio, loc. cit.

[2] *Frater Sabinus.* Dio, ibid. Flavius Sabinus frater erat Vespasiani, qui posteà fuit Imperator. Vide Stem. Flaviorum in not. et emend. ad Hist. I. 46. Legatus autem dicitur Sabinus quòd sanè præerat uni è legionibus, quæ in Britanniâ militabant.

[3] *Gallorum.* Qui amnem tranaverant; ut modò dictum est supra.

[4] *Hosidium Getam.* Quem Dio, loc. cit. appellat Cn. Hosidium Getam. Jam vidimus supra cap. 29. Hosidium Getam Mauritanici belli confectorem.

[5] *Triumphalia insignia obtinuerit.* Dio, ibid. De triumphalibus ornamentis diximus supra in Vitâ Agric. XLV.

insequebantur, inviis paludibus cum multâ suorum jacturâ hausti sunt.[1]

56. PLAUTIUS, populos, neque Togodumni nece, neque suis cladibus fractos, sed ferociâ irâque tumentes, non temerè provocandos ratus, occupata loca firmat præsidiis:[2] castraque in dextrâ Tamesis ripâ metatus,[3] res gestas, quidque sit spei periculive, utì erat jussus, Principi renuntiat. Addit "validas quidem esse gentes: at si cetera ad id bellum pa-"rata accederent; et Cæsar numine ac præsentiâ milites "tutaretur, certam dignamque Principe adesse victoriam."

57. CLAUDIUS, triumphi decus animo jam præcipiens, res Urbanas ceterosque exercitus Vitellio,[4] collegæ suo, commendat: ipse statim ad Britannicam expeditionem profecturus, nisi fuisset Galbæ, quem fide scientiâque militari acceptissimum prædiximus,[5] morbo retardatus.[6] Ubi convaluit, Cæsar magno apparatu[7] ab Ostiâ[8] in Britanniam navigavit, magis cum mari quàm cum hostibus conflictatus. Bis enim vehementi Circio[9] pænè demersus est prope Liguriam,[10] juxtaque Stœchadas insulas.[11] Cùm tandem Massiliam[12] adpulisset, Gesoriacum[13] pedestri itinere petiit: mox ad ostia Tamesis transmisit.

[1] *Hausti sunt.* Dio, ibid.

[2] *Firmat præsidiis.* Dio, LX. p. 679.

[3] *Metatus.* Huc enim venit Claudius, ut patet ex Dione, loc. cit.

[4] *Vitellio.* Dio, ibid. Hoc anno Vitellius consul erat cum Claudio.

[5] *Prædiximus.* Supra cap. 23.

[6] *Morbo retardatus.* Suetonius, in Galbâ, VII.

[7] *Magno apparatu.* Tanto quidem, ut elephantos parâsset. Dio, loc. cit.

[8] *Ab Ostiâ.* A portu Ostiensi, de quo dictum supra cap. 31. Sueton. in Claud. XVII.

[9] *Circio.* Circium dicimus, *a west-north-west wind.*

[10] *Prope Liguriam.* Nunc *Genoa.*

[11] *Stœchadas insulas.* Hodie *the isles of Hieres.* De quibus dictum supra Hist. III. 43.

[12] *Massiliam.* Nunc *Marseilles.*

[13] *Gesoriacum.* Nunc *Boulogne.* Hæc autem omnia Suetonius et Dio, loc. cit.

58. FLAGRANTIBUS militum, quos Principis aspectus ad gloriam magis adhuc quàm ad lætitiam excitat, studiis exceptus, flumen transit: nactusque Britannos, qui, nuntiato Cæsaris adventu, occurrerant, illico prælium[1] committit, eosque principatûs majestate potiùs, quàm pugnæ atrocitate superat. Incruentâ victoriâ[2] lætus, Camulodunum,[3] Cunobelini regiam, occupat:[4] populos in deditionem accipit, aut vi subigit. Intrà sexdecim dies[5] sæpe imperator[6] consalutatus, pluraque temporum opportunitate, quàm D. Julius bellorum famâ potitus, in Urbem revertitur, relictis Plautio et Vespasiano, qui faustis auspiciis inchoata consilio ac fortitudine perficerent.[7]

59. AUCTO novis terris imperio, adcrevit eruditio Romana, mirâ quidem, sed notâ bellorum ac literarum societate. M. Agrippa,[8] quo meliorem civem Roma vix umquam tulit,

[1] *Prælium.* Dio, ibid.

[2] *Incruentâ victoriâ.* Suetonius in Claud XVII. *Sine ullo prælio aut sanguine intrà paucissimos dies parte insulæ in deditionem receptâ, sexto quàm profectus erat mense Romam rediit.*

[3] *Camulodunum.* Nunc *Colchester*, ut jam dictum supra Annal. XII. 32.

[4] *Occupat.* Dio, ibid.

[5] *Intrà sexdecim dies.* Id tantùm temporis egit in Britanniâ, teste Dione, LX. p. 680. Ἦλθέ τι ἐς τὴν Ῥώμην ὁ Κλαύδιος ἐξ μηνῶν ἀποδημήσας, ἀφ' ὧν ἐπτακαίδεκα μόνας ἐν τῇ Βρεττανίᾳ ἡμέρας ἐποίησε.

[6] *Sæpe imperator.* Quod quidem contra Romanorum institutum, quo haud sæpiùs, quàm semel, licuit uno de bello id nomen adsumere. Αὐτοκράτωρ πολλάκις ἐπωνομάσθη παρὰ τὰ πάτρια· οὐ γάρ ἐστιν ἐν οὐδενὶ πλείω ἢ ἅπαξ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολέμου τὴν ἐπίκλησιν ταύτην λαβεῖν. Dio, LX. p. 679. Inde in vetere Inscriptione, quæ extat in pariete turris antiquæ castri Apolliniaci:

TI. CLAVDIVS CAESAR. AVGV.
GERMANICVS PONT. MAX. TRI.
POTEST. V. IMP. XI. P. P. COS. IIII.

Vide Gruterum, p. 31. num. 1. In argenteo quoque Claudii nummo, apud Harduinum, *Selecta Opera*, p. 719. TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. VI. IMP. XI. capite laureato, in posticâ parte, arcus triumphalis, cui Imperator in equo impositus cum spoliis. Epigraphe, DE BRITAN. Id est, *de Britannis.*

[7] *Perficerent.* Dio, LX. p. 679.

[8] *M. Agrippa.* Cujus laudes vide in Stem. Cæs. n. 47.

orbem terrarum Urbi spectandum proponere erat adgressus: D. Augustus complexam eum porticum[1] ex destinatione commentariisque Agrippæ ab Octaviâ[2] inchoatam peregerat. Magnificum quidem et victore populo dignum fuit spectaculum. Nondum tamen Geographia Romanis scriptis innotuerat. Id opus, à M. Tullio Cicerone sæpe tentatum,[3] semper omissum, privatis incertum an publicis rebus utilius, ita adcuravit Pomponius Mela,[4] ut, si à prioribus scriptoribus studiorum antiquitate vincatur, omnes elegantiâ vicerit.

[1] *Complexam eum porticum.* Plin. III. 2. Nempe porticum orbem terrarum complexam. Porticus illa Octaviæ theatro Marcelli fuit adjuncta. Manent adhuc quædam ejus rudera in ecclesiâ, quæ appellatur *S. Angiolo in Pescheria.* Ad urbis Romæ imitationem fuit Augustoduni, nunc *Autun*, similis porticus, quam laudat Eumenius in oratione *pro Restaurandis scholis*, cap. 20. *Videat prætereà in illis porticibus juventus, et quotidie spectet omnes terras et cuncta maria et quidquid invictissimi Principes urbium, gentium, nationum, aut pietate restituunt, aut virtute devincunt, aut terrore. Siquidem illic, ut ipse vidisti, credo, instruendæ pueritiæ causâ, quò manifestiùs oculis discerentur, quæ difficiliùs percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spatia, intervalla descripta sunt, quidquid ubique fluminum oritur et conditur, quàcumque se littorum sinus flectunt, quo vel ambitu cingit orbem, vel impetu irrumpit Oceanus.* Augustodunensis porticûs fragmentum vide, *Journal de Trévoux*, anno 1706. mense Decembri, p. 297 et seq. Ad eamdèm Romanorum magnificentiam pertinet marmorea veteris Romæ ichnographia, olim in templo Romuli ad viam sacram posita, cujus fragmenta in Capitolio nunc visuntur, quæque exhibet Cl. Piranesi. *Antichità Romane*, Vol. I. Tabul. III et seq.

[2] *Ad Octaviâ.* Augusti sorore. Vide Stem. Cæs. n. 16.

[3] *Sæpe tentatum.* Vide epistolas Ciceronis ad Atticum, II. 4 et 6.

[4] *Pomponius Mela.* Elegantissimum opus scripsit Pomponius Mela, dum Claudius Britanniam vincebat; ut testatur idem Mela, *de Situ orbis*, III. 6. *Britannia qualis sit, qualesque progeneret, mox certiora et magis explorata dicentur. Quippe tamdiu clausam aperit ecce Principum maximus, nec indomitarum modò ante se, verùm ignotarum quoque gentium victor, qui propriarum rerum fidem, ut bello affectavit, ita triumpho declaraturus portat.*

BREVIARIUM

SUPPLEMENTI

LIBRI DECIMI ANNALIUM.

1. Honores, ob Britannicam victoriam, Claudio et Messalinæ decreti. 2. Claudius Urbem triumphans ingreditur. 3. Publica lætitia. 4. Fœda libertorum decora. 5. Res Romana Plautii et Vespasiani armis victricibus in Britanniâ promovetur. 6. Mors Agrippæ. Judæa rerum in provinciam redacta. 7. Achaia proconsulari imperio reddita. Ærarium prætoribus restitutum. 8. Complures leges, aliæ utiliter, aliæ nimerè mutatæ. 10. Inconsulta Principis in populum liberalitas. 11. Puniuntur Rhodii. Pomponius Silio senatu pulsus. Dilatæ ob sacra

nundinæ. 12. In solemnibus sacramentis vetus mos revocatus. Imminuta publicarum imaginum multitudo. 13. In iis ponendis egregia majorum prudentia: immensa recentioris ævi ambitio. 15. Præfectorum provinciis repressa avaritia. 16. Audacia multitudine legum irritata. Parricidialis furor. 17. Singulare edictum de Solis eclipsi. 18. Ludi: congiarium. 19. Tiberius Alexander Judææ procurator. Izates, Adiabenorum rex, ejusque mater Helena, Judaicam religionem professi. 20. Romanos inter et Parthos medius Izates utriusque imperii gratiam aucupatur. 22. Parthorum favore increscit. 23. Hermaphroditus Romæ visus, et à Claudio expiatus. 24. Scarus è mari Carpathio in Italiam asportatus. 25. Mentagra ex Asiâ invecta. 26. Valerius Asiaticus abdicat se consulatu. 27. M. Vinicii ruina. 28. Asinii Galli, imperio inhiantis, vesana consilia et pœna. 29. Coercita libertorum audacia; patronorum duritia. 30. Princeps Messalinæ libidinibus turpiter obnoxius. Fœda Mnesteris et populi Romani jurgia. 31. Thracia in formam provinciæ redacta. Legatio ex insulâ Taprobane missa. 32. Hujus legationis occasio. 33. Insulæ

mores et usus. 35. De Seribus quoque auditum. Eorum corporis forma, commerciorumque ratio.

Hæc tribus annis gesta,

A. U. C.	J. C.		
DCCXCVII.	44.	Coss.	L. Quinctio Crispino II, M. Statilio Tauro.
DCCXCVIII.	45.	Coss.	M. Vinicio II, Tauro Statilio Corvino.
DCCXCIX.	46.	Coss.	Valerio Asiatico II, M. Junio Silano.

SUPPLEMENTUM

LIBRI DECIMI

ANNALIUM.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

A. U. C. 796. J. C. 43.

1. Claudius generos suos,[1] Pompeium Magnum et Silanum, victoriæ nuntios præmiserat.[2] Ubi primùm Romam venêre, senatus in ejus honoribus fuit eò profusior, quòd tot abhinc annis[3] victorem Principem non vidisset. Super triumphum,[4] ludos annuos, duos arcus, alterum in Urbe,[5] alterum Gesoriaci,[6] exstruendos, datum ipsi cognomen, ejus filio nomen *Britannici*.[7] Decretum quoque[8] " ut Messalina, sicut olim Livia, primum in consessu " locum occuparet, et carpento veheretur." Prætereà cùm per dedecora prioris principatûs in hujus laudes ire

[1] *Generos suos.* De his dictum supra in Suppl. Annal. IX. 25.

[2] *Præmiserat.* Dio, LX. p. 679.

[3] *Tot abhinc annis.* Ab Augusti victoriis.

[4] *Super triumphum.* Hæc et seq. Dio, ibid.

[5] *Alterum in Urbe.* Arcum illum in nummo expressum jam vidimus supra in Suppl. Annal. IX. 58. not. inf.

[6] *Gesoriaci.* De Gesoriaco, *Boulogne*, dictum supra p. 390.

[7] *Filio nomen Britannici.* Anteà Claudii filius dictus fuerat Germanicus, ut jam monuimus supra p. 367. not. inf.

[8] *Decretum quoque.* Dio, ibid.

patres essent soliti, jussum " ærea Caii Cæsaris numismata,[1] " quæ ejus imaginem referrent, conflari." At quasi æs illud non posset nisi ad probra liquescere, in Mnesteris, histrionis, quondam Caii familiaritate, tunc Messalinæ libidinibus infamis, statuas obriguit.

A. U. C. 797. J. C. 44.

2. INTERIM Princeps, solvens è Vatreni portu,[2] prægrandi domo veriùs, quàm nave,[3] Adriam[4] intraverat; moxque Romam sexto,[5] quàm profectus erat, mense rediit, Quinctio Crispino II. et Statilio Tauro consulibus.[6] Civitas omnis obviam effusa, multi provinciarum præsides, legatique qui coronas aureas[7] adtulerant, nonnulli etiam exules ob publicam lætitiam revocati, triumphantem maximo apparatu

[1] *Numismata.* Dio, ibid. Manent tamen adhuc quamplurima Caii numismata ex ære.

[2] *E Vatreni portu.* Plin. III. 16. Portus ille nunc dicitur *Porto Primaro.* Nomen ducit ab amne Vatreno, nunc *Santerno*, qui in Padum influit.

[3] *Quàm nave.* Sub Augusti et Caii Caligulæ principatu, maximè cùm libuit obeliscos ex Ægypto asportare, cœpere Romani immensas naves fabricare. De his navibus vide quæ jam dicta sunt supra p. 234 et 376.

[4] *Adriam.* Adriaticum mare.

[5] *Romam sexto.* Sueton. in Claud. XVII.

[6] *Consulibus.* L. Quinctius Crispinus II. et M. Statilius Taurus consules fuere A.U.C. 797. J.C. 44. In veteri lapide apud Gruterum, p. 1041. n. 10.

L. QVINCTIO CRISPINO II.
M. STATILIO TAVRO COS.

At apud Dionem, LX. p. 680. aliter leguntur nomina consulum: Γαΐῳ τε Κρίσπῳ τῷ δεύτερον καὶ Τίτῳ Στατιλίῳ ὑπατεύσαντι. Quod eruditus Muratori, *Inscript. Antiq.* vol. I. p. 304. n. 3. confirmat hâc veteri Inscriptione,

M. AEMILIO. LEPIDO. T.
STATILIO TAVRO. COS.

[7] *Coronas aureas.* Has inter coronas, duas memorat Plinius, XXXIII. 3. sect. 16. *Claudius, cùm de Britannid triumpharet, inter caronas aureas 7. pondo habere, quam contulisset Hispania citerior, 9. quam Gallia Comata, titulis indicavit.* Ipse Claudius *inter hostilia spolia navalem coronam fastigio Palatinæ domûs juxta civicam fixit, trajecti et quasi domiti Oceani insigne.* Sueton. in Claud. XVII.

excepere. Præter celebritatis solita, currum carpento secuta est[1] Messalina: secuti et triumphalia ornamenta eo bello adepti,[2] sed ceteri pedibus et in prætextâ; Crassus Frugi equo phalerato, et in veste palmatâ, quòd eum honorem iteraverat.[3] Cùm ad ædem Jovis Capitolini perventum, victor Princeps, D. Julium[4] imitatus, gradus genibus ascendit, duobus suis generis[5] innitens, laureamque in gremio numinis deposuit.

3. Ad triumphi pompam accessere ludorum hilaria, quos Princeps, acceptâ ob eam rem consulis potestate,[6] duobus simul theatris, ut populo gratificaretur, celebravit. Tot quidem equorum certamina, quot per diem edere liceret, promiserat: verùm propter ursorum cædes, athletarum pugnas, pyrrhicas puerorum ex Asiâ evocatorum saltationes, haud plura, quàm decem actitata.[7] Spectaculi raritate ac dignitate præstitit expugnatio direptioque oppidi,[8] ad imaginem bellicam et deditionem Britanniæ regum in Martio campo edita, cui Princeps præsedit paludatus.[9] Alios insuper ludos, senatûs permissu, fecere theatralium operarum duces.[10]

4. Hæc quidem decòra, et digna Principe, ni fuissent

[1] *Carpento secuta est.* Sueton. loc. cit.

[2] *Adepti.* Non modò consulares, qui bello interfuerant, sed et alii senatores, triumphalia hæc ornamenta otinuere, ut videre est apud Dionem, LX. p. 660.

[3] *Iteraverat.* Hæc totidem verbis Suetonius in Claud. XVII. De palmatâ, seu triumphali, veste dictum est Annal. I. 15.

[4] *D. Julium.* Vide Dionem, XLIII. p. 224. et LX. p. 680.

[5] *Generis.* Pompeio Magno et Silano; de quibus dictum cap. sup.

[6] *Consulis potestate.* Dio, LX. p. 680.

[7] *Decem actitata.* Dio, ibid. Vulgò duodecim erant missus, immo et plures; ut jam observavimus supra p. 274. not. inf.

[8] *Direptioque oppidi.* Hæc et seq. Sueton. in Claud. XXI.

[9] *Præsedit paludatus.* In veste militari.

[10] *Operarum duces.* Dio, LX. p. 680.

libertorum honoribus fœdata. At Posidi, eunucho,[1] inter

[1] *Posidi, eunucho.* Aurel. Victor, in Epitome, *Posidio.* At Posiden eum appellat Suetonius in Claud. XXVIII. *Libertorum præcipuè suspexit Posiden spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hastâ purâ donavit.* Hunc notat Juvenalis, XIV. 91.

Ut spado vincebat Capitolia nostra Posidis.

Vide et Plinium, XXXI. 2. ubi aquas Posidianas memorat. Grande, licèt ignobile, in veteribus historiis eunuchorum nomen. Diu pervulgata per Orientis regna eorum auctoritas, in imperio Romano tandem invaluit, cùm Principes quælibet regum libita æmularentur, et, quanto magis insolescerent, tanto plus dominationis adeptos se esse gloriarentur. Ut illud fortunæ portentum cognoscatur, expendam quandò in orbe cœperit eunuchorum conditio, unde orta, quis primò fuerit eorum status, quæ deinde fortuna, qui mores, quæ varia demum fata.

Antiquissimam esse eunuchorum conditionem evincit Sacra Scriptura, quæ Putipharem, validissimum in aulâ Pharaonis, Ægypti regis, eunuchum, et principem exercitûs, tempore Joseph, filii Jacob, memorat. Genes. XXXIX. 1. Tanta eunuchi fortuna probat ad antiquiora tempora pertinere eorum nomen. Suffragantur quoque vetustissima imperii Sinensis monumenta, quæ ipsâ ætate regis *Yao*, qui vivere desiit anno 2258. A. C. eunuchos commemorant.

At eorum origo nos lateret, ni Sinensia monumenta lucem in hâc obscuritate prætulissent. Iis enim edidicimus originem eunuchorum, ut tale decebat humanitatis propudium, fuisse infamiam. Nempe, ubi primùm conditæ sunt hominum societates, erupere vitia, ac modò pòst crimina. Non statim ventum ad supplicia. Placuit pudorem experiri, quo coerceri posset reorum improbitas. Indita sunt ergò criminum reis quædam signa, et jussi sunt vestes certis coloribus distinctas induere, tum ut dignoscerentur et ab iis præcaveretur, tum ut ipsos sui puderet et in melius vererentur. Duravit usus dum fuit et securitatis et pœnitentiæ spes. At cùm improborum hominum natura, aliquandiu pudore coercita, levitate pœnæ insolescere cœpisset, excogitata supplicia. Quæ inter, quartum memoratur à vetustissimis scriptoribus Sinensibus, virilitatis ademtio. Eaque erat pœna, quæ calumniæ, impudicitiæ, proditioni infligebatur.

Ut originem, ita quoque primum eunuchorum statum nos docent Sinensia monumenta. Haud satis visum eunuchos virilitate exui, conditi sunt in interioribus palatii imperatorum Sinensium partibus aliisque eorum domibus, ut vilia et difficilia quæque ministeria obirent; et, cùm infames essent, prodire in imperatoris conspectum prohibebantur: ideoque iis maximè credita officia apud uxorem et concubinas imperatoris.

Illas infamiæ angustias apud Ægyptios citò egressi sunt eunuchi, cùm Putipharem exercitûs principem jam supra memoraverimus. At in Sinensi imperio, ubi plurimùm semper valuit antiquitatis reverentia, per multa secula duravit eunuchorum squalor. Per

militarium fortissimos arma insignia tamquam participi

scelus tandem eum exuêre, cùm, famosa in Annalibus Sinensibus imperii pestis, *Pao Ssee* concubina imperatoris *Yeou Ouang*, qui regnare cœpit anno 781. A. C. usa artibus eunuchi, adegit imperatorem uxorem suam legitimam repudiare, ejusque filium imperatorio jure orbatum pronuntiare, ut ipsa in imperatoriæ uxoris dignitatem, ejusque filius in hereditatis spem adsumeretur. Ubi votorum fuit compos, non solùm eunucho de se benè merito gratam ac memorem se præstitit, eumque palatio præposuit, sed et eunuchos ad plurima et præcipua palatii ministeria adhibuit. Viguit posteà, ut apud Orientis, sic apud Sinarum populos eunuchorum fortuna. Imperatores Romani cùm pro imperii fastigio omnes externarum dominationum libidines in se complecterentur, eos quoque cepit eunuchorum furor: ac tandem visus sub Claudio Principe Posides eunuchus, militaria insignia superbè ostentans, inter præclarissimos militiæ duces Capitolium adire. Ne optimus quidem Princeps Titus, sed Orientis deliciis assuetus, ab illo eunuchorum amore abstinuit. Pessimus Domitianus non recti honestique curâ, sed adversùs fratrem invidiâ, eunuchos sustulit. Post ejus cædem abrogata sunt ejus decreta. At melior vindex virtutisque adsertor, egregius Princeps Nerva vetuit ne quis toto imperio Romano eunuchus fieret. Dio, LXVII. p. 759. LXVIII. p. 770. Lex digna Principe sapientissimo, et humanitatis virtutisque studiosissimo. Viguit sub optimis Principibus, qui auspicatissima Nervæ tempora sunt secuti. Postcà, labentibus annis et moribus, mollita est; sancitumque ut *qui hominem invitum, libidinis aut prommercii causâ castraverit, castrandumve curaverit, sive is servus, sive liber sit capite* puniretur. *Honestiores, publicatis bonis, in insulam* deportarentur; ut videre est apud Julium Paulum, Sentent. Recept. Libr. v. Tit. 23. *Ad legem Corneliam de Sicariis et Veneficis*, Leg. 13. Et in hâc temporum mollitie visus est sub Severo Principe Plautianus, privatus homo, sed luxu et opibus par Principibus, qui centum ingenuis Romanis virilitatem ademit, ut filia sua Plautilla, quam Antonino Caracallæ despondere parabat, musicos aliosque artium magistros eunuchos haberet. Dio, LXXV. p. 857. Manent adhuc vel in hâc nostrorum temporum sâpientiâ et religione ejus mali reliquiæ. Ea enim est dulcibus vitiis natura, ut semper vetentur, semper retineantur.

De moribus autem eunuchorum idem est penes Sinenses scriptores, quod apud ceteros populos, judicium. Consentiunt omnes iis plerumque cuncta esse utriusque sexûs vitia, nullam alterutrius virtutem. At cùm numquam tanta sit hominum pravitas, ut paucos saltem honestas non retineat, reperiuntur quandòque eunuchi qui virtutibus præcellant. Hos inter mos est regibus Orientis deligere, quos sibi comites assiduos adesse jubent. Tales sunt apud imperatorem Sinensem qui *Yu Kien* appellantur, id est, *eunuchi è conspectu;* quòd à conspectu Principis non recedant. Tales septem fuisse apud Assuerum manifestum est ex libro Esther, I. 11. In ministeriis autem imperatoris Sinensis vulgò numerantur decem millia eunuchorum, tum penes imperatorem, tum penes

victoriæ dono data: permissum Harpocrati,[1] ut lecticâ[2] per Urbem veheretur, et spectacula publicè ederet.[3] Ausus et

principes regii sanguinis, quibus plures paucioresve sunt eunuchi pro ratione suæ dignitatis. Tanta autem ibi est eunuchorum libido, ut multi audeant et uxores et concubinas habere. Adversùs hoc flagitium lata quidem est lex à dynastiâ, quæ nunc Sinis imperat. Verùm occulta gliscit libido, et mendacibus sororum aut propinquarum nominibus obtegitur.

Superest ut varia evolvam eunuchorum fata. Antiquitùs in pœnam criminis ortam esse infamem eorum conditionem superiùs dixi. Circa Christi tempora, cùm dynastia *Han* Sinis imperaret, desiit castratio inter supplicia haberi. Tum accesserat favor et fortuna; multisque voluptè erat vel per sui corporis detrimentum eam ambire: parentes etiam nobiles aliquem liberorum suorum ultro ac libenter ei destinabant, ut auctoritate in aulâ valerent. Sed cùm proclive sit hominibus maximè imbellibus turpibusque fortunâ abuti, eunuchi iis in regnis ubi præpotuere, ita pro arbitrio et libidine cuncta vertêre, totiesque Principibus ruinam creavere, ut, licèt eorum conditio ad pœnam criminis non sit revocata, multisque ministeriis per Orientis regna superbiant, in ignobilitatis tamen et infamiæ ordine retineantur. Nec jam ubique fiunt eunuchi, nisi egestate ac necessitate compulsi. Apud Sinas, cùm eunuchi omnes ad Principem pertineant ejusque sint juris, nec ab aliis judicibus in eos sententia ferri possit, reperiuntur scelerum rei, qui, ademtâ sibi virilitate, impunitatem quærant. Illi eunuchi appellantur *Pân lou*, id est, *dimidiâ viâ*; et sunt numero pauci, nequitiâ fœdissimi. Quod singulare est in hâc eunuchorum infamiâ, in palatio ministri templorum sunt eunuchi; et pro variis religionibus sunt eunuchi Bonzi, *Bonzes*, eunuchi *Tao See*, eunuchi *Lama*. Constantinopoli apud Turcarum Imperatorem eunuchi colore distinguuntur. Albi penes Principem, nigri penes fœminas serviunt. Eorum ducibus, *Kapou Aga* inter albos, *Kislar Aga* inter nigros, quàm maxima est auctoritas.

[1] *Harpocrati.* Sueton. loc. cit. Beroaldo aliisque idem esse videtur ac Callistus.

[2] *Lecticâ. Lecticarum usum certis* tantùm *personis, et ætatibus, perque certos dies* permiserat Julius Cæsar. Sueton. in Jul. XLIII.

[3] *Publicè ederet.* Cura ludorum viris dignitate præcipuis permittebatur. Sic Arruntium Stellam ludis præfectum vidimus supra Annal. XIII. 22. Hujus nominis consulem vide apud eruditum Gori, *Inscript. Antiq.* vol. I. p. 65. Audaces sanè libertos fecit senatusconsultum, quo cautum fuerat, *ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res;* ut dictum est supra Annal. IV. 63. Hanc audaciam notat Juvenalis, III. 34.

Quondam hi cornicines, et municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ,
Munera nunc edunt, et verso pollice vulgus
Quemlibet occidunt populariter.

Polybius[1] inter duos consules ambulare.[2] Narcissus ceterique liberti per majorà adhuc favoris ludibria in fortunam et principatum insultabant.[3] Dum Princeps ea vel ferret patientiùs, vel licentiùs permitteret, Rufus Pollio, prætoriarum cohortium præfectus, imaginem ac sedem inter senatores, quotiens Claudium in curiam comitaretur, obtinuit.[4] Et ne id novum videretur, Princeps exemplum Augusti, qui eadem Valerio Liguri[5] tribuerat, causabatur. Majore adhuc invidiâ, Laco,[6] quondam præfectus Vigilum, tum Galliæ procurator, super hos honores consularia ornamenta adsecutus est.

5. SENATUS, amore, an munificentiâ Principis inlectus, magnificè de bello Britannico loqui: gesta prædicare: futura providere; et, ut hostes libentiùs ad deditionem venirent, decernere[7] " quæcumque Claudius ejusve legati " agerent, aut cum Britannis transigerent, senatum popu- " lumque Romanum fixa et in perpetuum rata habiturum." Plautius, talibus incitamentis haud indigens, sed bellicâ laude suâque dignitate magis exstimulatus, cœpta feliciter, feliciùs exsequebatur; adsumtoque in partem laborum et

[1] *Polybius.* Is Claudio fuit à studiis: pòst à Messalinâ interfectus; ut diximus in Suppl. Annal. XI. 2.

[2] *Ambulare.* Sueton. in Claud. XXVIII. Optimè Hadrianus, *cùm quodam tempore servum suum inter duos senatores è conspectu ambulare vidisset, misit qui ei colaphum daret, et diceret, Noli inter eos ambulare quorum esse adhuc potes servus.* Spartian. in Hadrian. XXI.

[3] *Insultabant.* Hos inter Felix cohortibus, alis, provinciæque Judææ præpositus, trium reginarum maritus fuit. Sueton. ibid.

[4] *Obtinuit.* Dio, LX. p. 680.

[5] *Valerio Liguri.* Nempe è Liguriâ. Dioni, ibid. Οὐαλερίῳ τινὶ Λίγυϊ.

[6] *Laco.* Dio, ibid. Hic est Græcinus Laco, quem Vigilum præfectum vidimus, cùm Sejanus everteretur. Vide Suppl. Annal. v. 35. Novæ ejus dignitatis extat monumentum apud Gruterum, p. 417. n. 2.

P. GRAECINO
P. F. POB.
LACONI
ORNAMENTIS
CONSVLARIBVS.

[7] *Decernere.* Dio, ibid.

gloriæ Vespasiano,[1] proximam Britanniæ partem in provinciam redegit: nec regendi minùs, quàm vincendi peritus, feroces animos religionibus artibusque Romanis paulatim mollivit.

6. NUNTIATUM intereà Agrippam, regem, quem sæpe memoravimus,[2] repentino morbo correptum exspirâsse.[3] Claudius veteris necessitudinis memoriâ regnum ejus filio,[4] in Urbe educto, sibique acceptissimo, destinabat. Deterruere liberti, "juvenem, pubertatis annos vix egressum, "tantæ rei imparem," obtendentes.[5] Itaque Judæa iterum in provinciam redacta; missusque Cuspius Fadus[6] procurator. Ne tamen vel in Agrippam ingratus, vel Judæis infensus videretur Princeps, cœpit juniorem Agrippam cariorem habere: Judæorum, qui stolam sacram coronamque[7] repeterent, postulatis adnuere; in locum Marsi, Syriæ præsidis, defuncto regi invisi, Cassium Longinum[8] suffi-

[1] *Vespasiano.* Cui cum bellicosissimâ gente sæpe fuit pugnandum, teste Suetonio, in Vespasian. IV. *Claudio Principe, Narcissi gratiâ legatus legionis in Germaniam missus est: in Britanniam translatus, tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, superque viginti oppida, et insulam Vectem, nunc the isle of Wight, Britanniæ proximam, in deditionem redegit: partim Auli Plautii consularis legati, partim Claudii ipsius ductu.*

[2] *Sæpe memoravimus.* Ac maximè in Suppl. Annal. VII. 11.

[3] *Exspirâsse.* Joseph. Antiq. Jud. XIX. 8. D. Luc. Act. Apost. XII. 23. Καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος, ἐξέψυξεν.

[4] *Ejus filio.* Agrippæ II. Vide vol. II. p. 368. Stem. Herodum, n. 9.

[5] *Obtendentes.* Joseph. Antiq. Jud. XIX. 9. n. 2.

[6] *Cuspius Fadus.* Joseph. ibid.

[7] *Stolam sacram coronamque.* Cuspius Fadus stolam sacram et coronam, propria summi pontificis ornamenta à Judæis petierat, eaque, ut fidei pignus, in turrim Antoniam seposuerat. Judæis hæc religionis suæ monimenta repetentibus, annuit Claudius, scripsitque epistolam, quam retulit Josephus, Antiq. Jud. XX. 1. n. 2. Data est hoc anno, *IV. Kalendas Julias, Rufo et Pompeio Silvano, consulibus* suffectis. Stolæ descriptionem videre est in libro Sapientiæ, XVIII. 24. Coronæ Moyses inscripserat nomen Dei יהוה: eam ad suam usque ætatem permansisse testatur Josephus, Antiq. Jud. VIII. 3. n. 8.

[8] *Cassium Longinum.* Joseph.

cere; eique, ut injurias, abs Cæsariensibus et Sebastenis[1] inlatas, ulcisceretur, imperare. Herodi,[2] Chalcidis regi, templum, ejus thesauros, jusque summi pontificis deligendi[3] permisit: cetera demum dilargitus, quæ solent Principes voluntatis suæ impotes, alienis libidinibus obnoxii.

7. EADEM libertorum licentiâ, incertum an populi ambitu, fortè ipsius Principis, civilem famam adfectantis, facilitate, Achaia Macedoniaque,[4] quas Tiberius ad curam suam transtulerat,[5] senatui redditæ. Dein cùm imbecilli Principes magis in commutandis, quàm perficiendis institutis, lubidinem habeant, hâc quoque viâ ad gloriam contendit Claudius; curamque ærarii Saturni,[6] à D. Julio[7] prætoribus datam, quæstoribus restituit. At ut vetera novitate celebrarentur, edixit[8] " duos quæstores fore ærarii præfec-
" tos: munus per triennium obituros: eo perfunctos, statim
" vel prætoriâ dignitate, vel digno re gestâ salario donatum

Antiq. Jud. xx. 1. Multi adhuc manent hujus præsidis Syriæ nummi, inscripti ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ, vel ΕΠΙ ΑΟΓΓΙΝΟΥ.

[1] *Abs Cæsariensibus et Sebastenis.* Cæsarienses et Sebasteni in omne genus injuriarum contumeliarumque adversùs defunctum regem Agrippam exarserant; quod narrat Josephus, Antiq. Jud. xix. 9. Cæsareæ autem et Sebastes manent nomina.

[2] *Herodi.* Frater erat Agrippæ Magni, patruus Agrippæ II. Vide vol. II. p. 368. Stem. Herodum, n. 25.

[3] *Summi pontificis deligendi.* Joseph. Antiq. Jud. xx. 1. n. 3. Illud quidem jus obtinuit Herodes, dum vixit: post Herodis mortem ad Agrippam II. pertinuit. Perperam vel Josephus, vel potiùs ejus librarii id juris ad Herodis posteros transtulere.

[4] *Achaia Macedoniaque.* Sueton. in Claud. xxv. Dio, lx. p. 680. Inde aliquot pòst annis Gallio, proconsul Achaiæ, memoratur à D. Lucâ, Act. Apost. xviii. 12.

[5] *Transtulerat.* Tiberium, intentum Macedoniæ, Achaiam quoque curantem, vidimus supra Annal. v. 10.

[6] *Ærarii Saturni.* Sueton. in Claud. xxiv. Dio, lx. p. 681. Ærarium illud fuit in æde Saturni, hodie *Chiesa di S. Adriano*, ubi manent adhuc ejus rudera. Quantæ opes in hoc ærario olim fuerint, dixi in not. et emend. ad Annal. xiii. 29.

[7] *A D. Julio.* Dio, xliii. p. 238.

[8] *Edixit.* Dio, lx. p. 681.

" iri." Eam auctoritatis accessionem omnium extra Urbem præfecturarum [1] abrogatione compensavit: simul, ut prætoribus indulgeret, iis quædam judicia, consulum propria, permisit; [2] haud repugnantibus consulibus, qui, pristinæ dignitatis obliti, munera aspernabantur; in Principis venerationem, magnasque spes intenti.

8. MELIUS utiliùsque ad tollendas judiciorum moras sancitum " ut jurisdictio de fidei commissis [3] quotannis, et " in Urbe tantùm delegari magistratibus solita, in perpetuum " atque etiam per provincias potestatibus [4] demandaretur." Juxta majestatem imperii quoque edictum " ut, quibus " provinciæ à magistratibus interdicerentur, ii Urbe et " Italiâ summoverentur." [5] At novo exemplo, atque infra Urbis dignitatem, quosdam Princeps ipse relegavit, " ut " ultra lapidem tertium vetaret ab Urbe egredi:" [6] quasi Urbs, terrarum caput, imperii sedes, communis cunctarum gentium patria, inter pœnas haberi posset.

9. QUA tamen re in publicum decus tantùm peccabatur. Mox gravior, certamque in ruinam aliquandò eruptura, reipublicæ inlata labes, cùm Claudius, humanitatis specie, infregit disciplinam militarem, quæ vetustate et austeritate

[1] *Omnium extra Urbem præfecturarum.* D. Augustus quæstores constituerat, qui in orâ maritimâ prope Urbem, et in aliis Italiæ locis præessent. Dio, LV. p. 551. Eæ sunt præfecturæ, quas tunc abolevit Claudius. Dio, LX. p. 681. Inde intelligas Suetonium in Claud. XXIV. *Detractâque Ostiensi et Gallicâ provinciâ, curam ærarii Saturni* quæstoribus *reddidit.*

[2] *Permisit.* Dio, LX. p. 681.

[3] *De fidei commissis.* Sueton. in Claud. XXIII.

[4] *Potestatibus.* Magistratus et potestas ita distinguuntur, ut in Urbe sit magistratus, in provinciis potestas. Major magistratus, minor potestas. Hæc quoque distinxit Juvenalis, X. 99.

Hujus, qui trahitur, prætextam sumere mavis:
An Fidenarum Gabiorumque esse potestas?

Vide ad hunc locum veterem Juvenalis Scholiasten.

[5] *Summoverentur.* Sueton. loc. cit.

[6] *Egredi.* Sueton. ibid.

pollet plurimùm. Sapienter à majoribus cautùm, ut exercitus à voluptatibus opibusque amoverentur. Diuturno enim usu compertum est militem in mortem numquàm esse promtiorem, quàm cùm deliciarum ignarus. Lex quidem, quâ uxorem habere prohibebatur, non abrogata; sed sancito "ut jura maritorum haberet,"[1] opes et inritamenta libidinis addita.

[1] *Jura maritorum haberet.* Dio, LX. p. 681. Jura autem illa maritorum ea sunt, quæ Julius Cæsar et Augustus, tum Urbe civilibus bellis exhaustâ, tum moribus luxuriâ in cœlibem vitam vergentibus, iis qui maritarentur liberosque susciperent constituerant. Vide Dionem, XLIII. p. 226. LIV. p. 531. Tacitum, Annal. III. 25 et 28. Quomodò posteà corrupta sit militaris disciplina, militesque uxores habuerint, diximus supra in not. et emend. ad Annal. XIV. 27. Quæ ibi observavimus, illustrat Claudianum monumentum, anno 1750. repertum, et ab eruditis Academicis Herculanensibus nuper publicatum. Tabulæ sunt æneæ, omnium id genus antiquissimæ, quibus Claudius civitatem connubiumque classicis militibus dedit. *Antichità d' Ercolano*, vol. V. p. 39.

Pars prima Tabulæ,

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVGVSTVS
GERMANICVS. PONTIFEX. MAXIM
TRIB. POTESTATE. XII. IMPER. XXVII
PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. V
TRIERARCHIS. ET. REMIGIBVS. QVI. MILI
TAVERVNT. IN. CLASSE. QVAE. EST. MISENI
SVB. TI. IVLIO. AVGVSTI. LIB. OPTATO. ET
SVNT. DIMISSI. HONESTA. MISSIONE
QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT
IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM
CIVITATEM. DEDIT. ET. CONVBIVM. CVM
VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABVISSENT
CVM. EST. CIVITAS. IIS. DATA. AVT

10. Ni Galliæ fuissent ad luxum et servitutem projectæ, favissetque fortuna imprudentibus Principibus nonnumquam benigna, prudentibus iniqua, in aliud promtiusque discrimen rempublicam Claudius adduxisset. Olim D. Augustus,[1] quantum ab Alpibus Cottiis[2] ob impervias rupes

Pars altera Tabulæ.

SIQVI. CAELIBES. ESSENT. CVM. IIS
QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVM
TAXAT. SINGVLI. SINGVLAS
A. D. III IDVS. DECEMBR
FAVSTO. CORNELIO. SVLLA. FELICE.
L. SALVIDIENO. RVFO. SALVIANO COS
GREGALI
SPARTICO. DIVZENI. F. DIOPSCVRTO
BESSO
DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX. TABVLA
AENEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAE. IN. CAPI
TOLIO. AEDIS. FIDEI. POPVLI. ROMANI
PARTE. DEXTERIORE.

ibidem, p. XLI. videre est alteram tabulam similem, iisdemque datam consulibus, qui consules fuere suffecti A. U. C. 805. J. C. 52. quò ordinarii consules fuerant P. Cornelius Sulla Faustus et L. Salvius Otho Titianus. Huic alteri tabulæ subjecta sunt septem nomina, quæ testium esse existimant eruditi Academici Herculanenses, non verò eorum qui honestâ missione dimissi sunt.

[1] *D. Augustus.* Ammian. Marcellin. XV. 9. *Rex Cottius, perdomitis Galliis, solus in angustiis latens, inviâque locorum asperitate confisus, lenito tandem timore in amicitiam Octaviani receptus Principis, molibus magnis exstruxit ad vicem memorabilis muneris compendiarias et viantibus opportunas medias inter alias Alpes vias.*

[2] *Alpibus Cottiis.* Pars illa Alpium nunc dicitur *the passage of Briançon and Suza.*

abruptasve viarum angustias immineret periculi gnarus, Cottium regem in amicitiam receperat, eòque devinxerat, ut rupes viasque explanaret; et, quibusdam civitatibus ejus ditioni additis, mallet præfecturam à Romanis acceptam gerere, quàm paterno in regno[1] dominari. Saluberrima consilia Claudius pervertit: nec tantùm M. Julio Cottio regnum restituit,[2] sed ampliavit; patente ad hostium adsultus imperio, nisi, rege mortuo, formidolosam liberalitatem sustulisset Nero, et Cottias Alpes in jus provinciæ redegisset.[3]

11. Tot inter dominationis dedecora, visum tamen priscæ severitatis exemplum; et Rhodii, qui cives Romanos cruce necaverant, ademtâ libertate multati.[4] At iis, ut ad delicta, ita ad pœnitentiam facilibus, aliquot pòst annis, Nerone eorum causam agente, reddita.[5] Minus criminis, plus pœnæ fuit Umbonio Silioni,[6] Bæticæ[7] præfecto, quem Claudius, è provinciâ evocatum, senatu demovit, quasi exercitibus in Mauretaniâ bellantibus satis magnam frumenti vim non suppeditâsset; re, quòd libertis displiceret. Quantum è fortunis peteretur ignarus, immensam locupletemque supellectilem hastæ subjecit. At venditâ tantùm veste senatoriâ, id unum supplicii repeti miratus, partis opibus, privatus quidem, sed securus, usus est. Hoc anno

[1] *Paterno in regno.* Cottii pater fuit rex Donnus, memoratus in egregiâ Inscriptione, quam ob loci commoditatem, et ne hìc turbet, opportuniùs sum editurus infra, ad calcem hujus libri. Hujus autem Cottii filius neposve fuit M. Julius Cottius, quem Claudius regem fecit.

[2] *Restituit.* Dio, lx. p. 681. Errat autem eruditus Reimarus, cùm ea, quæ de M. Julio Cottio narrat Dio, ad Cotyn retulit; ut jam monuimus supra Annal. xii. 15.

[3] *Redegisset.* Aurel. Victor, in Epitome.

[4] *Multati.* Dio, lx. p. 681.

[5] *Reddita.* Ut dictum est supra Annal. xii. 58.

[6] *Umbonio Silioni.* Dio, ibid. Οὐμβωνίου Σιλίωνα.

Bæticæ. De Bæticâ, Hispaniæ parte, jam dictum supra Hist. i. 53.

nundinæ, ne sacra negotiorum tumultu interturbarentur, dilatæ;[1] quod aliàs sæpe observatum.

A. U. C. 798. J. C. 45.

12. M. Vinicio II. Tauro Statilio Corvino consulibus,[2] Claudius solita Principibus juravit;[3] veteremque consuetudinem renovavit, ut è prætoribus, tribunis plebis, ceterisque collegiis unus tantùm præiret, non verò singuli jurarent. Mox usum publicarum imaginum, in immane gliscentem, repressum iit.[4]

13. Ab ipsis Urbis initiis, majores, gnari quantum virtutum monumenta ad recti incitamentum valerent, viros atque ipsas fœminas,[5] laude præcellentes, equestribus et pedestribus statuis consecraverant; honoresque, legendos ævo, basibus inscripserant. Institutum, magnorum exemplorum ferax, pervertit magistratuum superbia. Dignitate tumidi, memoriæ perpetuitatem, nullâ re gestâ partam, vanitate et titulis redimebant: totque erupere ignotorum hominum simulacra, ut, iis sylvescentibus, obscura delituisset virtus, ni, M. Æmilio, C. Popilio II. consulibus,[6] censores P. Cornelius Scipio, M. Popilius statuas circa forum eorum qui magistratum gesserant, sustulissent omnes, præter eas quæ populi aut senatûs sententiâ statutæ essent.

[1] *Dilatæ.* Dio, ibid.

[2] *Consulibus.* M. Vinicius II. et Taurus Statilius Corvinus, quem Phlegon, *de Rebus mirab.* cap. 6. perperam cognominat *Corvilium*, consules fuere A. U. C. 798. J. C. 45.

[3] *Principibus juravit.* Dio, LX. p. 681.

[4] *Repressum iit.* Dio, ibid.

[5] *Fœminas.* Statuas Cœliæ, Lucretiæ, Corneliæ positas vide apud Plinium, XXXIV. 6.

[6] *Consulibus.* Plinius, ibid. M. Æmilius Lepidus et C. Popilius Lænas II. consules fuere A. U. C. 596. A. C. 158.

14. EXTREMIS reipublicæ temporibus, invalescente luxuriâ, recruduit ignobilis famæ vesania. Tandem sub Principibus, cùm omnia unius arbitrio, paucorum gratiâ regerentur, urbsque una totius imperii fortunas complecteretur, nullus fuit statuarum imaginumve finis: eas quisque vanissimus et malarum artium strenuus non modò in ædibus et atriis, sed in templis, in foris, oculatissimis in locis, nullo pudore, audaciâ maximâ, sibi collocavere. Cùm vix maneret virtuti locus, edixit Princeps "ut immensa illa "statuarum et imaginum vis alium in locum transferretur: "nemini posteà, nisi adprobante senatu, ullam ponere "liceret."[1] Illis tantùm, qui vel vetera monumenta reficerent, vel nova exstruerent, licitum "ut in iis suas suo-"rumque imagines publicarent."[2]

15. DEINDE animadversum in potestatum[3] avaritiam; vetus malum, et legibus validius. Quidam provinciæ rector, ob accepta munera infamis, in exilium ablegatus; et quæcumque in præfecturâ paraverat, sub hastâ vendita.[4] Ne ceteris ob continuas dignitates glisceret licentia, populisve iniqua judicia vimque conquerendi facultas adimeretur, cavit Princeps ne provinciarum præfecturâ defunctos ad alios honores statim promoveret:[5] obsoletis quoque legibus auctoritatem addidit "ut injuriæ ab rectoribus inlatæ ad "senatum deferrentur: nec iis liceret peregrinationum "diuturnitate aliisve artibus accusationes legumque severi-"tatem subterfugere." Ne adsessoribus[6] quidem, licèt ad biennium munus aliquandò prorogaverit, vel ipse desti-

[1] *Ponere liceret.* Dio, LX. p. 681.

[2] *Imagines publicarent.* Dio, ibid.

[3] *Potestatum.* De potestatibus jam dictum supra cap. 8.

[4] *Vendita.* Dio, LX. p. 681.

[5] *Promoveret.* Dio, LX. p. 682.

[6] *Adsessoribus.* Adsessores dicebantur, qui à præsidibus in consilium adhibebantur, et eis in jure dicundo adsidebant. Prætorius unicum deligebat: tres verò consularis; ut docet Dio, LIII. p. 505.

naverit, confestim provinciam sortiri permisit.[1] Mox ipsos extra Italiam commeatus, à senatu peti solitos, beneficii sui fecit;[2] dominationis tanto intemperantior, quanto minor.

16. At novarum usque legum multitudine imminuta, utì adsolet, reverentia, inritata audacia: ipsaque supplicia, amissâ ob assiduitatem turpitudine, in peccandi libidinem vertêre. Nec levia tantùm vitia, sed portentosa percrebuere scelera; et hactenus fermè inaudita parricidialis impietas adeò invaluit, ut plures parricidas intrà quinquennium Claudius culleo insuêrit,[3] quàm omnibus seculis insutos traditum. Monstratis criminibus, viros inter et mulieres de contumaciâ certatum: vicit muliebris sexus, quanto debilior, tanto, si naturâ insitam humanitatem exuit, flagitiosior. Et cùm, sub hoc principatu, venenarii et malefici primùm fuissent comprehensi, homines XLV. mulieres LXXXV. suppliciis adfecti sunt.[4] Inlustri exemplo legibus plus noceri posse, quàm juvari, nisi summâ imperandi et prohibendi prudentiâ adtemperentur: animadversionum assiduitate facilitatem peccandi, demto pudore, intendi: populorum innocentiam, vel virtutis famâ, vel parcitate simul et infamiâ pœnarum, parari.

17. Aliud autem novi moris edictum prodiit, turbarum metu potiùs, quàm literarum studio. Princeps enim, ve-

[1] *Sortiri permisit.* Dio, LX. p. 682.

[2] *Beneficii sui fecit.* Sueton. in Claud. XXIII. Hanc quidem licentiam peregrinandi extra Italiam, inconsulto senatu, tribuebat Claudius. Ne tamen à lege discedere videretur, senatusconsultum fieri curabat. Dio, LX. p. 682.

[3] *Culleo insuêrit.* Seneca, de Clementiâ, I. 23. Culleum fuisse utrem ex corio factum, *in quo parricidæ, cum simiâ, gallo, et serpente inclusi, in mare* præcipitabantur, nôrunt omnes, docetque Isidorus, *Origin.* V. 27. Breve autem ac verum est Senecæ, loc. cit. cap. 24, dictum: *Non minùs Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico multa funera.*

[4] *Suppliciis adjecti sunt.* Ms. Vindobonensis editus supra p. 286.

ritus ne diem suum natalem[1] ob futuram eclipsim inauspicatum haberet populus, denuntiavit[2] " Calendis Augustis " Solem ex quadrante[3] defecturum; idque non irâ Deûm, " sed statis naturæ legibus contingere: Solem interventu " Lunæ occultari: pariter Lunam hebetari in suis deliquiis " terræ objectu: propter multivagos Lunæ flexus,[4] hos " quidem utriusque sideris defectus non esse menstruos, " certos tamen ducentis viginti tribus mensibus[5] in suos " orbes redire. Has naturæ leges Græcis[6] jamdudum " deprehensas, apud Romanos Sulpicii Galli[7] scientiâ no- " bilitatas, eo edicto publicari, ut in hâc imperii litera- " rumque luce quisque, metu solutus, vera de naturâ sen- " tiat, nec monstra expavescat." Tali quidem edicto inclaruit sideralis scientia:[8] at in vulgi animis semper insedit

[1] *Suum natalem.* Sueton. in Claud. II. *Claudius natus est, Julio Antonio, Fabio Africano consulibus,* A. U. C. 744. A. C. 9. *Kalend. Augustis, Lugduni, eo ipso die, quo primùm ara ibi Augusto dedicata est.* In veteribus Kalendariis hoc die notatur NATAL. TI. CLAVDII GERMANICI.

[2] *Denuntiavit.* Dio, LX. p. 682.

[3] *Ex quadrante.* Fuit illa eclipsis trium digitorum. Vide Petavium, *de Doctrinâ temporum,* XI. 9.

[4] *Lunæ flexus.* Addit Plinius, II. 10. *propter obliquitatem Signiferi,* Anglicè, *the Zodiac,* et errat. Si menstrui non sunt utriusque sideris defectus, id contingit propter errores Lunæ, quæ ab Ecliptica deflectit; non verò propter obliquitatem Signiferi.

[5] *Ducentis viginti tribus mensibus.* Ait Plinius, II. 13, *ducentis viginti duobus mensibus.* At vel fallitur, vel fallunt ejus librarii. Non post ducentos viginti duos menses, sed post ducentos viginti tres menses Lunares, Sol Lunaque et nodi orbitæ Lunaris in eumdem positum recurrunt. Sic in iisdem partium scrupulis congruente utriusque sideris motu, defectus in suos orbes redeunt. Quod antiquitus Chaldæis fuerat compertum.

[6] *Græcis.* Hâc laude Thales et Hipparchus insignes fuere apud Græcos. Vide Plinium, II. 13.

[7] *Sulpicii Galli.* A. U. C. 586. A. C. 167. C. Sulpicius Gallus, tribunus militum, pridie quàm Perseus rex superatus à Paulo Æmilio est, in concionem ab imperatore productus, prædixit nocte proximâ ab horâ secundâ usque ad quartam horam noctis Lunam defecturam esse. Sic cautum ne illa eclipsis pro portento ab exercitu Romano acciperetur. Plin. loc. cit. Liv. XLIV. 37.

[8] *Sideralis scientia.* Huc fortè

superstitio; et pavores Principis scrutantibus oblata sermonum jocorumque materia.

18. AMOLIENDIS rebus novis meliores fuere ludi,[1] quos Claudius voverat Britannico bello, nunc editi. Lætitiam auxit Principis largitio; datique[2] viritim plebi, quæ ex publico frumentum accipiebat, treceni nummi;[3] nonnullis plures: quibusdam etiam mille ducenti quinquaginta.[4] Partem Cæsar, partem generi[5] distribuêre, ne per plures dies à jure dicundo abstineret: hâc in re numquam intentior, quàm dum uxor, dum liberti omnia luxu, libidine, scelere miscebant. Sub anni finem diem Saturnalibus à Caio additum, posteà omissum, restituit.[6]

19. NIHIL memorabile in provinciis gestum. Cuspio Fado, Judææ procuratori, successor datus est Tiberius Alexander,[7] patre Judæo, Alexandriæ Alabarchâ,[8] genitus;

spectat Seneca, Natural. quæst. VII. 25. *Nondum sunt anni mille quingenti, ex quo Græcia*

Stellis numeros et nomina fecit.

Multæque hodie sunt gentes, quæ tantùm facie noverint cælum, quæ nondum sciant cur Luna deficiat, quare obumbretur. Hoc apud nos quoque nuper ratio ad certum perduxit.

[1] *Ludi.* Dio, LX. p. 682.

[2] *Datique.* Dio, ibid.

[3] *Treceni nummi. Angl.* 2*l.* 10*s.* Hoc congiarium memorat Ms. Vindobonensis, ut diximus supra p. 236. In eo expensas fuisse *Angl.* 6,300,000*l.* aut ampliùs, manifestum est.

[4] *Mille ducenti quinquaginta.* Dio, ibid. Anglicè 20*l.* 8*s.* 4*d.*

[5] *Generi.* Dio, ibid. Generos Claudii, Cn. Pompeium Magnum et L. Junium Silanum vidimus supra in Suppl. Annal. IX. 25.

[6] *Restituit.* Dio, ibid. De die, quem Caius Saturnalibus addidit, diximus supra in Suppl. Annal. VII. 24. Post ejus cædem fuerat omissus.

[7] *Tiberius Alexander.* Joseph. Antiq. Jud. XX. 5. Iste est Tiberius Alexander, quem memoratum vidimus supra Annal. XV. 28. et posteà sæpe in Historiarum libris.

[8] *Alexandriæ Alabarchâ.* Alexander, Tiberii Alexandri pater, Alexandriæ omnium genere et opibus primus fuerat. Joseph. loc. cit. Portas templi Hierosolymitani auro argentoque vestiverat. Joseph. Bell. Jud. v. 5. n. 3. Alabarchia autem erat præcipua Judæorum Alexandrinorum dignitas.

Romanarum rerum tanto studiosior, quòd à patriis sacris defecerat. Haud minore Judaicæ gentis gloriâ, quàm utilitate, defectionem illam pensaverant Izates,[1] Adiabenorum rex, et ejus mater Helena, Judæorum religionem professi. Genti enim gravi fame[2] conflictatæ subvenerunt; Izates pecuniâ, Helena frumento ex Ægypto comportato, et inter egenos didito.

20. Tum Izates, Romanorum et Parthorum imperiis interjectus, inclarescebat. Sed paulo altiùs res repetenda. Is Monobazo, patri suo defuncto successerat, non ut natu major,[3] sed ut melior. Nec interfectis fratribus, ut mos est barbaris, regni tranquillitati, suæ securitati consuluit; sed fratres suos cum ipsorum liberis partim Romam ad Claudium, partim ad Artabanum, Parthorum regem, misit.[4] Dominationis æmulos hâc arte fecit pacis obsides.

21. Mox adcrevit fama, cùm Izates Artabanum[5] è regno profugum tantâ humanitate excepit, ut alieno in regno Princeps magis, quàm exul haberetur. At cùm aliena regibus semper sint iniqua, maximâ dexteritate sategit, ut Parthi Artabanum reciperent, "præteritarum injuriarum "oblivionem, seque pacis sponsorem" promittens. Adnuêre; et Cinnamus,[6] imperandi capax magis, quàm avidus, solio cessit, obsequio, quàm imperio inlustrior.

[1] *Izates.* Rem fusè narrat Joseph. Antiq. Jud. xx. 2. n. 4 et seq. De Izate jam actum supra Annal. xii. 13. Ibi quoque diximus de Adiabene, quæ pars erat et initium Assyriæ.

[2] *Gravi fame.* Joseph. Antiq. Jud. loc. cit. n. 6. Hæc confirmant, quæ jam notavimus supra, de fame ab Agabo prædictâ.

[3] *Natu major.* Junior enim erat Monobazo, Monobazi filio. Joseph. ibid. n. 3.

[4] *Misit.* Joseph. ibid. n. 4.

[5] *Artabanum.* Joseph. Antiq. Jud. xx. 3. Artabanum II. Vide Canonem regum Parthorum, in not. et emend. ad Annal. ii. 1.

[6] *Cinnamus.* Joseph. ibid. n. 2. Cinnamus, Artabani II. alumnus, ei successerat; mox regnum restituit.

22. ARTABANUS, in Izatem haud ingratus, maximis honoribus eum extulit; voluitque "ut tiarâ rectâ[1] "uteretur, lectoque aureo[2] dormiret;" quæ propria sunt Parthicæ majestatis decora: ejus quoque regno adjecit peramplam ac fertilissimam Nisibis regionem,[3] ditioni regis Armeniæ ademtam.[4] Ita cum dedecore, penes Romanos opes ac libido; penes barbaros, imperii vis et gloria.

23. VERUM ut Principis Urbisque studia sint perspectiora, haud pigebit referre visum hoc anno Antiochiæ ad Mæandrum[5] hermaphroditum;[6] et Romam perductum. Portentum illud ibi curiosè exceptum est. At ne quid dirum ingrueret, Claudius ut legum, ita cærimoniarum immodicus, in Capitolio Jovi averrunco aram posuit. Urbis verò major libido, quàm superstitio; quòdque olim in ostentis[7] fuerat, tum habuit in deliciis,[8] novo flagitiorum genere superba.

24. IISDEM circiter temporibus, nec illaudabili invento, ni mores fuissent ad luxuriam proniores, scarus,[9] piscis

[1] *Tiarâ rectâ.* Joseph. ibid. Τιάραν ἰσιὴν. Hujus tiaræ figuram videre est in nummis regum Parthorum. De eâ disserentem vide Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, p. 135.

[2] *Lectoque aureo.* Joseph. ibid.

[3] *Nisibis regionem.* Quam Macedones appellavere Mygdoniam. Ibi urbs Antiochia, vel Nisibis, hodie *Nesibin.* Vide Plinium, VI. 13.

[4] *Ademtam.* Joseph. ibid.

[5] *Antiochiæ ad Mæandrum.* Hæc est Antiochia Cariæ, quam Mæander et Orsinus circumfluebant. Plin. v. 29. Periit; Cl. d'Anville, *Géographie ancienne*, vol. II. p. 76. existimat in ejus locum successisse *Iegni-Shehr*, id est, *Urbem novam.*

[6] *Hermaphroditum.* Rem narrat Phlegon, *de Rebus mirabilibus*, cap. 6.

[7] *Olim in ostentis.* Id enim Romæ antiquitus expiatum, ut videre est apud Livium, XXVII. 11. Immo verò id horrebant Romani, ut patet ex Livio, XXXIX. 22. *Sub idem tempus et ex Umbriâ nuntiatum est semimarem duodecim fermè annos natum inventum: id prodigium abominantes arceri Romano agro necarique quamprimum jusserunt.*

[8] *In deliciis.* Plin. VII. 3. Inde, inter vetera monumenta, ære, marmore, gemmis, picturis tot imagines hermaphroditorum expressæ, quarum adhuc multæ extant.

[9] *Scarus.* Plinius, IX. 17.

nepotum principibus[1] laudatissimus, è mari Carpathio[2] in Italiam advectus. Quinquennio ferè curâ adhibitâ,[3] optatus Elipertius, præfectus classis, inter Ostiensem et Campaniæ oram[4] sparsos ita disseminavit, ut frequentes hoc in littore invenirentur: sicque satis piscibus,[5] datus mari novus incola, aucta novis saporibus gula.

25. At ne victa videretur natura, paulo pòst quidam Perusinus,[6] eques Romanus, quæstorius scriba,[7] mentagram,[8] luem majoribus patribusque incognitam, ex Asiâ importavit. Malum, tamquam fœminas plebemque negli-

Scarus saxatilis est piscis, qui, cùm ejus caro sit valdè mollis et friabilis, principatum apud Romanos obtinuit. Vide Galenum, *de Aliment. facult.* III. 30.

[1] *Nepotum principibus.* Gulam hanc helluonum spernit Horatius, Epod. II. 48.

Non me Lucrina juverint conchylia,
Magisve rhombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.

[2] *Mari Carpathio.* Mare illud Asiaticum quoque dictum est Plinio, v. 27. quòd ab Asiâ provinciâ, urbeque Telmesso, nunc *Macri*, inciperet, et ad urbem Carpathum, nunc *Scarfanto*, inter insulas Rhodum et Cretam deveniret.

[3] *Curâ adhibitâ.* Certè magnam adhibere debuit; cùm paulo ante id tempus scripserit Columella, VIII. 17. *Littorum, sic et fretorum differentias nôsse oportet, ne nos alienigeni pisces decipiant: non enim omni mari potest omnis esse, ut scarus, qui totius Asiæ Græciæque littoribus Siciliâ tenus frequentissimus exit, numquam in Ligusticum, nec per Gallias enavit ad Hibericum mare. Itaque ne si capti quidem perferantur in nostra vivaria, diuturni queant possideri.*

[4] *Oram.* Romæ vicinam et opportunam.

[5] *Satis piscibus.* Hæc, ut et superiora, Plinius, IX. 17. Illud autem exemplum pisces serendi nec injucundum, nec inutile.

[6] *Perusinus.* Perusia, nunc *Perugia.*

[7] *Quæstorius scriba.* Scriba quæstoris.

[8] *Mentagram.* Quâ de re eloquenter pro more suo, Plinius, XXVI. 1. *Sensit et facies hominum novos, omnique ævo incognitos, non Italiæ modò, verùm etiam universæ prope Europæ, morbos. Tunc quoque non totâ Italiâ, nec per Illyricum Galliasve, aut Hispanias, magnoperè vagatos, aut alibi quàm Romæ, circaque: sine dolore quidem illos, ac sine pernicie vitæ, sed tantâ fœditate, ut quæcumque mors præferenda esset. Gravissimum ex his lichenas appellavere Græco nomine: Latinè quidem, quoniam à mento ferè oriebatur, joculari primùm lasciviâ (ut est procax natura multorum in alienis miseriis,) mox et usurpato vocabulo, mentagram—Non fuerat hæc lues apud majores patresque nostros. Et primùm Tiberii Claudii Cæsaris principatu medio irrepsit in Italiam, quodam Perusino, equite Romano,*

geret,[1] in proceribus ad omne luxûs ingenium præcipuis veloci transitu osculi ita grassabatur, ut occuparet in multis totos vultus, oculis tantùm immunibus, descenderet in colla pectusque et manus, fœdo cutis furfure:[2] fœdiore adhuc eorum, qui causticam Ægyptiorum medicinam[3] pati toleraverant, cicatrice, quàm morbo. Et certè id toto ævo observatione dignum, quòd quantum opibus et deliciis, tantum vitiis et morbis crevimus.

A. U. C. 799. J. C. 46.

26. VALERIUS Asiaticus II. M. Junius Silanus consulatum[4] iniere, dignitate pares, gratiâ et opibus dispares. Silanus stato tempore[5] magistratum posuit. Asiaticus verò, licèt in totum annum designatus, se abdicavit.[6] Id quidem præstiterant et alii: at hi modicis fortunis, et Circensium ludorum sumtibus, qui immoderatè excreverant,[7] impares.

quæstorio scribâ, cùm in Asiâ apparuisset, inde contagionem ejus importante. Mentagra illa ad cuticulares morbos pertinet, et lepræ speciem elephantiasi, congenerem referre videtur.

[1] *Negligeret.* Plin. loc. cit. *Nec sensere id malum fœminæ, aut servitia, plebesque humilis, aut media: sed proceres veloci transitu osculi maximè.*

[2] *Furfure.* Plin. ibid.

[3] *Ægyptiorum medicinam.* Plinius, ibid. *Causticis namque curatur: ni usque in ossa corpus exustum esset, rebellante tædio. Adveneruntque ex Ægypto genitrice talium vitiorum medici, hanc solam operam afferentes, magnâ suâ prædâ. Siquidem certum est Manilium Cornutum, è prætoriis legatum Aquitanicæ provinciæ, HS. CC. elocâsse in eo morbo curandum sese.* Sestertium ducenties, H-S. CC. sunt *Angl.* 166,666*l.* 13*s.* 4*d.* Quod cùm sit immane, potiùs crediderim legendum H-S. CC. id est, sestertia ducenta, *Angl.* 1666*l.* 13*s.* 4*d.* Adhibiti autem Ægyptii medici, quòd hi morbi in Ægypto familiares. Unde Lucret. VI. 1112.

Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in mediâ, neque præterea usquam.

Scribebat Lucretius antequàm elephantiasis et mentagra Romæ fuissent exortæ.

[4] *Consulatum.* Valerius Asiaticus II. et M. Junius Silanus consules fuere A. U. C. 799. J. C. 46.

[5] *Stato tempore.* Vulgò post sex menses.

[6] *Se abdicavit.* Dio, LX. p. 685.

[7] *Immoderatè excreverant.* Id

Ille motam Principis gratiâ, altero consulatu, immensis divitiis invidiam verebatur: malè consultus, qui, ubi summa gratia, magnæ opes, adrepens invidia, suspectam et intutam esse modestiam, decoros verò et tutos honores maximos, modò non immodicos, haud intelligeret.

27. MESSALINA, ob luxûs monimenta, quæ invidebat, Asiatico infensa,[1] quid adversùs eum valeret, M. Vinicii ruinâ[2] prætentavit. Bis consul, patre consulari ortus, Cæsarum adfinitate[3] inlustris, Vinicius ipsi tanto erat suspectior, quòd ab eâ læsus, interfectâ uxore ejus Juliâ. Metum furoremque addiderat pudicitia incassum tentata.[4] Obscurum tamen scelus quæsivit; virumque invisum simul et dilectum, melioribusque temporibus dignum, veneno sustulit. Funere publico et laudatione celebres fuere exsequiæ; quod multis datum eâ ætate,[5] quæ humanitatis expers ejus speciem ambitiosiùs ostentabat.

28. TUM Asinius Gallus, claris natalibus,[6] facie ignobili,[7] deformiore ingenio, inserere sese fortunæ voluit. Princeps, utì rebatur, ab omnibus salutandus, si imperandi voluntatem ostenderet, cœpit ob generis claritudinem palam domi-

ex Caii Caligulæ insaniâ, de quâ dictum supra, remanebat. Tunc autem vicies et quater in ludis Circensibus certabatur, ut habet Dio, loc. cit. De his viginti quatuor missibus equorum diximus sæpe ex Kalendariis veteribus.

[1] *Asiatico infensa.* Inhiabat enim hortis, quos Valerius Asiaticus insigni magnificentiâ extollebat; ut vidimus supra Annal. XI. 1.

[2] *Vinicii ruinâ.* Dio, LX. p. 683.

[3] *Cæsarum adfinitate.* Uxorem duxerat Juliam, Germanici filiam. Vide Stem. Cæs. n. 97 et 99.

[4] *Tentata.* Dio, loc. cit.

[5] *Eâ ætate.* Dio, ibid.

[6] *Claris natalibus.* Nepos enim erat Asinii Pollionis, filius Asinii Galli, et Vipsaniæ Agrippinæ, quæ primùm Tiberio nupserat, et ex quo Drusum Cæsarem susceperat. Inde Asinius Gallus frater erat uterinus Drusi Cæsaris, ut habet Dio, LX. p. 683. Stem. Asiniorum dedimus supra.

[7] *Facie ignobili.* Staturâ minimus erat et deformis. Dio, loc. cit.

nationem adfectare. Nec opes, nec arma aderant: complures tantum Cæsaris libertos atque servos corruperat. Insanum regulum non morte, quâ inclaruisset facinus, sed exilio, quo derideretur, multavit Claudius;[1] hoc uno judicio, quàm latis tot legibus, majorem laudem adsecutus.

29. Haud minore famâ, scelus libertorum qui adversùs patronos libertate abuterentur, et ferociam dominorum, si per nefas sævirent, corripuit. Motus enim audaciâ cujusdam liberti,[2] quòd patronum apud tribunos plebis detulisset, et in eum petîsset accepissetque apparitorem,[3] non modò illum ceterosque causæ innexos punivit; sed et ingratos libertos, de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem;[4] "advocatisque eorum" negavit[5] "se adversùs "libertos ipsorum jus dicturum." Dominos pariter exosus, qui ægra affectaque mancipia in insulam Æsculapii[6] tædio medendi exponerent, sanxit[7] "omnes, qui exponerentur,

[1] *Multavit Claudius.* Dio, ibid. Insani autem consilii, et pœnæ, fortè socius fuit Statilius Corvinus. Sic enim Suetonius in Claud. XIII. *Conspiravere autem ad res novas Gallus Asinius, et Statilius Corvinus Pollionis ac Messalæ oratorum nepotes, assumtis compluribus libertis ipsius atque servis.* At de hâc societate nihil habet Dio; et fortè, duæ diversæ fuere conspirationes. Ut ut est de pœnâ Statilii Corvini silent scriptores.

[2] *Liberti.* Dio, LX. p. 683 et 684.

[3] *Apparitorem.* Dio, ibid. ὑπηρέτην. Tribunis plebis non erant lictores, sed apparitores, qui iis apparebant, et præstò aderant.

[4] *Revocavit in servitutem.* Sueton. in Claud. XXV. Sic quoque Marcianus, Digest. Libr. XXXVII. Tit. 4. *de Lege patronatûs.* Leg. 5. *Divus Claudius libertum, qui probatus fuerit patrono delatores summisisse, qui de statu ejus facerent ei quæstionem, servum patroni esse jussit.* At lex illa non videtur diu viguisse, ut patet ex Annal. XIII. 26.

[5] *Negavit.* Sueton. ibid. Id à Claudio fuisse edicto sancitum ait Dio, LX. p. 684.

[6] *In insulam Æsculapii.* Illa insula Romæ templo Æsculapii fuit insignis: nunc sancto Bartholomæo sacra, dicitur *Isola di S. Bartolomeo.*

[7] *Sanxit.* Sueton. in Claud. XXV. Huc quoque spectat, quod habet Modestinus, Digest. Libr. XL. Tit. 8. *Qui sine manumissione ad libertatem perveniunt.* Leg. 2. *Servo, quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex edicto divi Claudii competit libertas.*

" liberos fore, nec redituros in ditionem domini, si conva-
" luissent: quòd si quis necare quem mallet quàm expo-
" nere, eum cædis crimine teneri."

30. VERUM ab æquo ad temeraria citò degressus, et ægrè ferens absentiâ litigatorum, qui ne causâ caderent verebantur, judicia vel retardari vel impediri, pronuntiavit " se absentibus æquè ac præsentibus causam dicturum."[1] Deinde nullo delectu culpâne quis, an aliquâ necessitate cessâsset,[2] sententiam tulit. Cùm tamen vulgus utilitate publicâ minùs quàm voluptate moveatur, hæc judiciorum temeritas haud ita fuit ingrata. At eviluit uxorius Princeps, quòd Sabinum, Caio imperitante, Galliæ præfectum, tum morti in gladiatorio certamine destinatum, Messalina ob adulteriorum societatem servâsset.[3] Fœmina, atrox libidinum, quas præter Claudium cuncti noscerent, majorem adhuc invidiam concitavit, cùm Mnesterem,[4] his temporibus histrionicâ laude summum, stupris ita inligâsset, ut nec eum in scenam prodire sineret, nec ipse vellet, juraretque Claudius illum secum non esse, et per se non stare quominùs vellet. Quid mirer magis Messalinæ licentiam, audaciamne Mnesteris, an populi Romani questus, an contumelias Principis, haud dixerim.

31. IN tantâ principatûs indiligentiâ, evenere tamen quæ magnos Principes haud dedecuissent. Regnata hactenus Thracia in provinciam redacta.[5] Percelebris quoque fuit legatio è Taprobane[6] missa. Alterum orbem terrarum esse

[1] *Dicturum.* Dio, LX. p. 684.
[2] *Cessâsset.* Sueton. in Claud. XV.
[3] *Servâsset.* Dio, loc. cit.
[4] *Mnesterem.* Dio, ibid.
[5] *Redacta.* Hieronymus in Chronic.
[6] *Taprobane.* Nunc *Ceylon*, insula totius Orientis pulcherrima, quondam Lusitanorum, deinde Batavorum, hodie Anglorum commercio celeberrima.

diu existimatum,[1] *Antichthonum*[2] appellatione: insulam esse, Alexandri Magni victoriis innotuit. Plura et certiora docuere legati, Romam advecti. Quod quâ fortunâ contigerit, Plinium,[3] historiæ naturalis florentissimum scriptorem secutus, expediam.

32. Annii Plocami, qui maris Rubri vectigal[4] à fisco redemerat, libertus circa Arabiam navigans, raptusque Aquilonibus[5] præter Carmaniam,[6] 15. die Hippuros portum[7] invectus est: hospitali regis clementiâ sex mensium tempore imbutus alloquio,[8] percunctanti posteà narravit Romanos et Cæsarem.[9] Mirum in modum in auditis justitiam ille suspexit, quòd pares pondere denarii essent in captivâ pecuniâ, cùm diversæ imagines indicarent à pluribus[10] factos; et hoc maximè solicitatus ad amicitiam, legatos[11] quatuor misit, principe eorum Rachiâ.

[1] *Diu existimatum.* Atque ita quidem ex Hipparcho prodidit Pomponius Mela, qui ante hanc legationem Claudio missam scripsit. *Taprobane, aut grandis admodùm insula, aut prima pars orbis alterius Hipparcho dicitur.* Mela, III. 7.

[2] *Antichthonum.* Seu Antipodum.

[3] *Plinium.* Plin. VI. 22.

[4] *Vectigal.* Vectigalia vulgò ad quinquennium locabantur. De fisco Principis sæpe dictum.

[5] *Aquilonibus.* Non raptus Aquilone; sic enim ventus fuisset navigationi contrarius. Sed raptus est Aquilonibus, seu tempestatibus, ut rectè explicat Harduinus. Cauro, *the north west wind*, procelloso vento actus videtur.

[6] *Carmaniam.* Cujus nomen adhuc retinet *Kerman.*

[7] *Hippuros portum.* Portus ille sanè fuit in Occidentali orâ insulæ Taprobanes, fortè ubi nunc portus, qui dicitur *Colombo.*

[8] *Alloquio.* Indigenarum sermonem edoctus.

[9] *Cæsarem.* Claudium.

[10] *A pluribus.* Ab Imperatoribus Augusto, Tiberio, Caio Caligulâ et Claudio factos.

[11] *Legatos.* Inde quoque legati posteà missi sunt ad Julianum Imperatorem, ut videre est *apud* Ammianum Marcellinum, XXII. 4.

33. NOSTRUM cœlum,[1] suas umbras[2] mirati, ipsi in Urbe peregrinitatis avidâ admirationi fuere. Ex iis cognitum "suâ in insulâ quingenta esse oppida: Palæsimundum[3] "omnium ibi clarissimum, ac regiam CC. mill. plebis:[4] "servum nemini: non in diem aut interdiu somnum: "agros diligenter coli: vitis usum non esse,[5] pomis abun-"dare:[6] esse in piscatu voluptatem, testudinum maximè, "quarum superficie familias habitantium contegerent:[7] "ædificia modicè ab humo extare: annonam numquam

[1] *Nostrum cœlum.* Mirabantur Septemtrionalis plagæ sidera, quæ non ita noverant, in Australia sua sidera magis intenti. Plin. loc. cit. *Septemtriones Vergiliasque apud nos, veluti novo cœlo, mirabantur.* Addit Plinius *Canopum lucere noctibus, sidus ingens et clarum.* Errat autem, aut fefellere legati, *ne Lunam quidem apud ipsos, nisi ab octavâ ad* 16 *supra terram aspici fatentes.* Plin. ibid.

[2] *Suas umbras.* Ob mutatum locum, mutatæ eorum umbræ, non in Austros, sed in Septemtriones cadebant. Unde Plinius, ibid. *Maximè mirum iis erat, umbras suas in nostrum cœlum cadere, non in suum.*

[3] *Palæsimundum.* Vulgò creditur urbem illam fuisse, quæ nunc dicitur *Jafanapatnam*, celeberrimum Batavorum emporium. *Palli* autem linguâ Indicâ significat *oppidum*, aut *habitationem.* Palæsimundum est ergò oppidum Simundi; et inde tota insula Ptolemæo, VII. 4. dicitur habitatio Simundi, πάλαι ΣΙΜΟΥΝΔΟΥ.

[4] *CC. mill. plebis.* Agriculturæ studio, parco victu, humilibus ædificiis, populi frequentiâ, plurimum veteris hodiernique Sinensium ritûs habebant Taprobanitæ. In eorum quoque scripturâ versus non in transversum extensi, ut apud nos, sed, ut apud Sinenses, à vertice ad inferiora lineâ rectâ deducti. Vide Diodorum Siculum, II. 57.

[5] *Non esse.* Haud verè ergò Iambulus, apud Diodorum Siculum, II. 59. ibi vites vinumque memorat. Minimè tamen tunc ignota vitis vel in ipsis Orientis finibus. Vitem enim in Sinas invexit *Tchang-Kien*, qui anno 122. ante Christum extera regna ad Sinarum Occidentem posita adiit, cùm imperator esset *Kin-ti.*

[6] *Pomis abundare.* Maximè Assyriis citreisque malis, et aliis id genus arboribus, quæ per totum annum fructibus floribusque sunt gravidæ.

[7] *Contegerent.* Tantâ, inquit Plinius, ibid. reperiuntur magnitudine.

" augeri:[1] non fora[2] litesve esse: coli Herculem:[3] festa
" venatione absumi; gratissimam eam tigribus elephantis-
" que[4] constare. Regem eligi à populo senectâ clementiâ-
" que, liberos non habentem; et si posteà gignat, abdicari,
" ne fiat hereditarium regnum: rectores ei à populo 30.
" dari: nec nisi plurium sententiâ quemquam capitis
" damnari; sic quoque appellationem esse ad populum;
" 70. judices dari; si liberent reum, ampliùs triginta, iis
" nullam esse dignationem, gravissimo probro. Regi
" cultum Liberi patris, ceteris Arabum:[5] regem, si quid
" delinquat, morte multari, nullo interimente, aversantibus
" cunctis, et commercia etiam sermonis negantibus."[6]

34. Hæc ob novitatem audientibus grata. Libentiùs verò, licèt haud sine invidiâ auditum, " ibi vitam hominum

[1] *Numquam augeri.* Nempe ob oryzæ copiam, quæ in hâc insulâ est quàm maxima. Fortè et providebant sterilitates. Quâ laude jam inclaruerant Imperatores Sinenses, ac maximè Imperator *Suen-ti*, qui anno 54. A. C. nova horrea condidit; et, cùm fertilissimus fuisset annus, magnam oryzæ vim majore etiam, quàm tum vendebatur, pretio comparavit, ut sterilibus annis viliori pretio venderet; sic geminatâ populi sui utilitate.

[2] *Non fora.* Ob insita gentis animis justitiæ studia, non fora, non lites, ut Romæ, frequentabantur. Verùm, cùm ubi sunt homines, ibi quoque sint vitia, iis quoque fuere et judices et pœnæ, ut mox dicetur.

[3] *Herculem.* Herculem, Liberumque patrem, seu Bacchum, mox nominandum, indigenas Deos crediderim, sed ita appellatos interpretatione Romanâ. Fortè tamen ob Alexandri Magni victorias gentiumque commercia Græcis Ægyptiisque superstitionibus fuere imbuti.

[4] *Elephantisque.* Teste Plinio, loc. cit. *Onesicritus, classis Alexandri Magni præfectus, elephantos ibi majores bellicosioresque, quàm in Indiâ, gigni scripsit.* Maximam famam in Oriente adhuc obtinent.

[5] *Ceteris Arabum.* Cœlum et Solem cunctaque cœlestia à Taprobanitis fuisse culta tradit Diodorus Siculus, II. 59.

[6] *Negantibus.* Hæc et superiora Plinius, VI. 22.

" centum annis modicam :[1] insulam auri margaritarumque " grandiorum fertiliorem,[2] quàm Indiam." Paululum invidiam imminuit vitiorum societas, et Romanæ luxuriæ commendatio. Fatebantur enim legati " sibi aurum et " argentum in pretio :[3] marmor testudinis simile,[4] gemmas " margaritasque in honore multo præstantiores haberi :[5] " ipsorum opes majores esse, sed apud Romanos opulentiæ " majorem usum."[6]

35. TALIA in insulâ, extra orbem à naturâ relegatâ,[7] multi eò magis mirabantur, quòd de Seribus prorsus diversa priùs audita,[8] certioribus nuntiis tum firmata. Memorabat enim Rachia " ultra montes Emodos[9] Seras,[10] lanicio

[1] *Centum annis modicam.* Hæc et sequentia Plinius, ibid. Immo Diodorus Siculus, II. 57. tradit eos ad centum quinquaginta annos vitam producere.

[2] *Fertiliorem.* Plinius, ibid.

[3] *In pretio.* Idque commune semper fuit Orientis vitium.

[4] *Testudinis simile.* Iis marmor erat testudinaceâ varietate.

[5] *Haberi.* Nec mirum; cùm Taprobanitæ opibus valerent, et Indis essent vicini: præterea et ipsi gemmis et margaritis abundabant. Vide Ptolemæum, VII. 4.

[6] *Majorem usum.* Verè quidem, et ex luxuriâ et ostentatione Romanâ.

[7] *Relegatâ.* Plin. VI. 22.

[8] *Priùs audita.* Ante hanc legationem Claudio missam, jam de Seribus scripserat Pomponius Mela, III. 7. *Seres intersunt, genus plenum justitiæ, ex commercio, quod rebus in solitudine relictis absens peragit, notissimum.*

[9] *Montes Emodos.* Plin. ibid. Emodi montes inter Scythas et Indos interjecti, supra Gangis fontes.

[10] *Seras.* Seres illi non sunt ipsi Sinenses, ut multis creditum, sed pars Scytharum, Orienti maximè obversa, et magno muro Sinensium, qui jam tum extabat, vicina. De Seribus Plinius, VI. 17. *Primi sunt hominum, qui noscantur, Seres, lanicio sylvarum nobiles, perfusam aquâ depectentes frondium canitiem: unde geminus fœminis nostris labor redordiendi fila, rursumque texendi. Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona transluceat.* De Seribus eorumque serico plura habet Ammianus Marcellinus, XXIII. 11. *Seres armorum semper et prœliorum expertes, utque hominibus sedatis et placidis est otium voluptabile, nulli finitimorum molesti: cœli apud eos jucunda salubrisque temperies, aeris facies munda, leniumque ventorum commodissimus flatus, et abundè sylvæ sublucidæ; à quibus arborum fœtus aquarum asperginibus crebris, velut quædam vellera mollientes,*

" sylvarum [1] nobiles, ab ipsis aspici; [2] advenis sibi occur-
" sare; notos etiam commercio: patrem suum eò comme-
" âsse: illos excedere hominum magnitudinem, [3] rutilis

ex lanugine et liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt; nentesque subtegmina, conficiunt sericum, ad usus antehàc nobilium, nunc etiam infimorum sine ullâ discretione proficiens. Ipsi præter alios frugalissimi, pacatioris vitæ cultores, vitantes reliquorum mortalium cœtus. Cùmque ad coemenda fila et quædam alia fluvium transierint advenæ, nullâ sermonum vice propositarum rerum pretia solis oculis æstimantur. Et ita sunt abstinentes, ut apud se tradentes gignentia, nihil ipsi comparent advectitium. Seras tamen, quos hìc memorat Rachia, non ita dissitos fuisse à Taprabonitis, sed ipsam Australem insulæ Taprobanes partem habitâsse ingeniosè conjicit Cl. d'Anville, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, vol. XXXII. p. 602. Difficultatem tantùm facessit, quòd ultra montes Emodos locentur.

[1] *Lanicio sylvarum.* Ex modò laudatis Plinii Ammianique Marcellini testimoniis, videretur Seras non ex bombycibus, sed ex sylvis arborumque frondibus et fructibus sericum texuisse. Quod sentire quoque videtur Virgilius, Georgic. II. 121.

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?

Rem apud Romanos divulgatam, probabilem fecit P. Visdelou, docuitque in regione *Eygur* esse arbusculam, è cujus fructu educitur filum candidissimum et tenuissimum, cui nomen *Thiélié*. Vide Cl. d'Anville, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*. vol. XXXII. p. 600. Fortè quoque usurpata fuere à Seribus, uti hodieque à Sinensibus usurpantur, longissima fila serica, quæ magnâ copiâ per arbores et campos à quibusdam erucarum speciebus in provinciâ *Chan-tong* funduntur. Vide P. du Halde, *Description de l'Empire de la Chine*, vol. II. p. 207. Tunc forent distinguenda serica ex arboribus, et bombycina è bombycibus. Nec tum erat unica bombycum species, sed multiplex, ut videre est apud Plinium, XI. 22 et 23. nondum memorat Sinensem, Indicamve bombycis speciem, quæ apud nos nunc vulgatissima. Serica et Bombycina distinguit Ulpian. in Digest. Libr. XXXIV. Tit. 2. *de auro et argento legatis*. Leg. 23. *Vestimentorum sunt lanea omnia, lineaque, vel serica, vel bombycina.*

[2] *Ab ipsis aspici.* E longinquo quidem aspiciebantur, siquidem ingentes et maris et terrarum tractus intercedebant. At semper commerciorum causâ longinquæ regiones petitæ. Jam multo antè, non modò Maracandam, *Samarkand*, sed et Persidem ob commercia Sinenses adierant, ut videre est in eorum Historiâ. Immo ob illas longinquas peregrinationes reperta ab ipsis videtur pyxis magnetica, quam suis curribus aptabant, ut ipsius ope inter viarum incerta cursum dirigerent. Talem pyxidis magneticæ usum memorat eorum Historia sub Imperatore *Tching-Ouang*, *ad annum* 1106. A. C.

[3] *Hominum magnitudinem.* Hæc et seq. Plin. VI. 22. Jam monui-

" comis, cœruleis oculis, oris sono truci, nullo commercio " linguæ: feris quidem persimiles, cœtum reliquorum " mortalium fugere: mites tamen, justos, commercia ita " paragere, ut fluminis [1] ulteriore ripâ merces positas juxta " venalia tollant, si placeat permutatio." Tales virtutes in talibus hominibus aliquis fortè mirabitur, miretur magis tot periculis, impensis maximis, et lentâ quidem, sed certâ et irreparabili imperii ruinâ, matronalis libidinis velamenta [2] simul et inritamenta inde arcessi.[3]

mus supra Seras esse Scythas. Si quis verò nunc eorum magnitudinem, rutilas comas, cœruleos oculos conferat cum iis quæ dicta sunt supra in libro *de Moribus Germanorum*, cap. 4. *Habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora;* novum erit argumentum Germanos esse Scythicâ origine. Truces quoque Serum soni asperitatem Scythicæ linguæ arguunt.

[1] *Fluminis.* Plinius, VI. 17. *Primum eorum* (Serum) *noscitur flumen Psitaras.* Flumen illud idem esse debet, quod nunc dicitur *Yerghien.* Ulteriore autem ripâ ponebantur merces, quòd commercia expectabant Seres, teste Plinio, ibid.

[2] *Libidinis velamenta.* Inde, cùm varia Romanæ luxuriæ portenta recensuisset Seneca, addit: *Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumtis, mulier parùm liquidò, nudam se non esse, jurabit. Hæc ingenti summâ, ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronæ nostræ, ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quàm in publico ostendant.* Senec. *de Beneficiis*, VII. 9. Hæc serica auro rependebantur; ideo miratur Seneca Romanos non posse *vestitos esse sine commercio Serum.* Sub principatu Tiberii, *interdictum ne vestis serica viros fœdaret.* Tacit. Annal. II. 33. Posteà ipsi milites sericati incessere, cùm de Judæis triumpharent Vespasianus et Titus, ut diximus in Append. ad Hist. v. 50.

[3] *Arcessi.* Inter peregrinas merces ad vectigal pertinentes recensentur à Marciano, in Digest. Libr. XXXIX. Tit. 4. *de Publicanis et vectigalibus.* Leg. 16. *vestis serica, vel subserica, vel attincta, carbasea, nema sericum.* Nema autem sericum sunt serica fila, quæ redordiebantur rursumque texebant fœminæ Romanæ, ut ex Plinio notavimus supra. Nunc superest, ut Inscriptionem arcûs Secusiani, *Suza, in Piedmont*, egregium Cottii monumentum, repræsentem. Id enim promisi supra.

IMP. CAESARI. AVG. DIVI. F. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVNITIA POTESTATE. XV. IMP. XIII. M. IVLIVS. REGIS. DONNI. F. COTTIUS. PRAEFECTVS. CIVITATVM. QVAE. SVBSCRIPTAE. SVNT SEGOVIORVM. SEGVSINORVM. BELACORVM. CATVRIGVM MEDVLLORVM. TEBAVIORVM. ADANATIVM. SAVINCATIVM EGDINIORVM. VEAMINIORVM. VENISAMORVM. IRIORVM ESVBIANORVM. OVADIAVIVM. ET. CIVITATES. QVAE SVB. EO. PRAEFECTO. FVERVNT.

De hâc Inscriptione vide Cl. Maffei, Histor. Diplomat. p. 1. et Cl. Bimardum, in Muratori Thesaur. Insc. Antiq. vol. 1. Col. 74.

BREVIARIUM

SUPPLEMENTI

LIBRI UNDECIMI ANNALIUM.

1. PORTENTOSA anni initia. Claudius Censor. 2. Polybii, liberti, arrogantia et pœna. 3. Aulo Plautio, Britannorum victori, decreta ovatio. Vespasiani virtus. Titi pietas. 4. Revocatur majestatis crimen. 5. Messalina, Vitellii societate audax, in civium fortunas grassatur. Everso Pompeio Magno, Poppæam et Valerium Asiaticum circumvenit. *Cetera habet Tacitus Annalium Libro XI.* 1 *et seq.*

Gesta hæc,

A. U. C.	J. C.	
DCCC.	47.	Coss. { Ti. Claudio Cæsare IV, L. Vitellio III.

SUPPLEMENTUM

LIBRI UNDECIMI

ANNALIUM.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

A. U. C. 800. J. C. 47.

1. PORTENTOSIS initiis inclaruit secularis hic annus, quo Claudius Cæsar IV. sed suffectus tantùm,[1] novo circa Principem exemplo, L. Vitellius III. consulatum iniere.[2] Ipsis Calendis Januariis, nocte, quâ defecit luna,[3] Theram inter[4] et Therasiam in Ægæo mari enata insula.[5] Fabulas

[1] *Suffectus tantùm.* *In locum demortui* (consulis sanè designati) *suffectus*, Sueton. in Claud. XIV.

[2] *Consulatum iniere.* Ti. Claudius Cæsar IV. L. Vitellius III. consules fuere A. U. C. 800. J. C. 47.

[3] *Defecit luna.* Aurel. Victor de Cæsar. in Claud. Dio, Libr. LX. p. 685. Quòd verò hâc nocte prodiit insula, inde Seneca Natural. Quæst. II. 26. id prodigium ad superiorem annum exeuntem, *Valerio Asiatico consule*, retraxit.

[4] *Theram inter.* Thera, hodie *the Isle of Santorin, in the Archipelago.* Therasia, exigua insula, vicina est Occidentem versùs. De utrâque insulâ vide Plinium, II. 87. et Franciscum Richard S. J. *Relation de l'Isle de Sant-Erini*, p. 17 et seq.

[5] *Enata insula.* Seneca, Natural. Quæst. VI. 21. *Theren, et Therasiam, et hanc nostræ ætatis insulam, spectantibus nobis in Ægeo mari enatam quis dubitat?* Cassiodorus in Chronic. *Inter Theram et Therasiam exorta est insula habens stadia* 30. Sequenti-

addidere, qui Phœnicem [1] in Urbem allatum, videndum in Comitio [2] proposuerunt. Mendacium, licèt omnibus compertum, à plebe tamen spectatum est avidè, atque etiam actis testatum. Princeps, alias in curas intentus, censorium nomen, pòst Paullum Plancumque [3] censores neglectum, cum consulari adsumsit, ut reipublicæ, labentibus seculis simulque gliscentibus vitiis fatiscenti, subveniret. Senatores aliquot, luxu ad inopiam contemtumque delapsi, ordine moti sunt.[4] At equites, numero et opibus [5] tuti, Principis severitatem effugêre. Cetera censuræ multitudine legum corrupta.

2. PUDEBAT quoque Principis, ineptè seduli, qui rempublicam legibus fatigabat, dum ipsius domus majoribus vitiis urgebatur; prævalidâ in dies libertorum arrogantiâ. Patientiam, metu magis, quàm reverentiâ diu exercitam, vicit rei indignitas. Fortè cùm in theatro pantomimus illud vatis dictum, "Res non ferenda opibus potens mastigia,"[6] protulisset, omnium ora statim in Polybium conversa, qui

bus seculis, eodem in loco, manente semper eâdem ignium vi, novæ erupere insulæ, scilicet anno 726. æstivo tempore: anno 1427. die 25. Novembris: anno 1573. quæ Græcis adhuc dicitur μικρὴ Καμμένη nova demum, ineunte hoc seculo, anno 1707. die 23. Maii, per plures menses eructata. Vide Richard, loco citato, et *Mémoires pour l'Histoire des Sciences et des beaux Arts*, mense Julio anni 1708. p. 1261. et mense Septembri, anni 1715. p. 1543.

[1] *Qui Phœnicem.* Hæc habet Plinius, x. 2. Victor quoque in Cæsaribus et in Epitome. De Phœnice dictum satis in not. ad Annal. VI. 28.

[2] *In Comitio.* Comitium pars fori Romani. Vide infra Vit. Agric. cap. 2.

[3] *Paullum Plancumque.* De eorum censurâ dictum in not. et emend. ad Annal. XI. 25. ubi de censu lustroque Romanorum.

[4] *Moti sunt.* Dio, LX. p. 684.

[5] *Numero et opibus.* Cùm plurimi, servitute liberati, ad dignitatem equestrem transilirent: quod ita promiscuum esse cœpit, *ut apud Claudium Cæsarem, in censurâ ejus, unus ex equitibus Flavius Proculus quadringentos ex eâ causâ reos postularet.*

[6] *Potens mastigia.* Hæc, versumque Græcum, habet Dio, Lib. LX. p. 684.
Ἀφόρητός ἐστιν ὑπὸ τυχῶν μαστιγίας.

majore audaciâ ejusdem poetæ versum vociferatus est, "Reges quoque extitisse de caprariis."[1] Adversùs talem hominis impudentiam immotus fuit Princeps. Sed vota civium absolvit Messalina: non tamen recti studio; sed semper infidâ scelerum societate accensa, Polybium, suis adulteriis inligatum, corripuit et interfecit:[2] laudandum quidem ob literarum studia[3] et ingenii facilitatem, ni ingenuas artes probrosâ fortunâ dehonestâsset.

3. VERUM, ne continuis Messalinæ fœditatibus avocetur legentium animus, lætiora de Britannis narrandum. Aulus Plautius, quem supra memoravi,[4] rem Romanam lentis, sed certis, promoverat incrementis. Barbari frustra impetus fecere, peregrinæ dominationis odio et locorum peritiâ ad fiduciam elati: semper restitit ducis providentia, et Vespasiani virtus interrita. Periculis quoque lacessita innotuit Titi pietas, ac fortitudo. Patre circumfusis hostibus erepto, non modò servati civis decus obtinuit,[5] sed fugatos barbaros magnâ clade adfecit. Adversis casibus fracti, nihil jam audebant; et Plautius pacis artibus dominationem ultra intendit. Cùm bella ita starent, missus est proprætor

[1] *De caprariis.* Dio, ibid. p. 685.

Βασιλεῖς ἐγένοντο χ' οἱ πρὶν ὄντες αἰπόλοι.

[2] *Et interfecit.* Dio, ibid. p. 686.

[3] *Literarum studia.* Quæ Seneca commendat in libro, quem *de consolatione ad Polybium*, morte fraternâ mœrentem, scripsit. Homerum et Virgilium commentariis illustraverat. Unde Seneca, libr. cit. cap. 26. *Homerus et Virgilius, tam benè de humano genere meriti, quàm tu de omnibus et de illis meruisti, quos pluribus notos esse voluisti, quàm scripserant, multùm tecum morentur.* Fabellas quoque scripsit, ut patet ex cap. 27. *Non audeo te usque eò producere, ut fabellas quoque et Æsopeos logos, intentatum Romanis ingeniis opus, solitâ tibi venustate connectas.* Suetonius in Claud. XXVIII. ait: Claudio fuisse *Polybium à studiis, qui sæpe inter duos consules ambulabat.* Eum nempe *in altiorem ordinem et amor Cæsaris extulit, et studia deduxerunt*, Senec. cap. 25.

[4] *Supra memoravi.* In Suppl. Annal. X. 5.

[5] *Decus obtinuit.* Dio, Libr. LX. p. 685.

Ostorius Scapula,[1] qui feliciter cœpta continuaret. Plautio decreta ovatio;[2] Urbemque ingresso obviam progressus est Princeps, et in Capitolium eunti, indeque revertenti latus texit: fortè ultra Imperatoriam majestatem, at non supra Plautii merita civilis.

4. Hæc inter recruduit, vetus Urbi malum, majestatis crimen, tuendi Principis specie, sed prædandi causâ repetitum. Accusati plurimi. Ignobiles tutata est humilitas, dictitante Principe, "De pulice, ut de ferâ,[3] non esse "vindicandum." In hoc stetit clementia. Sævitum in nobiles potentesque, quòd soli ad prædam sufficerent. Atque ita pereuntibus deerat etiam commune sub prioribus Principatibus solatium, cùm, vel morituri, de Claudii crudelitate queri non possent, uxoriam ejus imbecillitatem miserarentur.

5. Una enim tot tantarumque cædium causa erat Messalina. Fœmina, libidinum adsuetudine, et Vitellii, scelerum satellitis, societate audax, in civium fortunas vitasque impunè grassabatur. Loco criminum erant muliebria odia. Sic in Pompeii Magni,[4] quem nobilitas et cum Cæsaris domo adfinitas in invidiam adduxerant, perniciem ruit. Mox Poppæam et Valerium Asiaticum, illam, ob præcellentem

[1] *Ostorius Scapula.* Vir bello egregius, ut dicetur infra Vit. Agric. XIV. De quo multa supra Annal. XII. 31 et seq.

[2] *Decreta ovatio.* Hæc, et quæ sequuntur, Suetonius in Claud. XXIV. Triumphantem, quod non est ex hujus ætatis usu, Plautium inducit Eutropius in Claud. *Tam civilis circa quosdam amicos extitit* Claudius, *ut etiam Plautium nobilem virum, qui in expeditione Britannicâ multa ac egregia fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, et conscendenti Capitolium lævus incederet.*

[3] *Ut de ferâ.* Dio, Libr. LX. p. 685. Εἰπὼν ὅτι, Οὐ τὸν αὐτὸν χρὴ τρόπον ψύλλαν τε καὶ θηρίον ἀμύνεσθαι.

[4] *Pompeii Magni.* Crassi et Scriboniæ filii, Antoniæ, Claudii filiæ, mariti. Vide Stem. Cæs. n. 106. Dionem, Libr. LX. p. 668. Zonaram, p. 563. Senecam in Apocolocyntosi.

formæ pulchritudinem, hunc, propter ingentes opes ipsosque Poppææ amores odiosum, circumvênit. Nam Valerium Asiaticum,[1] bis consulem, fuisse quondam adulterum ejus credidit: pariterque hortis inhians, quos ille à Lucullo cœptos insigni magnificentiâ extollebat, Suilium accusandis utrisque immittit.

[1] *Nam Valerium Asiaticum.* Hæc et reliqua habet Tacitus Annal. XI. 1.

BREVIARIUM

SUPPLEMENTI

LIBRI DECIMI SEXTI ANNALIUM.

Initia hujus libri habet Tacitus. 35. Thraseæ, Sorani et Serviliæ suprema. Paconii et Helvidii exilia. 37. Tiridatis in Urbem adventus. Datum ei regnum Armeniæ, magno Principis dedecore. 47. Neglectâ Judæâ, bellum adversùs Æthiopes Albanosque parat Nero. Interim Achaiam petit, cantaturus. 49. Helii, liberti, in Urbe arrogantia et sævitia. 50. Græciæ urbes scenicis artibus Principis fœdatæ. 52. Nova libidinum portenta. Nero uxorem ducit Sporum. 54. Exhaustæ Imperii opes populorum ruinâ reparantur. 55. Eadem in Urbe atrocitas. 56.

Perfodiendi Isthmi Corinthiaci tentamina. Missi ad id opus à Vespasiano Judæi captivi. 58. Judaici belli initia. 62. Nero turbarum nuntiis in Urbem revocatur, datâ priùs Achaiæ libertate. 64. Triumphans Urbem ingreditur. Fœda scenici triumphi species. 65. Conjuratio retecta, et expiata. 66. Atrocia adversùs Principem C. Julii Vindicis consilia: suas in partes Sulpicium Galbam trahit. 72. Nuntiatâ Galliarum defectione, vana belli meditamenta. 77. Conflata undique in Neronem odia. Patriæ tamen studio, Julii Vindicis cœpta opprimit Verginius Rufus. 80. Hâc clade consternatus Galba. 81. At consilia Principis, verè falsòve à spadone prodita, ineluctabilem creant ruinam. Senatus, imminere sibi periculum ratus, Neronem prævertere occupat. 82. Nero, vitæ mortisque incertus, fugit. 85. A Senatu hostis, more majorum puniendus, judicatur. 87. Pavens, mortem sibi consciscit: ultima ac pessima Cæsarum stirps. 89. Prodigia. Præceps, sed mutabilis, populi lætitia. Nymphidius, Galbæ favet, Imperii spes in se trahens: mox interficitur. 91. In Neronianæ crudelitatis instrumenta sævitum. 92. Galba, audito Neronis

fine, audacior, Romam proficiscitur. Intempestivâ severitate, Principatûs initia corrumpit.

Hæc gesta annis tribus,

A. U. C.	J. C.		
DCCCXIX.	66.	Coss.	C. Suetonio Paullino, C. Lucio Telesino.
DCCCXX.	67.	Coss.	L. Fonteio Capitone, C. Julio Rufo.
DCCCXXI.	68.	Coss.	C. Silio Italico, M. Galerio Trachalo.

SUPPLEMENTUM

LIBRI DECIMI SEXTI

ANNALIUM.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

A. U. C. 819. J. C. 66.

35.[1] THRASEA, progressus in porticum, illic à quæstore reperitur, lætitiæ propior, quia Helvidium generum suum Italiâ tantùm arceri cognoverat. Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit: porrectisque utriusque brachii venis, postquàm cruorem effudit, humum super spargens, "Libe-"mus," inquit, "Jovi LIBERATORI. Specta, juvenis, et "omen quidem Dii prohibeant; ceterùm in ea tempora "natus es, quibus firmare animum expediat constantibus "exemplis." Pòst lentitudine exitûs graves cruciatus adferente, obversis in Demetrium oculis, ejusque aspectu et verbis animatus, amicis oscula offerens,[2] diu eluctatum spiritum reddidit: vitâ egregius, mortis contemtor, et adversùm præsentia mala adeò firmus, ut dicere esset solitus, "Malle "se hodie interfici, quàm cras relegari."[3]

[1] 35. Priora capita habet Tacitus Annal. XVI.

[2] *Oscula offerens.* Scholiastes Juvenalis in Satyr. v. 36.

[3] *Cras relegari.* Arrianus, Epictet. I. 1. Θερσίας εἰώθει λέγειν, σὺν μᾶλλον ἀναιρεθῆναι θέλω μᾶλλον, ἢ αὔριον φυγαδευθῆναι. Inter multa alia percelebre ejus effatum, quod commendat Plinius, VIII. Ep. 22. *Hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitæ genere teneamus, ut nobis implaca-*

36. FATO, ut virtute, pares interiere Soranus et Servilia. Exilii pœnam animi excelsitate nobilitavit Paconius.[1] Monitus enim causam suam agi in senatu: "Benè vertat," inquit; "at quinta est hora,[2] frigidâ lavemus." Pòst cùm se damnatum audîsset, "Morte, an exilio?" interrogat. Nuntiato exilio, "Quid de bonis!" ait: "Servata," responsum. "Ariciam[3] ergò petamus, pransuri," addit ingens animi, et usurâ vitæ perinde, ac ceteri oppetitâ morte, inlustris. Laudata quoque Demetrii libertas, cui cùm Princeps mortem intentaret: "Quam mihi tu,"[4] inquit, "hanc tibi natura minitatur." Audacia, an seminudi philosophi ignobilitas, certè non justitia, non recti amor ei salutem attulit. Helvidius autem, interdictâ sibi Italiâ, Apolloniam concessit:[5] soceri posteà ultor et æmulus.[6]

37. TANTA Principis senatûsque dedecora velavit Imperio gravis, sed populo læta Tiridatis scena.[7] Nondum visa tanta hospitum majestas. Longo enim superstitiosoque,[8]

biles simus; exorabiles istis etiam, qui dare veniam, nisi sibi, nesciunt: mandemusque memoriæ, quòd vir mitissimus, et ob hoc quoque maximus, Thrasea, crebrò dicere solebat; Qui vitia odit, homines odit.

[1] *Nobilitavit Paconius.* Paconius Agrippinus, de quo dictum supra Annal. XVI. 28. 29 et 33. Alacrem ejus mentem et adversùs imminentia pericula immotam celebrat Arrianus, loc. cit.

[2] *Quinta est hora.* Arrianus, loc. cit. Ἀλλὰ ἦλθεν ἡ πέμπτη· ταύτην δ' ἰώμεθα γυμνασάμενοι ψυχρολουτρεῖν. Malè vertit eruditus Wolfius, *at quintus dies adest.* Sic Plinius senior *post solem plerumque frigidâ lavabatur*, Plin. III. Ep. 5.

[3] *Ariciam.* Nunc *la Riccia*, de quâ infra Hist. IV. 2.

[4] *Quam mihi tu.* Arrian. Diss. I. 25. Ἀπειλεῖς μοι Καίσαρι σοὶ δ' ἡ φύσις. Inter multa alia magnifica ejusdem Demetrii de Providentiâ, III. *Nihil hi videtur infelicius eo, cui nunquam evenit adversi. Non cuit enim illi se experiri.*

[5] *Apolloniam concessit.* Scholiastes Juvenalis, Satyr. V. Licèt plures fuerint Apolloniæ hæc videtur fuisse Apollonia in Epiro, nunc *Polina*.

[6] *Ultor et æmulus.* Vide Hist. IV. 5.

[7] *Tiridatis scena.* De adventu Tiridatis in Urbem supra Ann. XVI. 23. Pluribus Dio, LXIII. p. 716 et seq.

[8] *Superstit iosoque.* Plin. XXXII. 2. Tiridates *nav igare nolens*

sed triumphali pompâ[1] superbo, itinere defuncti, aderant Tiridates ejusque uxor, Vologesique et Pacori ac Monobazi[2] filii. Primo in congressu Tiridates, constantiam factis meliùs, quàm verbis probari ratus, Neronem quidem, posito genu, salutavit, ferrum verò tradere renuit;[3] " id servi-" le, et Arsacidarum fastigio indignum" dictitans. Nihil hactenus indecorum. At statim omnia in ludicrum versa.

38. NERO barbari libertatem mirari magis, quàm æmulari, gnarus, hospites Neapoli Puteolos[4] duxerat, gladiatoriisque ludis monstrata Imperii magnificentia. Hos edidit Patrobius, libertus,[5] tantoque sumtu, ut toto die soli Æthiopes, virile ac muliebre secus,[6] amphitheatrum sint ingressi. Tiridates, ut ludos honestaret, simulque dexteritatem ostentaret, è sede suâ ejaculatus, duos tauros, ut fertur,[7] uno ictu transverberavit.

quoniam exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putant.

[1] *Triumphali pompâ.* Ob ingentem comitatum; *et ideo provinciis gravis,* Plin. loc. cit. Præter famulos apparatumque regium, juxta Dionem, loc. cit. Tiridaten comitabantur tria millia equitum Parthorum, ac Romanorum plurimi. In singulis urbibus, per quas iter fuit, festivâ pompâ regiè excipiebantur.

[2] *Monobazi.* Vologeses Parthorum, Pacorus Medorum, Monobazus Adiabenorum rex. Vide supra Annal. XV. 1.

[3] *Tradere renuit.* Immo ne avelleretur, *illud vaginæ clavis affixit,* ἀλλ' ἧλοις αὐτὸν τῷ κολεῷ προσέπηξε, Dio, Libr. LXIII. p. 717. Vide et Annal. XV. 31.

[4] *Puteolos.* Nunc *Pozzuolo.* De his supra Annal. XIV. 27.

[5] *Patrobius, libertus.* Patrobius, libertus Neronis, hos ludos edidit; Dio, loc. cit. Cujus autem esset luxuriæ in edendis ludis docet Plinius, XXXV. 13. *Non multùm à pulvere Puteolano distat è Nilo arena tenuissima sui parte, non ad sustinenda maria fluctusque frangendos, sed ad debellanda corpora palæstræ studiis. Inde certè Patrobio, Neronis Principis liberto, advehebatur.* Hinc quoque luctantium invidia, cùm *in publicâ fame, Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse.* Sueton. in Ner. XLV.

[6] *Muliebre secus.* Virilis ac muliebris sexûs.

[7] *Ut fertur.* Dio, loc. cit. Εἴ γέ τῳ πιστὸν, *si tamen credibile est.*

39. MAJOR fuit pompa, at semper theatralis, cùm Romam ventum est, diesque adfuit, propter nubilum aliquamdiu dilata, quâ Tiridates, Armeniæ regnum petiturus, populo Romano ostenderetur.[1] Pridie Urbs tota, sertis nitida, luminibus collucere:[2] vis ingens hominum viarum strata complere: alii plurimi domorum tecta occupare: populus albâ veste, et laureatus, medium obtinere forum: cetera tenere milites, comtis signis armisque præfulgentibus conspicui. Primâ luce[3] Nero, triumphantis habitu, forum iniit, comitantibus senatoribus et prætorianis cohortibus. Postquàm apud rostra tribunal conscendit, curulique in sellâ inter signa militaria atque vexilla[4] resedit, Tiridates, regumque filii, ac longum famulitium, per militum ordines ad tribunal progressi, Principem venerati sunt.

40. CLAMOR populi,[5] ob rei novitatem veterisque fortunæ imaginem gestientis, statim sequutus, metum Tiridati incussit. Periculi anceps, obriguit: nec, indicto silentio, rediit prior constantia. Fortè etiam Tiridates, adulationem, quæ pericula averteret, regnum adsereret, haud veritus, " se Arsacidarum sanguine ortum" professus est, " Volo-" gesi et Pacori regum fratrem, servum Neronis, quem ut " Deum æquè, ac Mithram,[6] venerabatur: sibi nulla, nisi

[1] *Ostenderetur.* Sueton. in Ner. XIII. *Armeniæ regem magnis pollicitationibus solicitatum, cùm destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, produxit, quo opportunissimè potuit.*

[2] *Luminibus collucere.* Hæc et seq. Dio, loc. cit.

[3] *Primâ luce.* Dio, loc. cit. Ἅμα τῇ ἡμέρᾳ.

[4] *Atque vexilla.* Sueton. loc. cit.

[5] *Clamor populi.* Dio, Libr. LXIII. p. 717 et 718.

[6] *Ac Mithram.* Dio, loc. cit. Σὺ δὲ δοῦλός εἰμι καὶ ἦλθόν τι πρὸς τὸν ἐμὸν θεὸν, προσκυνήσων σε, ὡς καὶ τὸν Μίθρην. Solem, Mithræ nomine, venerabantur Persæ, aliique plurimi Orientis populi. Vide eruditissimum Hyde, *Historia religionis veterum Persarum*, p. 106 et seq. Ejus cultus apud Romanos invaluit, unde tot monumenta, D. SOL. INVICT. MITHR.

" per eum, regni jura: eum sibi fatum, sibi fortunam " esse."

41. QUANTO demissiùs hæc fuerant dicta, tanto ferociùs respondit Nero.[1] " Huc quidem meritò venisti, ut præsens " præsente me fruerere. Jurà, nec à patre relicta, nec à " fratribus, licèt dedissent, servata, à me accepta habeto. " Te regem Armeniæ do. Tu, vosque omnes, me regna " dare et adimere intelligite." Mox Tiridaten,[2] per devexum pulpitum subeuntem, ad genua admisit; allevatumque dextrâ exosculatus est. Dein regnum precantem, tiarâ deductâ, diademate evinxit: plaudente multitudine, et verba supplicis, prætorio viro interpretata, ingeminante.

42. INDE ad Pompeii theatrum discessum est. Numquam tanta apparuit auri vilitas.[3] Non modò scena, sed interior theatri ambitus auro opertus: illud inumbrabant vela purpurea, quorum mediâ in parte Nero, currûs agitator, acu pictus videbatur, aureis stellis circumdatus. Ante consessum, rursus à Tiridate supplicatum est: deinde juxta Principem latere dextro collocatus,[4] spectavit ludos, in quibus nihil usurpatum, nisi auro fulgidum. Aurea oculorum delinimenta pretiosius convivium excepit.[5] Pòst rediere

id est, *Deo Soli invicto Mithræ*, nuncupata: quâ de re vide eruditum Philippum à Turre, *Monumenta veteris Antii*, p. 157. ubi multa de Mithrâ ejusque tabulis symbolicis.

[1] *Respondit Nero.* Hoc Neronis responsum habet Dio, loc. cit.

[2] *Mox Tiridaten.* Hæc Sueton. in Ner. XIII. et Dio, loc. cit.

[3] *Auri vilitas.* Ideo, teste Dione, loc. cit. dies ille aureus appellatus est, ἀφ' οὗ καὶ τὴν ἡμέραν αὐτὴν χρυσῆν ἐκαλέσαμεν. Verè Plinius, XXXIII. 3. n. 16. *Nos fecimus, quæ posteri fabulosa arbitrentur. Cæsar, qui posteà dictator fuit, primus in ædilitate munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo usus est.—C. Antonius ludos scenâ argentea fecit.—Nero Pompeii theatrum operuit auro in unum diem, quod Tiridati regi Armeniæ ostenderet. Et quota pars ea fuit aureæ domûs ambientis urbem!*

[4] *Collocatus.* Sueton. loc. cit.

[5] *Convivium excepit.* Dio, loc. cit. In aureâ domo, de quâ modò

ludi, sed dedecore Imperatorio fœdi. Principem enim haud puduit citharâ ludicrum in modum canere, currumque, prasinâ veste,[1] aurigarumque habitu, agitare.

43. INTER hæc opprobria, indecoro populi plausu aucta, Tiridates, Corbulonis virtutem reputans, nec indignationis potens, scenico Principi "Corbulonem bonum mancipium"[2] gratulatus est. Neronis mentem, insanâ lætitiâ vagam, non advertit barbari audacia. Immo publicâ de infamiâ certantibus Principis et populi studiis, quasi per hæc deridicula confecto bello Armeniaco, Nero *Imperator* consalutatur; laureâque in Capitolium latâ, Janum clusit:[3] hâc victoriæ imagine, quàm ludicro certamine, fœdior.

44. REGNI autem certus, Urbis Principisque inclinatione suam ad utilitatem usus est Tiridates. Jam pridem Roma, fortunæ suæ non capax, ad portentosa se converterat: iis abundabat Tiridatis aula, utpote qui, Orientis more, reconditioribus mathematicæ doctrinæ artibus gloriabatur. Scientiæ fidem faciebat numerosa magorum cohors, regios inter comites præcipua. Quirites de se, de superis inferisque sciendi cupidine statim accensi. Sed apud Neronem præpotuere arcana, semper malis Principibus ob futuri formidinem, prodigis propter opum spem grata. Jam didicisse ardet.

dictum. Plura autem vide in not. et emend. ad Annal. xv. 42. Quanti tunc forent in conviviis sumtus æstimari potest ex iis, quæ notavimus supra Annal. xv. 37. not. inf.

[1] *Prasinâ veste.* Dio, loc. cit. Agitatorum factiones vestium colore noscebantur. Inde in veteri marmore apud Gruterum, p. 337. memoratur AGITATOR FACTIONIS ALB. id est, *albatæ.* FACTIONIS RUSSATAE. FACTIONIS VENETAE, seu *cæruleæ.* FACTIONIS PRASINAE, id est, *viridis.*

[2] *Bonum mancipium.* Dio, loc. cit. Ἀγαθὸν, ὦ δέσποτα, ἀνδράποδον Κορβούλωνα ἔχεις.

[3] *Janum clusit.* Sueton. in Ner. XIII. Testis quoque nummus ære magno, quem laudavi supra Annal. XVI. 28.

Discipulo superbus Tiridates, magisterium orditur.[1] Tum visus Imperii Romani arbiter Chaldaicis vanitatibus famulari, initiari cœnis magicis, veneficis artibus, quæ in magicis præpollent, imbui: magnâ quidem Urbis infamiâ; majore tamen documento inanem et intestabilem esse artem, quam neque docere posset, qui regnum acciperet, neque valeret ediscere, qui orbi imperaret.

45. At licèt elusæ spes, haud imminuta liberalitas, largiore semper Principum munificentiâ, cùm falluntur magis. Igitur, quamvis octingenta nummûm millia[2] diur-

[1] *Magisterium orditur.* De hoc magisterio insignem locum habet Plinius, xxx. 2. At cùm longior sit, quàm ut exscribatur, præcipua seligam. Magia *et aquâ, et sphæris, et aere, et stellis, et lucernis ac pelvibus, securibusque, et multis aliis modis divina promittit: quæ omnia ætate nostrâ Princeps Nero vana falsaque comperit: quippe non citharæ tragicique cantûs libido illi major fuit, fortunâ rerum humanarum summâ gestiente in profundis animi vitiis. Primùmque imperare Diis concupivit, nec quidquam generosius valuit. Nemo unquam ulli artium validius favit. Ad hæc, non opes ei defuere, non vires, non discentis ingenium, aliaque non patiente mundo. Immensum et indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero——Magus ad eum Tiridates venerat——Magos secum adduxerat. Magicis etiam cœnis eum initiaverat. Non tamen, cùm regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit. Proinde ita persuasum sit, intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras: sed in his veneficas artes pollere, non magicas.*

[2] *Octingenta nummûm millia.* Sueton. in Ner. xxx. Nero *divitiarum et pecuniæ fructum non alium putabat, quàm profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret: prælautos verèque magnificos, qui abuterentur ac perderent*——*Quare nec largiendi, nec absumendi, modum tenuit. In Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingenta nummûm millia diurna erogavit, abeuntique super sestertiûm millies contulit.* Octingenta nummûm millia sunt *Angl.* 6666*l.* 13*s.* 4*d.* Cùm per novem menses, teste Dione, Libr. LXIII. p. 716. id fuerit erogatum, sunt Anglicè circiter 1,800,000*l.* Adde millies sestertiûm abeunti collatum, quod efficit *Angl.* 833,333*l.* 6*s.* 8*d.* Accepit ergò Tiridates à Nerone Anglicè circiter 2,600,000*l.* Immo Dio, Libr. LXIII. p. 718. ait, *assentationis præmia, data munera pretio, ut fertur, ad bis millies sestertiûm,* διὰ τοῦτο δῶρά τι πεντεδεκὰ πισσαχισχιλίων μυριάδων ἄξια, ὡς φασιν, ἔλαβε. Proinde, si Dioni fides, dedit Nero Anglicè circiter 3,500,000*l.* Mirare Principis prodigalitatem, qui, cùm tantam pe-

na Tiridati fuissent erogata, abeunti super sestertiûm millies collatum est. Permissum adhuc ut Artaxata, antè, ut supra memoratum,[1] deleta instauraret. Dati quoque artifices, quibus plurimos, mercede conductos, adjunxit. Sic graviore impendio datus Armeniæ rex, quàm olim confecta bella maxima.

46. Iis auctus muneribus, nec patriæ superstitionis solicitus, Tiridates Brundisio[2] solvit, Dyrrhacium[3] petiturus. Inde Asiæ urbes invisit, Imperii opes vanasque Principis curas passim miratus. Nondum Armeniam erat ingressus, cùm Corbulo, obviam progressus, datos quidem artifices[4] regem sequi permisit; sed coacti pecuniâ jussi Romam reverti. Quod Romanæ dignitatis tuendæ studium ducis famam intendit, Principis minuit. Beneficiorum tamen haud immemor Tiridates Artaxata, quibus nomen fecit *Neroneia*,[5] restituit.

47. Interea apud Judæos, gentem sibi discordem, dirum exarserat bellum, Gessii Flori[6] procuratoris avaritiâ, Cestii Galli Syriæ legati tarditate, cum magnâ Romanorum clade, captâ unâ aquilâ, cœptum, felicibus Vespasiani auspiciis reparatum, ac tandem invisæ gentis excidio absolutum, utì fusiùs aliàs sumus dicturi.[7] At id curæ tum spernebat Nero, famæ quidem appetens, sed quæ per immodica pararetur. Neglecto itaque præsenti discrimine, ingen-

cuniarum vim in Tiridaten impendisset, Vologesen adhuc enixè orabat, ut Romam veniret, Dio, LXIII. p. 719.

[1] *Supra memoratum.* Annal. XIII. 41.

[2] *Brundisio.* Nunc *Brindisi*, in regno Neapolitano.

[3] *Dyrrhacium.* Nunc *Durazzo*, in Albaniâ.

[4] *Datos quidem artifices.* Dio, Lib. LXIII. p. 718.

[5] *Neroneia.* Dio, ibid.

[6] *Gessii Flori.* Tacit. Hist. v. 10. Sueton. in Vespasian. IV.

[7] *Sumus dicturi.* Infra cap. 57. et in Suppl. Hist. v. 27 et seq.

tia agitabat consilia, quibus Æthiopes Albanosque [1] Imperio Romano adderet.

48. Dum mittuntur exploratores, ceteraque magno apparatu disponuntur, fortè venêre è Græcis civitatibus, musicos agones edere solitis, legati, qui omnes citharœdorum coronas ad ipsum perferrent.[2] Mirum ut placuit novum assentationis genus. Legati statim admissi, familiaribus inserti epulis: adulationis periti, Principem ut "super "cœnam cantet" rogant. Vix audiere, in laudes effusi, insitam vanitatem ita inflavere, ut "solos scire audire "Græcos, solos se, solos studiis suis dignos" jactitet: "se eò profecturum, ut Romam totumque terrarum "orbem coronet."[3] Nihil veteris solicitudinis superest. In theatricam expeditionem præceps, Achaiam petit:[4] ad scenam, ut ad bellum[5] profectus. Tigellino enim duce, comes ibat Augustanorum et scortorum turba, citharis, plectris, personis, libidinum ornamentis, aut incitamentis, gravis. Ut primùm Cassiopen[6] trajectum, statim ad aram

[1] *Albanosque.* Tacit. Hist. I. 6. Dio, Libr. LXIII. p. 719. Plin. VI. 13 et 29. Sueton. in Ner. XIX. *Parabat et ad Caspias portas expeditionem, conscriptâ ex Italicis senûm pedum tironibus novâ legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat.*

[2] *Perferrent.* Dio, loc. cit. Sueton. in Ner. XXII.

[3] *Coronet.* Ex veteri usu. Unde Plinius, VII. 26. *More sacris certaminibus vincentium. Neque enim ipsi coronantur, sed patrias suas coronant.*

[4] *Achaiam petit.* Hujus navigationis testis nummus argenteus, NEPΩN KAIΣ. ΣEB. ΓEP. AY. id est, *Nero Cæsar Augustus Germanicus Imperator*, capite radiato. E. IΓ. *anno decimo tertio Imperii:* in aversâ parte, navis inflatis velis, ΣEBAΣTOΦOPOΣ, id est, *vectrix Augusti.* Aliò, sed perperam, hunc nummum trahit Hardouinus, *Selecta Opera*, p. 636.

[5] *Ut ad bellum.* Dio, loc. cit. Nec mirum, cùm quinque millia Augustanorum haberet, Dio, Lib. LXI. p. 699. Atque etiam *numquam carrucis minùs mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillatâ et phaleratâ cum Mazacum turbâ, atque cursorum*, Dio, in Ner. XXX.

[6] *Cassiopen.* Sueton. in Ner. XXI. Cassiope, hodie *S. Maria di Cassopo*, urbs insulæ Corcyræ, *Corfu.*

Jovis Cassii[1] cantus cœpere. Sic Græcia tot ante annos Flaminii, Mummii, Agrippæ et Augusti victoriis ac legibus fracta, vitiorum dulcedine tandem vicit: ipseque Princeps de se triumphum attulit.

A. U. C. 820. J. C. 67.

49. L. Fonteio Capitone, C. Julio Rufo consulibus, res Romana, absente Principe, permissa Helio, liberto,[2] sub priore Principatu scelerum ministro, nunc eò nequiori, quòd ad veterem usum major accedebat auctoritas. Sueta ignobilibus hominibus vitia, superbia, audacia, avaritia, sævitia confestim erumpere. Injuriis, minis, exiliis, mortibus adversùs omne genus hominum ipsumque senatorium ordinem grassatur.[3] Facilitate criminum gliscit temeritas; idque malorum summum civitas experta, ut cùm præsentem horruisset Principem, absentem desideraret.

50. At, gloriæ amens, hoc unum satagebat, ut diversissimorum temporum,[4] sed in hunc annum coactas omnes Græcorum palmas unus acciperet. Itaque per singulas urbes, ludorum famâ nobiles, promisso crine, resectâ barbâ,[5] ire, canere, aurigare, certare, tragœdias agere, et

[1] *Ad aram Jovis Cassii.* Illa ara et imago Jovis Cassii, aut Casii, ut appellant Græci, sæpe occurrit in nummis Corcyræorum, inscriptis ΖΕΥϹ ΚΑϹΙΟϹ. Memorat quoque Plinius, IV. 12. *oppidum Cassiopen et templum Jovis Cassii.*

[2] *Helio, liberto.* De quo supra Annal. XIII. 1. Dio, Libr. LXIII. p. 720. Socium libidinis ac prædarum habebat Polycletum, libertum, jam memoratum Annal. XIV. 39. et dicendum infra Hist. I. 37.

[3] *Grassatur.* Dio, loc. cit.

[4] *Diversissimorum temporum.* Sueton. in Ner. XXIII. *Certamina deinceps obiit omnia. Nam et quæ diversissimorum temporum sunt, cogi in unum annum, quibusdam etiam iteratis, jussit. Olympiæ quoque præter consuetudinem musicum agona commisit.*

[5] *Resectâ barbâ.* Dio, Libr. LXIII. p. 719.

pro scenarum ratione, nunc furere, nunc parturire, nunc excœcari, modò religari:[1] id tantùm cavere ne ferro violarentur[2] Imperatoriæ manus, quasi aureis compedibus minùs sordescerent: totos verò dies in hæc ludicra ita solicitè impendere, ut abesse, tædere, otiosè spectare, discedere nefas foret pœnâ expiandum.[3]

51. Ob id reus Vespasianus,[4] quòdque, canente Principe, discederet sæpiùs, aut præsens obdormisceret, non contubernio tantùm, sed publicâ etiam salutatione fuit prohibitus. Jamque extrema metuens, in devium oppidulum secesserat, intutâ adhuc latebrâ, ni mox, fatis eum ad summa vocantibus, rebus in Judæâ adflictis fugatoque Cestii Galli[5] exercitui suppetias ferre jussus esset. Mirâ sanè fortunæ naturâ, quæ, per res adversas Romanæque majestatis ludibria, Imperio ultorem, Principemque, priscæ dignitatis et severitatis vindicem, destinabat.

52. Interim Nero, oraculorum vanitate, acriore Principum libidine accensus, ludorum infamiæ scelerum portenta addere; novaque excogitare, ne ipsum plebemque, flagitiorum adsuetudine morosam, varietate mobilem, satias caperet. Igitur, jam obsolescente Pythagoræ connubio, alias superaddit nuptias;[6] et Sporum, à Tigellino cum dote et

[1] *Modò religari.* Sueton. in Ner. XXI. *Inter cetera cantavit Canacen parturientem, Orestem matricidam, Œdipodem excœcatum, Herculem insanum. In quâ fabulâ fama est tirunculum militem positum ad custodiam aditûs, cùm eum ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendæ opis gratiâ.* Quidam interrogatus, *quid faceret Imperator*, respondit facetè, *Parit.* Canacen enim agebat. Dio, Lib. LXIII. p. 720.

[2] *Ferro violarentur.* Dio, ibid.

[3] *Pœnâ expiandum.* Sueton. in Ner. XXIII.

[4] *Reus Vespasianus.* Suetonius in Vespas. IV.

[5] *Cestii Galli.* De quo supra cap. 47.

[6] *Superaddit nuptias.* Ita tamen, ut simul et Pythagoram maritum, et Sporum uxorem haberet, ἅμα τῷ Νέρωνι Πυθαγόρας μὲν ὡς ἀνὴρ, Σπόρος δὲ ὡς γυνή. Dio, Libr. LXIII. p. 721. Cùm puerum Sporum uxorem duxit, tunc vulgatus cu-

flammeo deductum, uxorem accipit, plaudentibus Græcis, liberosque precantibus. Data Sporo, in alteram Sabinam mutato, Calvia Crispinilla,[1] cui nihil præter natales inerat nobile, quæ muliebrem ejus ornatum curaret. Principi, tot libidinum formis hominum vitia supergresso, placuit tandem belluina æmulari;[2] et, quod dictu incredibile, superare valuit: immo id etiam adsequi, ut Historiam, quæ quidquid in vitiis insolens ad odium commendare gestit, nova stuprorum monstra, quorum ipsum nomen scelus foret, silere coegerit.

53. Non tamen victa tantis flagitiis conscientia, sed immanem animum pudore pariter ac terrore laniabat. Hinc licèt foret destinatum præcipuas Græciæ urbes eâ turpitudinum inluvie fœdare, Lacedæmone tamen et Athenis[3] abstinuit; Lycurgum veritus, si urbem, tantâ legum sanctitate, virtutum claritate celebratam, intraret. Magis adhuc terruere Furiarum sacra,[4] Athenis peragi solita: formidata quoque Eleusinia, quorum initiatione impii et scelerati voce præconis submovebantur.[5] Fortè quis in hoc vitiorum profundo hanc superstitionis vim mirabitur. At à naturâ,

jusdam non inscitus jocus: Benè agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius, pater Neronis, *talem habuisset uxorem.* Contra verò Nero amore ita insanus erat, ut honores maximos, immensam pecuniæ vim proponeret, si quis Sporum facere posset mulierem, et reperti, qui id pollicerentur. Dio Chrysostomus, Orat. XXI. p. 270 et seq. Fuere quoque, qui posteà in Urbe, ad omne flagitium pronâ, portentosam hanc Neronis libidinem imitarentur. Unde Martialis, Epigr. XII. 42.

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro
Hàc quâ lege viro nubere virgo solet.

Præluxere faces, velârunt flamina vultus.
Nec tua defuerant verba, Thalasse, tibi·
Dos etiam dicta est. Nondum tibi, Rome, videtur
Hoc satis; expectas numquid et ut pariat.

[1] *Calvia Crispinilla.* Dio, Libr. LXIII. p. 720. De illâ quoque infra Hist. I. 73.

[2] *Belluina æmulari.* Dio, Lib. LXIII. p. 721. Sueton. in Ner. XXIX.

[3] *Et Athenis.* Dio, loc. cit.

[4] *Furiarum sacra.* Ob cædis matrem *sæpe confessus exagitari se maternâ specie, verberibus Furiarum, ac tedis ardentibus.*

[5] *Submovebantur.* Sueton. in Ner. XXXIV.

cujus interest scelera infamare, sapienter consultum est, ut improbi rarò à superstitione sint intacti.

54. Reliquæ autem urbes, hâc famâ non defensæ, ad opprobria patuere: ne invitæ quidem, quòd et solitâ Principum admiratione, et præmiis, ad obsequium laudesque traherentur. Olympiorum ergò [1] et Pythiorum judicibus in eam servitutem corruptis, omnes certatim in venerationem ruere, victoriarum omnium titulos in unum et immeritum caput congerere, undique coronas aureas adferre, et, quem infra homines viderent, Deum appellare. Sed improsperæ adulationis, seriùs adhuc expiandæ, brevì eas pœnituit, postquàm exhaustas Principis opes suis civiumque fortunis [2] reparari sensere, easque per nobilissimorum quorumque cædes peti. Nec luctus, nisi majore adhuc formidine, repressus, exilio damnatorum liberis [3] intentato.

55. Haud melior Urbis conditio, quamvis Patres ad singulas victorias (nos enim in hæc verborum mendacia cogunt tempora) erecti, continuas supplicationes haberent, iis etiam tam immodicè fastos onerarent, ut ne annus quidem [4] sufficeret. Immo ut in se impensarum partem traherent, absenti Principi annuum centies HS [5] decreverant. Helius tamen materiam criminandi adhuc arripuit,

[1] *Olympiorum ergò.* Philostrat. *Vita Apollon.* iv. 24. Dio, Libr. lxiii. p. 720. Alienæ autem gloriæ ita invidus, ut *ne cujus ulterius hieronicarum memoria, aut vestigium, extaret usquam, subverti et unco trahi, abjicique in latrinas omnium statuas et imagines* imperaverit, Sueton. in Ner. xxiv. Alia invidiæ et crudelitatis argumenta, maximè cùm in Isthmiis Epirotam interfecit, vide apud Lucianum, p. 1145.

[2] *Civiumque fortunis.* Dio, loc. cit.

[3] *Damnatorum liberis.* Dio, ibid.

[4] *Ne annus quidem.* Dio, Libr. lxiii. p. 723. Indè posteà à Patribus delecti, qui *Fastos adulatione temporum fœdatos exonerarent,* Tacit. infra Hist. iv. 40.

[5] *Centies HS.* Centies sestertiûm, seu centies centena millia sestertiûm, *Angl.* 83,333*l.* 6*s.* 8*d.*

quosdam non satis favere, alios invidere causatus. Inde equester ordo damnatus voti, quo obstricti Augustani se Principi statuam mille pondo[1] posituros sposponderant. Quod verò atrocius, Pythici cognomen, à majoribus acceptum, Sulpicio Camerino in perniciem cessit, quasi, hoc retento, in Pythicas Neronis victorias foret impius: tali crimine inretiti pater filiusque cecidere.[2]

56. GRAVIOR adhuc malorum moles incubuit, cùm furor incessit Isthmum Corinthiacum[3] navigabili alveo perfodere. Quod quidem non publicâ utilitate[4] susceptum, sed quia naturam vincere, et à Demetrio rege, dictatore Cæsare, Caioque Principe incassum tentata[5] exsequi, splendidum haberetur. Tantâ laude jam animo præoccupatâ, Nero, dux operis, ligone aureo fossam adgreditur,[6] "ut sibi popu-

[1] *Mille pondo.* Dio, LXIII. p. 723. Si aurea fuit hæc statua, sine manipretio constitit Anglicè circiter 40,000*l.* Si verò argentea, Anglicè circiter 2750*l.* quod infra hujus ætatis luxum et Neronis vanitatem.

[2] *Cecidere.* Dio, ibid. De Sulpicio Camerino supra Annal. XIII. 52.

[3] *Isthmum Corinthiacum.* Adventum Neronis Corinthum, consiliumque perfodiendi Isthmi, *the isthmus of Corinth*, testantur nummi plurimi, tum Latini, tum Græci, inscripti: ADV. AVG. vel ADVENTVS AVG. COR. et ΠΟΣΕΙΔΩΝ ΙΣΘΜΙΟΣ, aut ΖΕΥΣ ΙΣΘΜΙΟΣ. Nempe Corinthii Neronem Neptunum Jovemque Isthmium appellabant, sicut in nummis Magnesiorum Lydiæ, quos publicavit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples et de Villes*, vol. III. p. 235. dicitur ΝΕ. ΚΑΙ. ΖΕΥC ΕΛΕΥΘΕΡΙΟC, id est, *Nero Cæsar Jupiter liberator.* Isthmus, teste Plinio, IV. 4. patet quinque millia passuum.

[4] *Publicâ utilitate.* Publica quidem hoc in opere fuisset utilitas, ob longum et ancipitem navium ambitum, quas magnitudo plaustris transvehi prohibebat, ut ait Plinius, loc. cit. At eam non spectabat Nero, portentosi tantùm operis curiosus.

[5] *Tentata.* Immo et *infausto, ut omnium patuit exitu, incepto*, Plin. loc. cit. Nempe victus Demetrius, in custodiâ periit. Julius Cæsar, Caius Caligula, Nero, violentâ morte occubuere.

[6] *Fossam adgreditur.* Sueton. in Ner. XIX. *In Achaiâ Isthmum perfodere aggressus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est: tubâque signo dato, primus rastello humum effodit, et corbulæ congestam humeris extulit.* Multa quoque hâc de re habent Dio, LXIII. p. 722. Philo-

" loquè Romano benè res verteret" precatus. Undequaque pecunia, materiæ, operæ conquisitæ: fodiendis ac comportandis terris destinati exercitus. Captivi et rei ad dura et saxosa[1] damnati.

57. Cum ita ferverent operæ, in auxilium simul et in victoriæ monimentum venêre lectissimorum captivorum sex millia,[2] quos, expugnatâ Taricheâ,[3] mittebat Vespasianus. Rei enim militaris scientiâ et longo usu in Britanniâ probatus, vix Judaicum bellum capessivit, cùm statim correctâ castrorum disciplinâ, Romanis armis auctoritatem restituit. Verùm nec sibi, nec patriæ fieri satis ratus, ni gentem, mentis mobilitate et oraculorum ambagibus[4] turbidam, ita contereret, ut numquam resurgeret audacia, graviorem belli molem intulit. Itaque additis ad copias duabus legionibus,[5] octo alis, cohortibus decem, et majore filio,[6] spectatæ virtutis juvene, inter legatos adsumto, Galilææ, locorum

strat. *Vit. Apollon.* iv. 24. Pausanias, Libr. ii. *in Corinthiac.* p. 112. Inter Luciani opera extat quoque dialogus, inscriptus *Nero*, p. 1142 et seq.

[1] *Et saxosa.* Integra mansere; priùs derelicto opere, quàm huc perventum, Pausanias, loc. cit.

[2] *Sex millia.* Joseph. Bell. Judaic. iii. 10. n. 10.

[3] *Taricheâ.* Sueton. in Tito, iv. De hâc urbe modò dicetur infra.

[4] *Oraculorum ambagibus.* Cùm Judæi, quæ à Prophetis, maximè à Daniele, ii. 44. vii. 27. Micheâ, iv. 1 et seq. de futuro Christi regno fuerant prænuntiata, ad ambitiosas regni sui spes traherent. Quâ de re opportuniùs dicetur in not. et emend. ad Hist. v. 13.

[5] *Duabus legionibus.* Sueton. loc. cit. Vespasiani copias diligentiùs recenset Josephus, Bell. Jud. iii. 4. n. 2. et iii. 9. n. 1. Nempe aderant quatuor legiones, v. x. xii et xv. viginti tres cohortes, et una equitum turma: quinque aliæ turmæ Syrorum equitum. Ex iis cohortibus, decem singulæ habebant mille pedites: reliquæ, pedites sexcentos, equites centum et viginti. Præterea reges Antiochus, Agrippa et Sohemus bina millia peditum sagittariorum et mille equites suppeditabant. Arabs quoque Malchus misit mille equites, et quinque millia peditum, quorum pars major erant sagittarii. Itaque Vespasiani exercitus constabat sexaginta circiter hominum millibus, præter ingentem calonum multitudinem. Sed de his adhuc infra ad Librum, v. Historiarum.

[6] *Majore filio.* Tito, Sueton. loc. cit.

naturâ et arte munitissimæ, primùm incubuit. Omissâque clementiâ Romanâ, seu quòd Judæos eâ indignos judicaret, seu quòd ipsi, eâ spretâ, in exitium ruerent, seu potiùs, ut pluribus visum, quòd iratum numen gentis excidio execranda scelera ultum iret,[1] omnia ferro flammâque vastata. Certè ab Urbe conditâ nullo in bello tantùm hostilis sanguinis fusum est.

58. NAM ut primùm percrebuit rumor Vespasianum adventare, Judæi, præsidium Romanum Ascaloni impositum,[2] adgredi ausi, geminâ clade, quæ decem et octo millia hominum absumsit, ab Antonio adfecti sunt. Mox Vespasianus, ut contumaciam infringeret, captam Gadaram[3] ejusque vicos igne delevit, puberibus omnibus trucidatis. Deinde Jotapatam,[4] castellum munitissimum, cinxit obsidione; quæ quoniam locorum difficultate et obsessorum pertinaciâ in longum traheretur, ne ceteris hostibus crescerent animi, Trajanum,[5] decumæ legionis præfectum, et Cerialem, quintæ tribunum, in diversa misit, ut terrorem latè facerent. Ille, cæsis hominum quindecim millibus,

[1] *Ultum iret.* Ac maximè ob infandam Jesu Christi necem, de quâ Daniel, IX. 26. *Occidetur Christus: et non erit ejus,* Hebraicè *non erit ei,* ואין לו, *populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.* Quibus verbis elucidandis, et eventibus cum vaticinio comparandis, immorari neque est hujusce instituti operis; neque operæ pretium, cum id eruditissimi viri evidentissimum fecerint.

[2] *Ascaloni impositum.* Joseph. Bell. Jud. III. 2. Ascalon, urbs maritima tribûs Simeon, hodie *Scalona.* Ascalonis fidem testatur Neronis nummus hoc anno cusus, ΑΣΚΑΛΩ. ΑΟΡ. id est, *anno centesimo septuagesimo primo.* Vide Harduinum, *Selecta Opera,* p. 636.

[3] *Captam Gadaram.* Joseph. Bell. Jud. III. 7. Gadara, *Kédar,* urbs tribûs Manasse trans Jordanem, in Galaitide. Tunc cusus à Gadarensibus Neronis nummus, de quo Harduinus, *Selecta Opera,* p. 687. ΓΑΔΑΡΕΩΝ. Ε. ΑΛΡ. id est, *anno centesimo trigesimo primo.*

[4] *Jotapatam.* Joseph. loc. cit. n. 4 et seq. Jotapata, urbs tribûs Zabulon, in Decapoli, Galilææ munitissima.

[5] *Trajanum.* Patrem Trajani Imperatoris.

Japhâ oppido[1] potitus est: hic Samaritanorum undecim millia in monte, cui nomen Garizim,[2] præcipuæ apud eos religionis, congregata, ad unum occidit. Interim Jotapatam admotæ machinæ acriùs quatiebant. Romanorumque animis periculorum diuturnitate ac recenti ducis vulnere[3] exasperatis, tandem Calendis Juliis,[4] præeunte Tito, expugnata est: in eâ quadraginta hominum millia periisse constitit: magnus quoque fuit captivorum numerus, quos inter Josephus,[5] ingenio et scientiâ militari non indecorus, adulatione veriùs, quàm augurio, Imperium Vespasiano Titoque ominatus, favorem captavit.

59. Tum legiones, his laboribus fessæ, in hiberna concessere,[6] quinta et duodecima Scythopolim,[7] decima et quinta-

[1] *Japhâ oppido.* Japha, *Sapket*, in Jotapatæ viciniâ, ἐπί τινα τῶν τῆς Ἰωταπάτης ἀγυγιτόνων πόλιν, Ἰαφὰ καλεῖται. Joseph. Bell. Jud. III. 7. n. 31.

[2] *Garizim.* Garizim, in tribu Ephraim, mons Samariæ editissimus, in quo templum Hierosolymitano æmulum. Templum illud exhibet egregius nummus, quem juris publici fecit Cl. Pellerin, *Mélange de Médailles*, vol. I. p. 316. I. I. M. M. C. C. PHILIPPIS, id est, *Imperatoribus Cæsaribus Philippis*, Capita Philipporum patris ac filii. In aversâ parte Venus stat ante Herculem; et in summâ nummi parte, mons Garizim et templum, hinc Luna, inde Sol. Inscriptio, NEAPOL. NEOCORO. COL. id est, *Neapolis Neocoros Colonia.* Neapolis, hodie *Naples.*

[3] *Ducis vulnere.* Vespasiani. Joseph. Bell. Jud. III. 7. n. 22.

[4] *Calendis Juliis.* Πανήμου νουμηνίᾳ, primo Panemi mensis die, Joseph. Bell. Jud. III. 7. n. 36.

[5] *Josephus.* Qui historiam suam fusè ipse prosequitur, Bell. Jud. III. 8. Scriptor singularis, in quo plurima argueris, multa tamen laudaveris.

[6] *Concessere.* Joseph. Bell. Jud. III. 9. n. 1.

[7] *Scythopolim.* Urbem tribûs Manasse, cis Jordanem. Dicta est primùm Bethsan, deinde Nysa, ac demum *Scythopolis.* Ruderibus manet adhuc nomen *Scythopoli.* Hoc anno cusus nummus, quem protulit Cl. Liebe, Thesaur. Frideric. p. 335. Caput Neronis coronâ hederaceâ cinctum, in aream hinc E. inde EIP, id est, *anno centesimo decimo quinto* æræ Scythopolitanæ, seu Cæsaris; ex adversâ parte in coronâ spicea NYCAIEΩN TΩN KAI CKYΘOΠOΛITΩN. De nummis Scythopolis, ejusque ærâ, vide Cl. Belley, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, vol. XXVI. p. 415.

decima Cæsaream.[1] Sævitum tamen in proximam Joppen,[2] piraticis latrociniis infamem. Mox ante hyemem bellum renovatum est. Orabat enim Agrippa,[3] ut Tiberias[4] et Tarichea,[5] urbes regni sui validissimæ, à seditiosis occupatæ, ad fidem retraherentur. Regi amico, opem petenti, præsto fuit Vespasianus. Tiberias, imminenti discrimine territa, deditionem[6] properavit. Taricheam seditiosorum duces ad fiduciam erexerant. Sed adversùs Titi vim invalida, amissis sex millibus hominum, capta est.[7] Qui in lacum[8] profugêre, pariter deleti. Deinde à seditiosis repetitâ pœnâ, Vespasianus edixit " mille ac ducentos viros, ætate et auctoritate " præcipuos, interfici; ceteros fore captivos." Ex iis sex millia, ut diximus, Neroni missa: triginta millia sub coronâ venumdata: ceteri Agrippæ cessere.

60. Hæc Taricheæ ruina, et strages Gamalæ edita,[9] in quâ omnes contrucidati, vel è summis mœnibus sponte

[1] *Cæsaream.* Urbem Palæstinæ maritimam et celeberrimam. Tum cusus præstantissimus nummus Cl. Pellerin, *Mélange de Médailles*, vol. II. p. 34. ΝΕΡΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ, *Nero Augustus Cæsar*, capite laureato. In aversâ parte, Dea Astarte caput Osiridis dextrâ gestat, ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η. ΠΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΙΜΕΝΙ, id est, *Cæsarea ad Augustum portum.* In areâ Ε. ΙΑ. *anno decimo quarto* Neronis. Vide et Cl. Belley, loc. cit. p. 440.

[2] *Joppen.* Urbem maritimam tribûs Dan, hodie *Jafa*. In hùjus urbis nummo, quem primus protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples et de Villes*, vol. II. p. 254. dicitur, ΙΟΠΗ.

[3] *Agrippa.* Rex Agrippa II. cuí partem Galilææ Nero dederat. Vide Stemma Herodum, n. 9. in not. et emend. ad Annal. XII. 23.

[4] *Tiberias.* Urbs tribûs Zabulon ad lacum Genesareth. Antè vocabatur *Cenereth*, ab Herode in honorem Tiberii dicta est Tiberias.

[5] *Tarichea.* Urbs tribûs Issachar ad meridiem lacûs Genesareth.

[6] *Deditionem.* Joseph. Bell. Jud. III. 9. n. 8.

[7] *Capta est.* VI. Idus, seu die 8. Septembris; Γορπιαίου μηνὸς ἐγδόῃ, *Gorpiæi mensis die octavâ* Joseph. Bell. Jud. III. 10. n. 10.

[8] *In lacum.* In lacum Genesareth, Taricheæ proximum.

[9] *Gamalæ edita.* Gamala, urbs tribûs Manasse trans Jordanem, monti imposita et validissima, de quâ Sueton. in Tit. IV. Excisa est Gamala die 23. Octobris; Τρίτῃ καὶ εἰκάδι μηνὸς Ὑπερβερεταίου, *tertiâ et vicesimâ die mensis Hyperberætei*, Joseph. Bell. Jud. IV. 1. n. 10.

præcipites enecti, terrorem undequaque circumtulere. Nondum tamen seditiosi ad pacis consilia conversi, sed, furentum more, adversis ferociores undequaque concursare, Hierosolyma implere; templum, maximâ in veneratione quondam habitum, in arcem vertere, cædibus et summi pontificis [1] cruore fœdare; denique cùm nihil sacri haberent, religionem, ut nefanda quæque audere liceret, obtendere.[2] Multi "discordiâ properè utendum: Hierosolyma posse "opprimi; et unius urbis expugnatione bellum peragi" censebant. Contra Vespasianus: "Festinatione nihil opus "esse: discordes animos ultimo rerum discrimine ad "concordiam non exstimulandos: Hierosolyma advenarum "colluvie, commeatuum penuriâ, mutuis cædibus ipsa "ultro ruere: hostes numquam certiùs meliùsque confici, "quàm cùm ferro ipsi suo cadunt." Potior habita est ejus sententia. Itaque per provinciam imposita tantùm præsidia, quæ seditiosos frænarent, urbem vallarent.[3]

61. Hæc quidem consultò provisa et fortiter gesta apud Neronem Vespasiano impunè erant, ob generis nominisque obscuritatem. Suspectæ enim Principi, flagitiorum conscientiâ pavido, virtus, opes, nobilitas. Nec aliis criminibus quæsita mors Corbuloni, Scriboniisque fratribus,[4] Rufo et Proculo. His exitium attulit Pactius Africanus,[5] "opibus, "concordiâ, gestis honoribus, apud exercitus Germanicos "auctoritate, Principi formidandos" dictitans. Ob id, dignitatis specie, in Achaiam acciti: ut venêre, Principis

[1] *Summi pontificis.* Nomine Anani; quem summoperè laudat Josephus, Bell. Jud. IV. 3. n. 7. IV. 5. n. 2. Tot verò cædes ibi patratæ, ut inventa sint cæsorum octo millia et quingenti viri. Joseph. Bell. Jud. IV. 5. n. 1.

[2] *Obtendere.* Seque appellabant *Zelotas.* Joseph. Bell. Jud. IV. 3. n. 9.

[3] *Vallarent.* Hæc Joseph. Bell. Jud. IV. 6.

[4] *Corbuloni, Scriboniisque fratribus.* Dio, LXIII. p. 722. Scribonii fratres jam laudati supra Annal. XIII. 48.

[5] *Pactius Africanus.* De quo infra Hist. IV. 41.

congressu prohibiti, neglecti, obscuris circumventi sunt criminum rumoribus. Cùm nulla esset defensionis spes, morte opprobrio antehabitâ, vitam, fuso per venas sanguine, finiere.[1] Corbulonem, gloriâ circumdatum, Nero ipse corripuit, se Imperii incertum ratus, dum viveret: pari fraude usus, sed præsentiam reveritus, Cenchreas[2] adventanti supremam necessitatem nuntiari jubet. Corbulo, "se "dignum"[3] fassus, gladium sua in viscera direxit, ab ignavo Principe deceptum se esse, et inermem venisse indignans.

62. Tantis cædibus conflata odia, nedum facta securitas. Jamque labante Urbis fide, Helius, consilii anceps, Neroni nuntiat, "quàm primùm veniat: præsentiâ ejus Urbicas res "egere."[4] Iis ab insanâ gloriæ cupidine non retractus, rescribit (nec enim omiserim verba, incredibilis stultitiæ testes) "Quamvis nunc consilium tuum sit et votum, celeri-"ter reverti me: tamen suadere et optare potiùs debes, ut "Nerone dignus revertar."[5] Helius, gliscente per moras periculo, ipse Achaiam properè petit, ut verbis fidem faciat, "turbas, conjurationes" admonet.[6] Terrorem incutit monstratum discrimen; sed magis movet præsens Isthmiorum ludicrum: mentem quoque solicitat ingrati animi pudor, si mansura non reliquerit munificentiæ monimenta. His anxius, stadium advolat; mox in foro, haud per præconem, sed suâ ipse voce, pro tribunali,[7] "universam

[1] *Finiere.* Dio, loc. cit.

[2] *Cenchreas.* Cenchreæ, sitæ ad angustias Isthmi Corinthiaci, Orientem versùs: hodie *Kenkri.*

[3] *Se dignum.* Dio, loc. cit. Ἑαυτὸν ἐῤῥωμένως παίων, ἔλεγεν, Ἄξιος. Τότε γὰρ δή ποτε πρῶτον ἐπίστευσεν, ὅτι κακῶς ἐπεποιήκει, καὶ φεισάμενος τοῦ κιθαρῳδοῦ, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλθὼν ἄνοπλος.

[4] *Urbicas res egere.* Sueton. in Ner. XXIII.

[5] *Revertar.* Sueton. ibid.

[6] *Conjurationes admonet.* Dio, LXIII. p. 723.

[7] *Pro tribunali.* Plutarchus, in Flaminio, p. 376. Aliter Suetonius in Ner. XXIV. *Quæ beneficia è medio stadio Isthmiorum die suâ ipse voce pronuntiavit.*

" Achaiam liberam" pronuntiat; judicibusque[1] civitate Romanâ et grandi pecuniâ[2] donatis, indecoros inter plausus, haud quales olim T. Flaminio[3] auditos, navem conscendit, Italiam repetiturus.

A. U. C. 821. J. C. 68.

63. Tum consules erant C. Silius Italicus et M. Galerius Trachalus; alter poeticâ facultate,[4] alter forensi eloquentiâ[5] notus: uterque favore Principis, Silius delationibus,[6] invisus. Nam in Urbe non spes, non vota ampliùs occulta. Plurimi adversâ tempestate turbidoque mari imminere Principi periculum palam lætabantur,[7] exitium quoquè precari ausi. In luctum vertêre gaudia, cùm Princeps, procellâ

[1] *Judicibusque.* Ludorum.

[2] *Grandi pecuniâ.* Sueton. loc. cit. Quanta fuerit prodigalitas, inde licet conjicere: cùm aurigaret *Olympiis decemjugem, excussus curru, ac rursus repositus, cùm perdurare non posset, destitit ante decursum: nec eò seciùs coronatus est.* Sueton. loc. cit. Quamobrem *Hellanodicis*, seu judicibus, *decies sestertium*, *Angl.* 8333*l.* 6*s.* 8*d.* dedit. Dio, LXIII. p. 721.

[3] *T. Flaminio.* Qui devicto Philippo, Macedonum rege, Græciam in libertatem vindicavit. Hæc libertas, per solemne Isthmiorum ludicrum præconis voce pronuntiata, tantis applaudentium clamoribus exceptâ est, ut corvi, supra stadium volantes, in terram decíderent, auctore Plutarcho, in Flamin. p. 374 et seq.

[4] *Poeticâ facultate.* Extant ejus opera, Imperante Domitiano, publicam in lucem emissa. Ante consulatum eloquentiæ foroque operam dedit: unde Martialis, Epigr. VII. 61.

Perpetui numquam moritura volumina Sili,
Qui legis, et Latiâ carmina digna togâ,
Picrios tantùm vati placuisse recessus
Credis, et Aoniæ Bacchica serta comæ.
Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,
Implevit magni quàm Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum:
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquàm bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit:
Emeritos Musis, et Phœbo tradidit annos;
Proque suo celebrat nunc Helicona foro.

[5] *Eloquentiâ.* Trachali laudes vide apud Quintilianum, *Instit. Orat.* X. 1. Ejus quoque latum et sonans dicendi genus laudat Tacitus, Hist. I. 90.

[6] *Delationibus.* Quam *maculam veteris industriæ laudabili otio* abluit. *Fuit*que *inter principes civitatis sine potentiâ, sine invidiâ*, Plin. III. Ep. 7. Tota hæc epistola de morte et laudibus Silii, lectu digna.

[7] *Lætabantur.* Dio, LXIII. p. 723.

quidem jactatus, amissis naufragio pretiosissimis rebus, Neapolim[1] incolumis pervenit. Urbem, olim gloriæ incunabula,[2] triumphorum nunc testem, revisere gestiit. Hanc albis equis,[3] disjectâ muri parte, ut mos hieronicarum est,[4] ingressus, Antium Albanumque pari pompâ introiit.

64. Cum Romam perventum est, adornata major triumphi moles; et, ut novum victoriarum genus, nova quoque excogitata decora. Nec Jovi,[5] Imperii præsidi, sed Apollini, citharœdorum numini, supplicatum. Currus tamen Augusti,[6] veteris magnificentiæ triumphatique orbis monimentum, ad hæc ludicra revectus. Ut primùm cetera immenso sumtu fuere apparata, murorum Urbis violatâ majestate, tot abhinc seculis formidolosis hostibus intactâ, per dirutam partem subiit triumphalis pompa; præeuntibus, qui coronas,[7] victoriarum dona, præferrent: mox vecti longo ordine tituli, quibus inscripti quo loco, quo cantionum, quove fabularum argumento partæ victoriæ: deinde inter citharœdorum turmas ibat Augusti currus, in quo Princeps stans veste purpureâ, distinctâ stellis aureis chlamyde, capite coronam olympiacam, dextrâ Pythiam gerebat, retro stante in eodem curru Diodoro citharœdo.[8] Ponè sequebatur, ovantium ritu, plausorum agmen, "Augusta-

[1] *Neapolim.* *Naples.*

[2] *Incunabula.* *Quòd in eâ* urbe *primùm artem protulerat.* Sueton. in Ner. xxv.

[3] *Albis equis.* Quod Jovi Deorum regi patrique sacrum. Plutarch. in Camill. p. 132.

[4] *Hieronicarum est.* Sueton. loc. cit. De hoc more Vitruvius, ix. in præfat. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, uti—cùm revertuntur in suas civitates cum victoriâ, triumphantes quadrigis, in mœnia et in patrias invehantur.*

[5] *Nec Jovi.* Errat enim Dio, lxiii. p. 723. cùm ait Neronem primò in Capitolium ascendisse, εἰς τὸ Καπιτώλιον ἀνῆλθε. Aliter enim Suetonius in Ner. xxv.

[6] *Augusti.* Sueton. loc. cit.

[7] *Qui coronas.* Quas posteà in Circo suo Vaticano, obelisco imposuit, numero mille octingentas octo, ὀκτὼ καὶ ὀκτακοσίους καὶ χιλίους. Dio, lxiii. p. 723.

[8] *Diodoro citharœdo.* Dio, lxiii. p. 723.

" nos se, militesque triumphi" [1] clamitantium. Conferta demum civitas ipsique senatores, contentis vocibus, ingeminabant, " Io victor Olympice! io victor Pythice, Auguste! " io Neroni Herculi! io Neroni Apollini! io omnium victor, " Auguste! Sacra vox! Fortunati, queis cœlestem vocem " audire datum!" Ita incedenti [2] passim cædebantur victimæ, spargebantur odores, aves, lemnisci, bellaria ingerebantur. Per circum maximum,[3] Velabrum Forumque ductâ pompâ, Princeps ad palatium adscendit, et, Apolline salutato, Circenses indixit:[4] acriorque rediit ludorum furor: nec in Urbe stetit, per provincias quoque pervagatus.

65. REMORDEBAT tamen idemtidem memoria turbarum, quas Helius nuntiaverat. Quæsita ex superstitione [5] remedia, quibus fidem fecit casus, statim retectâ conjuratione,[6] cùm summum instaret discrimen. Nox enim unica restabat [7] Neroni. Qui facinus patrare in se receperat, fortè theatrum petiit, et pro foribus vidit vinctum hominem, miserabiliter ejulantem, quòd ad Neronem esset ducendus. Ille, misericordiâ incertum, an jactantiâ, nimiâve silentii mole pressus, misero propinquat, et in aurem insusurrat:

[1] *Militesque triumphi.* Sueton. loc. cit.

[2] *Ita incedenti.* Sueton. loc. cit. *Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias idemtidem croco, ingestæque aves, ac lemnisci, et bellaria.* Moris enim erat in ludorum triumphis coronas, lemniscos, aliaque id genus munuscula, injici, tantâ quandòque copiâ, ut haud procul periculo essent victores. De lemniscis, Plinius, XXI. 3. *Crassus dives, primus argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit. Accesserunt que et lemnisci, quos adjici ipsarum coronarum honos erat, propter Etruscas, quibus adjungi nisi aurei non debebant.* Lemniscos dicimus, *ribbons.*

[3] *Circum maximum. Diruto* etiam *Circi maximi arcu.* Sueton. in Ner. XXV.

[4] *Circenses indixit.* Dio, LXIII. p. 724.

[5] *Ex superstitione.* Ac maximè ex Astrologiâ, cultuque iunculæ puellaris. Vide Suetonium in Ner. XXXVI et LVI.

[6] *Conjuratione.* Hæc fortè Viniciana conjuratio, Beneventi conflata, de quâ Suetonius in Ner. XXXVI.

[7] *Unica restabat.* Id ceteraque conjurationis habet Plutarchus, vol. II. de Garrulitate, p. 505.

" Dura ad crastinam diem; cras mihi gratiam referes." Hic novitate spei arrectus, verbaque secum reputans, atrocia introspicit, paratque indicium, in quo salutis certa, plurima fortunæ spes. Ut coram Nerone adstitit, audita refert. Reus, confestim in vincla raptus, tormentis subditur. Adversùm verbera et ignes primùm pervicax, factum negat: sed supplicii diuturnitate victus, ægrè prolato, quod leviter prodiderat, se sociosque eamdem in ruinam detrudit. Multo sanguine expiatâ conjuratione, superstitionis, cujus instinctu detecta credebatur, apud Principem crevit honos: addidit haruspicum extispicia,[1] ut major accederet securitas.

66. INCOLUMITATI cùm ita fuisset consultum, intentior fuit libidinum cura. Juvit eas abscondere Neapoli, quòd ibi plus deliciarum, minus periculi. Vigebant maximè, quandò gravior exorta est procella, quam nec superstitio, nec vis Principis, nec continuata tot annos Cæsarum reverentia averteret. Initium habuit in Galliis. Provinciam pro prætore obtinebat C. Julius Vindex,[2] Aquitanus,[3] stirpe regiâ oriundus, animi consiliique ingens, tanto acrior, quòd pluribus à vitiis integer. Illi non avaritia, non ambitio, non invidia, sed laudis cupido, libertatis studium, propudiosi Principis odium, cujus flagitia pertæsus, publicum dedecus propulsandi impetum cepit.

[1] *Extispicia.* Sueton. in Ner. LVI. De haruspicibus extispicis jam dictum supra Annal. XI. 15.

[2] *C. Julius Vindex.* Hæc, et quæ de Vindice sequuntur, profunt Dio, LXIII. p. 724. Sueton. in Ner. XL. Plutarch. in Galbâ, p. 1054. Perperam tamen Plutarchus Ἰούνιος Οὐίνδιξ, pro Ἰούλιος. Quomodò Vindex ficto pallore Neronem in testamenti spem erectum deceperit, favorem hoc astu emercatus, docet Plinius, XX. 14. Cuminum *pallorem bibentibus gignit. Ita certè ferunt Porcii Latronis, clari inter magistros dicendi, assectatores, similitudinem coloris studiis contracti imitatos: et paulo antè Julium Vindicem asserto rem illum à Nerone libertatis, captatione testamenti sic lenocinatum.* Nummum Vindicis, sed spurium, protulit Mediobarbus, p. 97. ex Stradâ.

[3] *Aquitanus.* Mela, II. 2. *A Pyrenæo ad Garumnam Aquitania.*

67. GALLORUM quidem certus, sed destitutus legionum auxilio, Sulpicium Galbam, Citerioris Hispaniæ [1] rectorem, nobilitate, opibus, rebus in Germaniâ et Africâ gestis, apud legiones auctoritate, aversâ à Principe voluntate, ad maturanda ausa non inhabilem solicitat; scriptisque literis, orat ut " humano generi assertorem ducemque se accommodet: [2] " ad partes juvandas centum millia Gallorum parata; [3] " plures mox adfuturos, tantùm ne aspernetur Principatûs " spem, non quæsitam, sed oblatam." Simul scriptum aliis exercituum provinciarumve rectoribus, ut cœptis faverent, saltem ne obsisterent. At hi, in præsentem fortunam intenti, tanto solicitiùs literas Neroni misere, quanto avidiùs, eo sublato, primas exitii partes et præmia sibi posteà vindicavere. [4] Galba autem, dissimulans quid tale sibi fuisse scriptum, restitit; [5] sed cautè magis, quàm moderatè.

68. UT sensit Vindex Galbam velle impelli, ipse in Gallorum conventu defectionem cœptat, questus: [6] " Nulla " manere Imperii jura: omnia sceleri patere: per omne " nefas hominibus inludi: provincias latrociniis, domos " cædibus vastari. Hæc imperare Neronem, qui per Cæsa- " reæ stirpis excidium ad publicam ruinam se accinxerit; " ne matrem quidem reveritus. Atrox facinus! ni morte " fuisset digna, quæ talem pestem edidisset. Illum tanto " inclementiùs nunc ferocire, quòd unus è Cæsarum domo " superstes, nec æmulum, nec ultorem timeat. Sed nemi- " nem diu vixisse omnibus infensum. Jam Orientem

[1] *Citerioris Hispaniæ.* Tacit. Hist. I. 49. Sueton. in Galbâ, VIII. Citerior Hispania, quæ et Tarraconensis, de quâ supra Annal. IV. 45.

[2] *Se accommodet.* Sueton. in Galbâ, IX.

[3] *Centum millia Gallorum parata.* Plutarch. in Galbâ, p. 1054.

[4] *Vindicavere.* Plutarch. loc. cit.

[5] *Restitit.* Neque statim Vindici credulus, neque Neroni fidus. Plutarch. ibid.

[6] *Questus.* Hanc Vindicis orationem habet Dio, LXIII. p. 724 et 725.

" turbari: Britannos lacertos movisse: legiones affectum
" exuere: majestatem ipsam, maximum Principum muni-
" mentum, Neroni odiosam esse. Se, semet vidisse porten-
" tum illud, flagitiis commaculatum, in stuprorum et thea-
" trorum propudia resolutum, citharœdi gloriâ insanum
" simul et indignum. Cur ergò Cæsaris, Principis, Augusti
" titulis, quos Divus Augustus virtutibus, divus Claudius
" beneficiis sunt consecuti, infamem Ahenobarbum[1] conde-
" corarent! Vocarent illum Thyesten, Œdipum, Alcmæo-
" nem, Oresten,[2] quoniam parricidialibus et incestis nomi-
" nibus gloriaretur. Ecquid in hujus veneratione perseve-
" rarent, qui nullâ Imperii, solâ libidinum vi subnixus,
" generi humano bellum indiceret! Majores eorum prædæ
" cupidine olim Romam expugnâsse. Id quidem in hâc
" temporum barbarie fuisse egregium. At nunc, ubi
" vigent humanitatis honorisque studia, penes ipsos esse
" melioris et immortalis nominis gloriam. Orbi succurre-
" rent: se Romamque in libertatem vindicarent. Eò
" ventum esse, quò ceteræ gentes, malis victæ, istud decus
" certatim forent affectaturæ. Incœpti laudem sibi præripi
" ne sinerent."

69. MAGNO fremitu et plausu excepta oratio. Mox suas in civitates quisque alacres discessere, strenuam promtamque operam polliciti. Vindex autem novas ad Galbam literas misit quibus, nuntiatâ Gallorum voluntate, ejus animos spesque inflaret. Hæsitabat adhuc Galba; terrebantque amicorum ejus plurimi, quòd " quomodò res Vindicis
" verterent, quæ esset Urbis inclinatio,[3] opperiendum"

[1] *Ahenobarbum.* Nero filius erat Domitii Ahenobarbi. Vide Sten. Cæs. n. 34.

[2] *Thyesten—Oresten.* Tragœdiarum nomina, quarum personas agebat Nero.

[3] *Urbis inclinatio.* Plutarch. ibid.

censerent. At fiduciam addidit T. Vinius,[1] horum præcipuus, et rerum novarum, prædæ spe magis, quàm in Galbam studio, cupidus. Dixit " supervacuam consulta-" tionem: furiosorum esse, utrùm in Neronis fide persta-" rent, quærere." Tum ad Galbam conversus, " Videret " ipse, cùm publicus hostis sit Nero, malletne Vindicem " fortunæ adjutorem habere, an Vindici bellum indicere; " qui eum potiùs optaret Principem, quàm Neronem tyran-" num."[2]

70. His victus videri gestiit Galba, senili ambitione et veteribus auguriis,[3] quorum grata durat memoria, à summâ spe non alienus. Illi etiam cura dudum inerat popularibus studiis animos captare: nec per octo annos (tot enim Hispaniam regebat) procuratorum violentiæ se umquam accommodaverat: solitus quoque[4] iis, qui eorum injuriis erant obnoxii, publicè condolere: probrosa vero adversùs Principem carmina passim circumferri recitarive impunè ferebat. Talibus imminutâ Principis auctoritate, suam intenderat. Itaque animos suas in partes inclinari posse ratus, Carthagine novâ[5] provinciæ conventum edixit, quo " manumis-" sioni vacaret." Hæc obtentui. Intereà amici, ut cresceret celebritas, favor sensim glisceret, " agi de summâ Impe-" rii" secretis rumoribus spargere. Dicto die, ut primùm Galba tribunal conscendit, immenso clamore *Imperator*[6] salutatur.

71. At ille, ubi silentium fecit, " Neronem, qui scelera " sceleribus contexeret, nec nisi per flagitia et funera domi-

[1] *T. Vinius.* Plutarchus, ibid. Τίτος Οὐίνιος. Malè Interpres Latinus, *Titus Junius.*

[2] *Neronem tyrannum.* Plutarch. ibid. ὅτι σὺ Γάλβας Ῥωμαίους ἔχειν ἄρχοντα μᾶλλον ἢ Νέρωνα Τύραννον.

[3] *Veteribus auguriis.* De quibus multa habet Suetonius in Galbâ, IV et VIII.

[4] *Solitus quoque.* Plutarch. ibid.

[5] *Carthagine novâ.* Nunc *Carthagena,* in Hispaniâ Tarraconensi.

[6] *Imperator.* Plutarch. in Galbâ, p. 1055. πάντες αὐτὸν ὁμοφώνως αὐτοκράτορα προσεῖπον.

" naretur" insectatus, subitò ad nobilissimorum quorumque hoc Principatu trucidatorum imagines,[1] longo ordine dispositas vertit, et geminato animi ac vocis ardore, " Non meis," inquit, " verbis, sed vestris oculis Neronem cognoscite. " Contemplamini pallentes tot Cæsarum vultus, Neronis " patrem, matrem, uxorem, fratrem, sororem, amitam, " propinquos, adfines, veneno, ferro, omnibus mortis " generibus sublatos ob rabidam regnandi cupidinem. " Circumspicite Burrum, Lateranum, Vestinum, C. Cassi- " um, Lucium Veterem, et tot Urbis primores ad servitu- " tis subsidium crudeli fato peremtos. Vestra, vestra " videte ingenia,[2] Annæum Senecam, sapientiæ præcepto- " rem et exemplum, Annæum Lucanum, animosum juve- " nem, reipublicæ spiritu plenum, et clarissimi filii patrem " optimum, Annæum Melam, per invidiam extinctos. Has " virtutis imagines aspicite, Thraseam Pætum, Baream " Soranum morte multatos, quasi cum ipsis virtus esset " commoritura: Inlustres fœminas, Sextiam, Pollutiam, " Serviliam cernite, nullo pudore, reluctante naturâ, ad " supplicia vocatas. Inspicite ipsam infantiam, culpæ rudem, " pœnis subditam; Rufinum Crispinum[3] ob pueritiæ lusus " mari demersum. Hunc, hunc despicite tenellum et nobi- " lem puerum" (infantem monstrabat in Baleares insulas[4] à Nerone ejectum, quem inde ipse retraxerat, ut major exoriretur miseratio) " sortis suæ æquè ac criminis nescium, " numquam civem, jam exulem. Hæc Neronis facinora

[1] *Imagines.* Sueton. in Galbâ, x. Orationis summam habet Plutarchus, loc. cit.

[2] *Vestra videte ingenia.* Seneca, Lucanus, immortalia Hispaniæ decora, Cordubâ, *Cordova*, oriundi.

[3] *Rufinum Crispinum.* Sueton. in Ner. xxxv. *Privignum Rufinum Crispinum, Poppæâ natum, impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit.*

[4] *In Baleares insulas.* Sueton. in Galbâ, x. *adstante nobili puero, quem exulantem ex proximâ Baleari insulâ, ob id ipsum, acciverat.* Hæc insula hodie dicitur *Mallorca*, quam vulgò pronuntiamus *Majorca.*

" hæc monimenta! Apud illum nobilitas, opes, ingenium, " virtus, sexus, ætas, vita ipsa, crimina sunt. Per hæc " adversùs genus humanum grassatur. Ruinam omnibus " imminentem jam à Gallis propulsare cœpit Vindex. Alii " ab aliis, ego à vobis avertam. Cæsaris, Imperatoris " nominibus parcite. Me senatûs populique Romani lega- " tum[1] esse memini: hoc mei muneris nomine, Imperii " majestatem, communem omnium salutem tueri juvat. " Novi me à Nerone morti destinatum.[2] Sed vitam labo- " ribus exercitam, periculis finire egregium. Vos tantùm " pro patriâ, pro vestrâ incolumitate certanti favete." In legati admirationem laudesque secutæ voces innumeræ. Nero odiosis dicteriis cumulatur. Omnia ad libertatis et securitatis munimentum apparantur.

72. NONDUM ita fervescebant Hispaniæ, cùm Italiam pervagatus est Galliarum defectionis rumor. Neapolim pervenit die ipso, quo Nero matrem occiderat.[3] Tamquam lætum faustumque aliquid fuisset nuntiatum, statim in gymnasium progredi, certantesque athletas effusiore gaudio spectare,[4] quòd insperata opulentissimas provincias prædandi[5] causa occurreret. Verùm tumultuosiores literæ, super cœnam allatæ, iram incussere, quam, ut iratis adsolet, secuta est inertia. Primùm quidem infremere, dira, iis qui descîssent, minari: sed per octo continuos dies nihil rescribere,[6] nihil præcipere; rem atroci silentio premere. Querelas tandem elicuere missa Vindicis edicta, quibus tanto magis irritabatur Nero, quòd in iis *citharœdi mali* et *Ahenobarbi*

[1] *Legatum.* Sueton. ibid. Plutarch. in Galbâ, p. 1055.

[2] *Morti destinatum.* Sueton. in Galbâ, IX et X.

[3] *Matrem occiderat.* Sueton. in Ner. XL. Post medium mensis Martii, cùm quinquatrus celebrabantur. Vide quæ dicta sunt supra Annal. XIV. 4.

[4] *Spectare.* Per quatuor quinquatruum dies ludi edebantur, ut patet ex Ovidio, quem laudavimus ad Annal. XIV. 4.

[5] *Prædandi.* Sueton. in loc. cit.

[6] *Nihil rescribere.* Sueton. ibid.

nomina ad contumeliam sæpiùs repetita.[1] Talibus efferatus, excusato languore faucium, propter quem non adesset, ad senatum scribit, ut " Vindicis impietatem accuset: purget " objectam artis inscitiam: gentile nomen[2] approbet." Patres " in ultionem sui reique publicæ" hortatus, jubet " per præconem nuntiari centies sestertiûm[3] iis, qui Vindi- " cem interfecissent." Imbelle remedium, ex quo etiam Vindex gloriam quæsivit; " Neronis caput adferenti suum" pollicitus.[4]

73. INTERIM alii super alios, acerbioresque nuntii malè tutum Principem ex voluptatum latebrâ excivere. Romam trepidus petiit: at nec periculi magnitudine, nec locorum diversitate mutatum ingenium. Eadem superstitio, par levitas. Erupere ipsa inter viarum diverticula; visoque fortè monumento, quo insculptus erat Gallus, ab equite Romano oppressus, crinibusque tractus, exilit gaudio, cœlum adorat,[5] certissimum victoriæ indicium auguratus. Itaque Romam redux, non senatum cogere, non populum appellare,[6] sed, quibusdam è primoribus viris domum evocatis, post desultoriam consultationem, reliquum diei per organa hydraulica[7] novi et ignoti generis, circumducere: monstra-

[1] *Sæpiùs repetita.* Sueton. in Ner. XLI.

[2] *Gentile nomen.* Auctor nominis Lucius Domitius: originem, fabulamve, nominis vide apud Suetonium in Ner. I. Domitiorum plerique rutilâ barbâ fuere.

[3] *Centies sestertiûm. Angl.* 83,333*l.* 6*s.* 8*d.* Dio, LXIII. p. 725.

[4] *Suum pollicitus.* Dio, loc. cit.

[5] *Cœlum adorat.* Sueton. in Ner. XLI. Sic quoque infra Hist. IV. 46. *Cœlum ac Deos obtestari.*

[6] *Populum appellare.* Sueton. ibid.

[7] *Organa hydraulica.* Sueton. ibid. Dio, LXIII. p. 726. Cl. Tristan, *Commentaires Historiques*, vol. I. p. 218. nummos duos publicavit, qui hæc organa hydraulica exhibent. Alter, IMP. NERO CÆSAR AVG. P. MAX. Capite laureato, ante caput monogramma $\frac{E}{P}$. In aversâ parte, LAVRENTIN. AVG. Instrumentum hydraulicum, quod homo stans tangit sinistrâ, dextrâ tenet situlam: ad sinistrum latus organi folia lauri. Alter nummus fermè similis, in aversâ tamen parte non est inscriptio, nec situla, nec lauri

tor ipse operis, fabricæ partes artemque disserens; "Omnia," ut adfirmabat "in theatrum, si per Vindicem liceat, prola-"turus."

74. NAM, vel invitus, in Galliarum defectionis cogitationes revolvebatur; eam opprimendi non incuriosus, dum artes suæ scenicæ pariter valescerent. Inter utrasque distractus, copias, quas ad claustra Caspiarum adversùs Albanos[1] præmiserat, reverti jubet: novas in Urbe legit, tribubus Urbanis ad sacramentum citatis.[2] Cùm nullus idoneus responderet, certum dominis servorum numerum indixit, nec nisi probatissimos[3] recepit. Quasi verò fatale esset non posse Gallias debellari, nisi à consule, ipse, consulibus ante tempus magistratu abdicatis, solus magistratum iniit.[4] Hæc militiæ, cetera luxui data. Maxima cura fuit portandis scenicis organis vehicula deligere, concubinas, quas secum educeret, ad virilem modum tondere, et securibus peltisque Amazonicis instruere.[5] Plus in his, quàm in militibus fiduciæ. Ausus etiam jactitare "simul ac primùm[6] provinciam "attigisset, inermem se in conspectum exercituum prodi-"turum, nec quidquam aliud quàm fleturum: revocatisque "ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter

folia, sed duo homines stant, qui organum tangunt. Videtur prius organum fuisse dictum *Laurentinum Augusti*. Ab artifice, locone, an materiâ laudisque spe, nomen duceret incertum. Monogramma verò inditum mihi videtur post Neronis mortem, ut nummus, ad ostentationem casus et vulgatus, loco *PEcuniæ*, vel monetæ, haberi posset.

[1] *Adversùs Albanos*. Ut dictum supra cap. 47.

[2] *Ad sacramentum citatis*. Sueton. in Ner. XLIV.

[3] *Probatissimos*. Sueton. ibid. *Ne dispensatoribus quidem, aut amanuensibus exceptis.*

[4] *Solus magistratum iniit*. Sueton. in Ner. XLIII. Laudat tamen Cl. Muratori Thesaur. Inscript. vol. I. p. 306. veterem inscriptionem, Romæ extantem, positam NERONE V̄ ET TRACHA. —Id est, *Nerone quintùm et Trachalo consulibus;* unde solus Silius magistratu abdicatus videretur.

[5] *Instruere*. Sueton. in Ner. XLIV.

[6] *Simul ac primùm*. Hæc et seq. iisdem totidemque verbis Sueton. in Ner. XLIII.

" lætos cantaturum epinicia, quæ nunc jam sibi componi " oporteret."

75. Tam facilis victoriæ opinione haud comminuta pecuniarum aviditas. Immo in belli impensas omnes ordines partem censûs conferre;[1] privatarum ædium atque insularum[2] inquilini pensionem annuam fisco repræsentare jussi. Addita fastidia, quod potentiorum injuriæ ultimum, nec umquam impune. Mandatum enim exactoribus nihil nummi recipere, nisi asperum,[3] nihil argenti, nisi pusulatum,[4] nihil auri, nisi ad obrussam.[5] Gravis inde exorta invidia, plerisque collationem recusantibus, et " à delatori- " bus revocanda potiùs præmia" clamitantibus: accrevit ex annonæ caritate; ac tandem subsecuta indignatio, cùm in publicâ fame Alexandrina navis nuntiaretur frumenti loco pulverem è Nilo luctatoribus aulicis advexisse.[6] Plebs, numquam arrogantior, quàm cùm jejuna, in convitia erumpere: alii verbis, scriptis alii Principem lacessere: multi, nocte jurgia cum servis simulantes, crebrò *Vindicem* poscere.[7]

[1] *Partem censûs conferre.* Sueton. in Ner. XLIV.

[2] *Insularum.* Sueton. ibid. De insulis, seu populi domibus, jam dictum supra XV. 41.

[3] *Nisi asperum.* Sueton. loc. cit. Id est, recens cusum. Compertum enim, ut observat eruditus Fontana, *Templum Vaticanum*, VI. 7. pecunias attritu ita imminui, ut centum pondo fiant aliquot annorum usu sex libris leviores. Itaque Nero, ne ea quantitas, quam nos vulgò diceremus *six per cent*, sibi deperiret, nihil nummi, nisi asperum, recepit.

[4] *Pusulatum.* Sueton. ibid. Argentum est purissimum. Quò enim purius, eò plures pusulæ.

[5] *Ad obrussam.* Plin. XXXIII. 3. *Auri experimentum ignis est, ut simili colore rubeat, ignescatque: id ipsum obrussam vocant.* Videtur autem, ut in Imperio Turcico, quod multa Imperii Romani retinet, purior est moneta tum argentea, tum aurea, quæ Constantinopoli, quàm quæ Cairi in Ægypto conflatur, sic quoque puriorem Romæ, quàm in provinciis, conflatam fuisse monetam.

[6] *Advexisse.* Sueton. in Ner. XLV. De hoc usu pulveris Niliaci dictum supra cap. 38. not. inf.

[7] *Vindicem poscere.* Sueton. loc. cit. Sicque alludentes, Julium Vindicem, libertatis apud Gallos adsertorem, invocabant.

76. SED fœditatum usu in Nerone obcalluerat verecundia; et pro gloriâ habebatur convitiorum patientia. Pudore, extremo Principum præsidio, destitutum, et ad injurias patentem, attonuit tamen tunc nuntiata Galbæ et Galliarum defectio. Eâ auditâ, corruit exanimis, diuque sine voce, ac prope intermortuus jacuit.[1] Ut resipuit, veste descissâ, converberato capite, "actum de se" queritur; spretisque solatiis nutriculæ,[2] "similia aliis Principibus accidisse" memorantis, "se præter ceteros inaudita et incognita pati" lamentatur, "qui suum Imperium vivus amittat."[3] Sed, ut vanis ingeniis cuncta quoque sunt vana, terror dolorque cessere; revaluere luxus et desidia: acriora etiam, quòd prosperi quiddam[4] è provinciis nuntiatum, quòdque senatus Galbam "hostem"[5] judicaverat. Victoria statim cantibus et ludis antè occupata est; parsque insanæ lætitiæ fuit templi Sabinæ Poppææ[6] dedicatio. Galbæ bona,[7] sub hastâ venumdata, in has vanitates abiere. Gallorum verò opes,[8] quòd nondum erant domiti, ad prædam reservatæ.

77. HÆC Neronis, alia fortunæ destinatio. Nil jam in Urbe reliquum, nisi Principis nomen. Vis Imperii in Hispaniam transierat. Super veterem exercitum[9] penes

[1] *Intermortuus jacuit.* Hæc et seq. Sueton. in Ner. XLVI.

[2] *Nutriculæ.* Sueton. ibid. Eademne, quæ à Suetonio in Ner. XXXV. *nutrix* dicitur; mater Cæsinæ Tusci, de quo plura infra lib. III. 38.

[3] *Vivus amittat.* Sueton. ibid.

[4] *Prosperi quiddam.* Sueton. ibid. *Quinimmo, cùm prosperi quiddam ex provinciis nuntiatum esset, super abundantissimam cænam vocularia in defectionis duces carmina, lascivèque modulata, quæ vulgò innotuerunt, etiam gesticulatus est: ac spectaculis theatri clam lætatus, cuidam scenico placenti nuntium misit, abuti eum occupationibus suis.*

[5] *Galbam hostem.* Plutarch. in Galbâ, p. 1055.

[6] *Sabinæ Poppææ.* Uxoris Neronis, quam ictu calcis afflictam, deinde Deûm honoribus auctam vidimus supra Annal. XVI. 6 et 21. Auctore Dione, LXIII. p. 726. Nero in hâc dedicatione templo inscripsit: SABINÆ DEÆ VENERI MATRONÆ FECERVNT.

[7] *Galbæ bona.* Plutarch. in Galbâ, p. 1055.

[8] *Opes.* Plutarch. ibid.

[9] *Veterem exercitum.* Sueton.

Galbam aderant novæ legiones, forma quædam senatûs, et equestris ordinis excubiæ. Auctoritatem intendebant Hispaniæ Neronis possessiones, auctionibus subditæ.[1] Majus adhuc potentiæ instrumentum accessit Otho,[2] provinciæ Lusitaniæ[3] præfectus, in partes Galbæ tanto pronior, quanto ob veteris injuriæ[4] memoriam Neroni infensior: argentum aurumque privatum[5] militi in stipendium ultro obtuli. Legatorum plerique, exemplum secuti, favori occurrere, aut proditarum Vindicis literarum, ut supra retuli,[6] memoriam obliterare nitebantur. Pauci diversis de causis suspensi et incerti. Clodius Macer, rapinis et cædibus in Africâ adsuetus, imperium neque occupare, neque amittere[7] volebat. In Syriâ Vespasianus Judaici belli curâ lentus videri satagebat, ne fortunam festinatione corrumperet. Legiones inferioris Germaniæ Fonteium Capitonem[8] ad defectionem solicitabant, sed avaritiâ retinebatur. In superiore Germaniâ, invicta, patriæ, non Neronis studio, Verginii Rufi constantia; nec à legionibus, vi suâ et famâ ducis ferocibus, umquam impelli potuit, ut summam rerum acciperet.

in Galbâ, x. *Deinde*, post orationem memoratam supra cap. 71. *justitio indicto, è plebe quidem provinciæ legiones et auxilia conscripsit, super exercitum veterem legionis unius, duarumque alarum, et cohortium trium. Ac è primoribus prudentiâ atque ætate præstantibus, velut instar senatûs, ad quos de majore re, quoties opus esset, referretur, instituit. Delegit et equestris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per provincias edicta dimisit, auctor singulis universisque conspirandi simul, et ut quâ posset quisque operâ, communem causam juvarent.*

[1] *Auctionibus subditæ.* Ha enim vendidit Galba, et paratissimos emtores reperit, Plutarch. in Galbâ, p. 1055.

[2] *Otho.* Postea Imperator.

[3] *Lusitaniæ.* Ut dictum supra Annal. XIII. 46.

[4] *Injuriæ.* Raptæ scilicet à Nerone Poppææ.

[5] *Aurumque privatum.* Quidquid erat argenteæ aureæque supellectilis, quæ maxima fuit apud Othonem, Plutarch. in Galbâ, p. 1061.

[6] *Supra retuli.* Id jam retuli supra cap. 67.

[7] *Neque amittere.* Plutarch. in Galbâ, p. 1055.

[8] *Fonteium Capitonem.* Tacit. Hist. I. 7.

"Imperium à senatu,[1] non à legionibus dari" dictitans. Ideoque Vindici iratus, qui id audaciæ præsumeret, exercitum in Gallias duxit, ne à Gallo homine tantum Imperii dedecus oriretur.

78. Tum Galliæ erant sibi discordes. Pars nobilissima simulque validissima, Sequani,[2] Ædui, et Arverni,[3] Vindicem sequebantur. Alii, quorum præcipui Lingones, Remi, et qui Rhenum adcolunt[4] populi, partim provinciali æmulatione, partim veteris sacramenti usu, in Neronis fide perstabant. Viennenses[5] verò Vindicis partibus se immiscuere, ut municipalia adversùs Lugdunenses[6] odia licentiùs persequerentur. Ea erat Galliarum inclinatio, cùm Verginius, Germanicarum legionum viribus, et Belgarum auxiliis,[7] Batavorumque alis potens, Gallias intravit. Vesontionem[8] rectà petiit; ingressuque prohibitus, obsidionem paravit. Ad urbis præsidium statim adstitit Vindex. In conspectu stabant acies: duces, amotis stipatoribus, in colloquium consensere, in quo, ut fuit suspicio, adversùs Neronem fœdus initum.[9] Cùm discessissent, Gallicus exercitus urbi propinquavit.[10] Legiones, ratæ Gallos ad pugnam incedere,

[1] *A senatu.* Plutarch. in Galbâ, p. 1055.

[2] *Sequani.* Nunc *part of Alsace, the Canton of Basle, Franche-Comté, Bugey, and Bresse.* De Æduis dictum supra Annal. XI. 25.

[3] *Et Arverni.* Tacit. Hist. I. 51. IV. 17. Arverni, nunc *the dioceses of Clermont and S. Flour.*

[4] *Rhenum adcolunt.* Ac maximè Belgæ, Tacit. loc. cit. Lingones, nunc *the dioceses of Langres and Dijon.* Remi, *the dioceses of Rheims and Laon.*

[5] *Viennenses.* Tacit. Hist. I. 66. Vienna, nunc *Vienne, in Dauphiné.*

[6] *Lugdunenses. Pertinaci pro Nerone fide,* Tacit. Hist. I. 51.

[7] *Belgarum auxiliis.* De Belgarum auxiliis et Batavorum alis, infra Hist. IV. 7.

[8] *Vesontionem.* Dio, LXIII. p. 725. Vesontio, hodie *Besançon.*

[9] *Fœdus initum.* Dio, LXIII. p. 725. Κατὰ τοῦ Νέρωνος, ὡς εἰκάζετο, συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους. Tacit. Hist. I. 8. *Nec statim pro Galbâ Verginius: an imperare voluisset dubium.*

[10] *Urbi propinquavit.* Dio, loc. cit.

primo impetu arma expediunt, prœliumque ineunt. Tunc visum atrox spectaculum. Nulla ducum imperia:[1] regit militum furor: utrimque miscentur funera: cædibus crescit ira: certa internecio, ni Galli, inopinato prælio turbidi, amissis viginti hominum millibus,[2] victi tandem cessissent. Vindex, furens quòd tanta libertatis spes casu vanesceret, violentas manus sibi attulit.[3] Reperti tamen, qui, turpiter ingestis cadaveri vulneribus, interfectorum gloriam quæsierint.

79. LEGIONES verò, confecto unicâ pugnâ bello superbæ, Verginium *Imperatorem*[4] salutant, orantque ut "ipse "Princeps fatiscenti reipublicæ subveniat." Simul imagines Neronis devellunt: "Verginii Cæsaris, Augusti," nomina ingeminant; eaque unus militum, loco imaginum, signo inscribit. Verginius, Vindicis morte tristis, et quò res reciderent dubius, extritis literis, hæc seditionis monumenta præceps abolere, firmus sententiæ, "senatûs esse "Imperium dare." Perculsi milites stupent, Neronisque fidem repetere cogitant. Idem fermè sensus locis omnibus, quibus dicta Gallorum cladis et Verginii constantiæ fama.

80. AT ubi nuntius Hispaniam pervenit, Galbam, recenti unius alæ[5] seditione, et servilibus insidiis, inquietem, terror occupavit. Mortem primùm, deinde secessum meditatur; scriptisque ad Verginium literis,[6] quibus eum ad Imperii societatem invitat, Cluniam[7] se cum amicis recipit,

[1] *Ducum imperia.* Dio, ibid. Plutarch. in Galbâ, p. 1055.

[2] *Millibus.* Plutarch. ibid. Tacit. Hist. IV. 18. *Batavo equite protritos Æduos Arvernosque.*

[3] *Sibi attulit.* Dio, loc. cit. Plutarch. ibid.

[4] *Imperatorem.* Dio, loc. cit. Plutarch. ibid.

[5] *Unius alæ.* Duas alas habebat Galba, ut dictum supra cap. 77. in not.

[6] *Literis.* Plutarch. loc. cit. Suetonius in Galbâ, XI.

[7] *Cluniam.* Malè Plutarchus, loc. cit. Κολωνίαν, corrige Κλουνίαν; et interpres Latinus *Coloniam.* Plin. III. 3. n. 4. *Clunia Celtiberia fr*

veteris otii desiderio languidus, nec quæ temporis forent curans, aut intelligens. Sed ejus inertiam juvit fortuna: hominum ludibriis læta, simul Cæsarum domum vertebat, et quem destinabat Imperio, terroribus exagitabat. Neronem verò ut perditum iret, luxu et deliciis, quæ unica supererant dominationis adminicula, usa est.

81. Forte unus è turpi spadonum grege, inter Principis libidines intimus, se injuriam indignè accepisse credidit.[1] Per pudenda, utì solet id hominum genus, ultionem parat. Secretioribusque consiliis, queis destinatum Neroni senatum universum necare, Urbem iterum incendere,[2] feras in populum immittere, aufugere Alexandriam, verè falsòve proditis, inevitabile exitium attulit. Nulla antè Principis reverentia; nullus amor, ni fortè apud plebem ludis insanam, sed mobilem, et potentiorum infortuniis semper lætam: corrupta aut inconstans exercituum fides: ne certa quidem prætoriarum cohortium studia. Ipse Petronius Turpilianus,[3] ad opprimendum Galbam missus, defecerat. Nudus ergò et inermis patebat Nero, cùm senatus, opprobriis, patientiâ, periculo atrox, paratam sibi ruinam in ejus auctorem convertere, totâque legum vi sævire properavit.

nis, urbs clara Hispaniæ Tarraconensis, et conventus juridicus. Videntur adhuc magna rudera, et pars amphitheatri: at in loco stat tantùm ecclesia dicta, *Nuestra Señora de Castro*, inter oppida *Coruna del Conde* et *Peñalba*. Cùm imperavit Galba, cusus est Romæ nummus ære magno, SER. SULPI. GALBA, IMP. CÆSAR. AUG. P. M. TR. P. Capite laureato. In aversâ parte, mulier stans offert Imperatori sedenti trophæum, HISPANIA CLUNIA SUL. id est, *Clunia Sulpicia*; ita sanè dicta in honorem Sulpicii Galbæ. Infra S.C. *senatusconsulto*. Vide eruditum Florez, *Medallas de España*, p. 372.

[1] *Credidit*. Dio Chrysostomus, orat. XXI. p. 271.

[2] *Iterum incendere*. De his atrocibus Neronis consiliis Dio, LXIII. p. 726. Zonaras, vol. I. p. 570. et Suet. in Ner. XLIII. *Senatum universum veneno per convivia necare, Urbem incendere, feris in populum immissis, quò difficiliùs defenderetur.*

[3] *Turpilianus*. Zonaras, loc. cit. Tacit. Hist. I. 6.

82. NERO ineluctabili, proviso tamen fato circumventus, sumtum à Locustâ [1] venenum in auream pyxidem condidit, et in hortos Servilianos [2] secessit, comitante imbelli libidinum catervâ. Tum varia animo agitare. Placet fuga dudum meditata; præmissisque libertorum fidissimis Ostiam [3] ad classem præparandam, tribunos centurionesque prætorianos de fugæ societate tentat. Sed partim tergiversantibus, partim apertè detrectantibus, uno etiam proclamante, "Usque adeòne mori miserum est!" aliò flexit consilia; dubius "Parthosne, an Galbam, supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque rostris, quantâ maximâ "posset miseratione, veniam præteritorum precaretur; ac, "ni flexisset animos, Ægypti præfecturam dari sibi oraret." Certè inventus posteà in ejus scrinio hâc de infamiâ sermo formatus. Recitatione deterritum putant, ne, priusquàm ad forum perveniret, discerperetur.

83. ITAQUE consilii incertus, cogitationem in posterum diem distulit. Sed, cùm somnos non paterentur curæ, ad mediam [4] ferè noctem excitatus, ut comperit stationem militum recessisse, prosilit è lecto, et mittit circùm amicos. Nihil quoquam renuntiante, ipse cum paucis hospitia singulorum adit. At, clausis omnium foribus, respondente nullo, seu somnus, seu pavor, eos occupaverat, cubiculum prætrepidus repetit. Custodes jam diffugerant, direptis etiam stragulis, amotâ et pyxide veneni. Vastitate, suspicionibus turbidus, Spicillum mirmillonem,[5] vel quemlibet

[1] *Sumtum à Locustâ.* Sueton. in Ner. XLVII.

[2] *Servilianos.* De his dictum supra Annal. XV. 55.

[3] *Ostiam.* Manet nomen *Ostia.* Hæc et seq. Suetonius in Ner. XLVII. cujus verba invertere fuit religio.

[4] *Ad mediam.* Sueton. loc. cit.

[5] *Spicillum mirmillonem.* Sueton. Ibid. Mirmillones dicebantur, qui in ludis adversùs retiarios pugnabant, eosque insequebantur: unde *mirmillones* appellati quoque *secutores.* Vetus Scholiastes Juvenalis in Satyr. VIII. 200.

Nec mirmillonis in arma.

ait: *Mirmillo armaturæ Gallicæ nomen, ex pisce inditum, cujus*

alium percussorem, cujus manu pereat, requirit. Ne ad id quidem ministerii adesse quemquam miratus, in summæ miseriæ vocem "sibi neque amicum esse, neque inimicum," erumpit, procurritque quasi præcipitaturus se in Tiberim.[1]

84. At vitam exosum, mortis pavidum, sistit inveterata mollities; et aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum suadet. Phaon, libertus,[2] suum obtulit suburbanum inter Salariam et Nomentanam viam[3] circa quartum milliarium. Tantulum manet Principi suffugium! Ac quasi fatale esset sordidè etiam perire, nudo, ut erat, pede, tunicatus tantùm, superindutâ obsoleti coloris pænulâ, adoperto capite, et ante faciem obtento sudario, equum inscendit; quatuor è tantâ modò turbâ comitantibus, quos inter Sporus,[4] ultimum, ut diximus, propudium. Turpis fuga, subito tremore terræ[5] et fulgure adverso damnata, ad novas patet injurias. Proxima itineri castra circumsonant clamoribus militum, Neroni adversa, Galbæ prospera, ominantium. Ex obviis etiam viatoribus, alter, "Hi Neronem "persequuntur," monstrat: alter rogitat, "Ecquid in "Urbe novi de Nerone?" Ipsa reverentia in formidinis causam vertit: nam missicius[6] quidam prætorianus Princi-

imago in galeâ fingitur. Apud Gruterum, p. 334. extat Inscriptio VLPI. FELICIS MIRMILLONIS. VETERANI. Vide quoque eruditum Gori, *Museum Etruscum*, vol. II. p. 396.

[1] *In Tiberim.* Sueton. loc. cit.

[2] *Phaon, libertus.* Sueton. in Ner. XLVIII.

[3] *Nomentanam viam.* Sueton. ibid. Salaria via à portâ Urbis Collinâ, nunc *Porta Salara*, initium ducebat: via Nomentana à portâ Nomentanâ, nunc *Porta Pia*. Phaontis autem suburbanum nunc dicitur *Serpentara*.

[4] *Sporus.* Alios duos memorat Dio, LXIII. p. 726. Phaontem et Epaphroditum. Quartum addit Aurelius Victor in Epitome, *Neophytum*.

[5] *Tremore terræ.* Sueton. in loc. cit.

[6] *Missicius.* Prætorianus, *missus honestâ missione*, ut vulgò occurrit in inscriptionibus. Sic memoratur apud Gruterum, p. 1109. n. 5.

L. LARGIVS. NONI. F.
SVC. FAVSTVS.
TRIB. LEG. XI. AVG.
ET. MISSICIVS. LEG.
VI. AVG.

pem, detectâ ob subitam equi consternationem facie, agnoscit, et salutationis officio ad desperationem adigit.

85. Nec spes tantùm fugæ vanescebat, sed primum ejus consilium cum prætorianis, ut supra memoravi,[1] communicatum, jam in exitium cesserat. Quippe, mutato sacramento, Galbam illicò fecerant Principem, ducibus Nymphidio et Tigellino.[2] Atque etiam, ne vetus Cæsarum fides recurreret, Nymphidius, per quodque nefas fortunæ se inserendi cupidus, sub nomine Galbæ prætoriarum et Urbanarum cohortium militibus singula tricena nummûm millia[3] promiserat, legionariis quina millia.[4] Enorme donativum,[5] in Galbæ æquè ac Neronis ruinam paratum, ut primam in spem veniret Nymphidius; formidoloso quoque exemplo, in cædes Urbisque excidium abituro, venale esse Imperium, et juxta militum libidinem dari. Ubi per Urbem percrebuit favor militaris, traxit animos ad odium pridem incitatos. Ne in senatu quidem quidquam moderati, aut verecundi. Publicis studiis, sentientium numero, auctoritatis insolentiâ, ad atrociora quæque impellitur. Nec de tollendo Principe, sed quâ tolli queat turpiore contumeliâ, certatur. Hos inter clamores, Nero "hostis"[6] judicatur, "more

In Mss. veteribus glossis Græcis, Μισσικίους, παλαιὸς στρατιώτης ἀπολυθείς. Id est, *Missicius, vetus miles dimissus.*

[1] *Supra memoravi.* Supra cap. 82.

[2] *Nymphidio et Tigellino.* Præfectis prætoriarum cohortium. Plutarch. in Galbâ, p. 1053.

[3] *Tricena nummûm millia.* Plutarch. Ibid. δραχμὰς ἑπτακισχιλίας πεντακοσίας. *Angl.* 250*l.*

[4] *Quina millia.* Plutarch. ibid. πεντήκοντα καὶ διακοσίας ἐπὶ χιλίαις. *Angl.* 41*l.* 13*s.* 4*d.*

[5] *Enorme donativum.* Quod solvere non poterat Galba, quin expenderet circiter Anglicè 12,000,000*l.* non numeratis ducum præmiis. Exaggerat Plutarchus, ibid. Ὅσον ἀμήχανον ἦν συναγαγεῖν, μὴ πλείονα μυριάκις κακὰ παράσχοντα πᾶσιν ἀνθρώποις, ὧν Νέρων πάρεσχε. *Quantam summam nemo cogere poterat, quin sexcenties plus quàm Nero mortales omnes flagellaret.* Multo plura donationibus prodegerat Nero, ut dicetur infra Hist. I. 20.

[6] *Nero hostis.* Sueton. in Ner. XLIX.

" majorum puniendus." Galba verò in Imperium adscitus,[1] non quòd melior, sed quia Neroni iratior. Tum missi equites,[2] qui fugitivum Neronem ad supplicia vivum attraherent.

86. At is per diverticula,[3] fruticeta inter ac vepres, occulto effossæ cavernæ introitu, in Phaontis suburbanum ægrè inrepserat. Nihil ibi pristinæ dignitatis manet: sola inhærent vitia, quæ, ut vitam, sic mortem, infamavere. Corpus, deliciarum usu fractum, levamenta, quæ offert loci nuditas, aut refugit,[4] aut miserabiliter tolerat. Animo nihil fixum, nihil firmum; impetus tantùm, et scenica levitas. Comitibus, ut " quàm primùm se impendenti contumeliæ eripiat" instantibus, annuit: sed scrobem[5] fieri imperat: frusta marmoris, aquam, ligna, ceteraque funerum parat, flens ad singula; atque idemtidem dictitans, " Qualis artifex pereo."[6]

[1] *Adscitus.* Plutarch. in Galbâ, p. 1056. Dio, LXIII. p. 727.

[2] *Equites.* Dio, ibid.

[3] *Diverticula.* Sueton. in Ner. XLVIII. ut *ad diverticulum* viæ, quæ ad Phaontis suburbanum ducebat, *ventum est, dimissis equis, inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ægrè, nec nisi stratâ sub pedibus veste, ad aversum villæ parietem evasit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in specum egestæ arenæ concederet, negavit se vivum sub terram iturum: ac parumper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subjectâ lacunâ potaturus manu hausit: et, Hæc est, inquit, Neronis decocta. Deinde divulsâ sentibus pœnulâ trajectos surculos rasit: atque ita quadrupes per angustias effossæ cavernæ receptus in proximam cellam decubuit super lectum modicellâ culcitâ, vetere pallio strato instructum.* Quæ quidem neque in Annales referre licuit ob exiguitatem, neque hìc silere ob historicam veritatem et singulare fortunæ exemplum ac documentum. De decoctâ aquâ, quod Neronis inventum fuit, et subtilissimum voluptatis adjumentum, plura vide infra inter Anecdota de Nerone.

[4] *Aut refugit.* Sueton. loc. cit. *Fameque interim interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit.*

[5] *Scrobem.* Sueton. in Ner. XLIX. eam *dimensus ad corporis sui modulum.*

[6] *Pereo.* Sueton. loc. cit.

87. Has inter moras perlatos à Phaontis cursore codicillos avidus præripit;[1] lectoque se hostem à senatu judicatum, et quæri, ut more majorum puniatur, interrogat "quale "id genus sit pœnæ." Comperto nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, conterritus duos pugiones, quos secum tulerat, arripit; utriusque acie prætentatâ, rursus condit, causatus "nondum adesse fata-"lem horam." Subinde modò Sporum hortari, "ut lamen-"tari ac plangere inciperet:" modò orare, ut "se aliquis "ad mortem capessendam exemplo juvaret:" interdum segnitiem suam increpare.[2] Inanibus verbis robur indidit adventantium equitum sonitus. Tunc, ignominiam exhorrescens, Homerico versu[3] trepidanter recitato, ferrum, juvante Epaphrodito,[4] jugulo adigit; priùs comites precatus, "ne potestas cuiquam capitis sui fieret, sed ut quoquo-"modo totus cremaretur." Centurioni, qui mox adstitit, et, pænulâ ad vulnus appositâ, in auxilium se venisse simulabat, semianimis respondit, "Serò. Hæc est fides." In hâc voce[5] defecit, extantibus torvèque rigentibus ocu-

[1] *Præripit.* Hæc et seq. Suetonius, loc. cit.

[2] *Increpare.* Sueton. loc. cit. *Interdum segnitiem suam his verbis increpabat:* Vivo deformiter ac turpiter: ὐ πρέπει Νέρωνι, ὐ πρέπει· νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις· ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Id est, *Non decet Neroni, non decet: nunc juvat alta sentire: macte animo, excita teipsum.*

[3] *Homerico versu.* Homer. Iliad. x. 535.

Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος ὕατα βάλλει.

Equorum mihi velocium sonitus aures circumdat:

Aut ut versio sit Homero Virgilioque digna,

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

[4] *Epaphrodito.* Qui Neroni erat à libellis. Sueton. loc. cit.

[5] *In hâc voce.* Sueton. loc. cit. Alia, sed fortè paulo antè dicta, nec Neronis vanitate indigna refert Constantinus Manasses, p. 80.

Αὐτὸν διεχειρίσατο τοῦτ' ἐπειπὼν ἐν τέλει, Οἷον, ὦ Ζεῦ, κιθαρῳδὸν ὁ Σίος ζημιοῦται.

Se ipse interemit, hæc suprema fatus: Qualem, O Jupiter, citharœdum mortalitas amittit.

lis,[1] primo et trigesimo[2] ætatis anno, imperii decimo quarto, optimis initiis, fine pessimo, execrabili memoriâ.

88. CADAVER cremari permisit Icelus,[3] Galbæ libertus, primo tumultu conjectus in vincula, tunc exsolutus: singulari fato in præsens Neroni supremæ sortis arbiter, posteà Galbæ fortunam corrupturus, et per tam diversa facinora suum in exitium præceps. Modicum fuit funus,[4] et intrà privati modum. Reliquiæ à nutricibus[5] et Acte concubinâ in gentili Domitiorum monumento[6] conditæ. Sic exscisa Cæsarum domus, suo et libertatis damno per centum et quindecim annos dominata: magnâ virtutum claritate, si C. Julii sublimem, magnificam Augusti, profundam Tiberii mentem virtutibus annumeraveris: immensâ

[1] *Rigentibus oculis.* Sueton. in Ner. loc. cit. *rigentibusque oculis usque ad horrorem formidinemque visentium.*

[2] *Primo et trigesimo.* Sueton. in Ner. LVII. *Obiit secundo et trigesimo ætatis anno, die quo quondam Octaviam interemerat.* Consentiunt quoque in XXXII. anno Eutropius et Aurel. Victor in Epitome. At cùm Nero, teste Suetonio in Ner. VI. natus sit 18. *Kalendas Januarias*, die 15. Decembris, anno 790: mortuus sit anno 821. v. Idus Junias, seu die 9. Junii, ut liquet ex Dione, LXVI. p. 753. certissimum est Neronem mortuum esse anno ætatis suæ primo et trigesimo.

[3] *Icelus.* Sueton. in Ner. L. Perperam dictus à Plutarcho in Galbâ, p. 1056. Οὐίτελλος, *Vitellus.*

[4] *Funus.* Sueton. loc. cit. *Funeratus est impensâ ducentorum millium; Angl.* 1666*l.* 13*s.* 4*d. stragulis albis, auro intextis, quibus usus Kalendis Januarii fuerat.*

[5] *Nutricibus.* Ecloge et Alexandrâ, Sueton. ibid. De Acte dictum est supra Annal. XIII. 12.

[6] *Monumento.* Monumentum illud prospicitur è campo Martio impositum colli hortorum, nunc *Trinita de Monti.* Primis Ecclesiæ seculis singulares de Nerone opiniones apud Christianos invaluere. Verba enim D. Pauli, Ep. II. ad Thessalonic. II. 7. *Nam mysterium jam operatur iniquitatis*, de eo interpretati, existimabant Neronem Antichristum esse, eumque resurrecturum; immo non esse mortuum. Vide Sulpitium Severum, Hist. Sacr. Libr. II. et D. Augustinum, de Civitate Dei, XX. 19. Orta sanè hæc Neronis odia, quòd tot Christianorum millia falso incendii crimine extinxisset, hocque supremo anno ineunte DD. Petrum ac Paulum, Christianæ religionis coryphæos, interfecisset. Unde in Laterculo Polemei Silvii: 8. *Kal. Martias, depositio S. Petri et Pauli.*

verò scelerum famâ, publico quoque odio ob Tiberii truculentiam, Caii furorem, stoliditatem Claudii, et Neronis improbitatem. Fuso sanguine Romano,[1] auctoritatem orsa, per nobilissimorum quorumque cædes invaluit, donec, furore in suos verso, ad ultimum se ipsa confecit, numquam melior, quàm cùm cœpit, nunquam pejor, quàm cùm desiit.

89. Ejus ruinam portendere visa prodigia plurima;[2] retroacti amnes, prata in contrarias sedes transgressa, prolapsa cupressus Urbi æquæva, lauri à Liviâ satæ, illicò aridæ, aliaque id genus: leve libertatis incitamentum, ob servitutis adsuetudinem, posteriorum Cæsarum vitiis validiùs, quàm priorum artibus, coalitam. Pileata[3] tamen discucurrit plebs, in lætitiæ signa præceps semper et inconstans. Mox omnium studia in novi Principatûs spem ac fortunam conspiravere. Præcipua Nymphidii Sabini, prætorianorum præfecti, cura

[1] *Sanguine Romano.* Pharsalicis Actiacisque in campis, atrociribusque proscriptionibus.

[2] *Prodigia plurima.* Hæc aliaque prodigia memorant Sueton. in Galbâ, I. Dio, LXIII. p. 727. Unum referam ob singularem tempestatis vim. Plin. II. 83. *Non minùs mirum ostentum et nostra cognovit ætas, anno Neronis Principis supremo, sicut in rebus ejus exposuimus, pratis oleisque, intercedente viâ publicâ, in contrarias sedes transgressis, in agro Marrucino, prædiis Vectii Marcelli, equitis Romani, res Neronis procurantis.* Expressiùs adhuc idem Plinius, XVII. 26. *Super omnia quæ unquam audita sunt, erit prodigium in nostro ævo Neronis Principis ruinâ factum in agro Marrucino, Vectii Marcelli, è primis equestris ordinis, oliveto universo viam publicam transgresso, arvisque inde è contrario in locum oliveti profectis.* Marrucinus ager, hodie *Chieti, in hither Abruzzo.* De cupresso, Urbi æquævâ, de amnibus retro fluentibus, vide Plin. XVI. 44. et II, 103.

[3] *Pileata.* Sueton. in Ner. LVII. Pileus libertatis insigne: unde Aurel. Victor. in Epitome, *Ceterùm adeò cunctæ provinciæ omnisque Roma interitu ejus,* Neronis, *exsultavit, ut plebs induta pileis manumissionum, tamquam sævo exemta domino, triumpharet.* Plebis verò inconstantiam notat Suetonius, loc. cit. *Et tamen non defuerunt qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent: ac modò imagines prætextatas in rostris proferrent, modò edicta, quasi viventis, et brevi magno inimicorum malo reversuri.*

in se cuncta trahere,[1] ut ante Galbæ adventum firmatâ auctoritate, aut secundus in Imperio ageret, aut si senex, tres et septuaginta annos natus, itineris defatigatione occumberet, ipse capesseret Imperium: reputans "prætorias "cohortes dudum favorabiles, nunc donativi[2] promisso "obligatas: penes se esse totam liberalitatis gratiam, apud "Galbam necessitatem." Proinde, nè tantas spes præcideret Tigellini societas,[3] ei gladio interdicit: simul consulares, ceterosque, qui exercitus provinciasve olim rexerant, conviviis aliisque id genus lautitiis occupat. Iisdem artibus per castra gliscit ambitio: plurimi jactitant "mittendos ad "Galbam legatos,[4] qui Nymphidium perpetuum, et sine "collegâ, prætorianorum præfectum" efflagitent.

90. PAR in senatu[5] adulatio. Patres ejus foribus adsidere: beneficentiam laudare: omnibus senatusconsultis auctorem habere. Inde, utì fert hominum natura, orta Nymphidio arrogantia, senatui invidia, dein metus. Citò erupere hæc discordiarum semina. Patres, cùm senatusconsultum[6] ad Galbam per tabellarios suos misissent, dedere simul diplomata, sigillo suo obsignata, queis oppida cursum celerarent.[7] Succensuit Nymphidius, questus "Patres nec suo signo nec prætorianis usos:" pœnas etiam, ut fama fuit, repetiturus, ni supplices, excusatâque imprudentiâ, veniam exorâssent.[8]

[1] *Trahere.* Plutarch. in Galbâ, p. 1056.

[2] *Donativi.* De quo dictum supra cap. 85.

[3] *Tigellini societas.* Qui Nymphidii collega erat in præfecturâ prætoriarum cohortium.

[4] *Legatos.* Plutarch. loc. cit.

[5] *In senatu.* Plutarch. ibid.

[6] *Senatusconsultum.* Plutarchus, ibid. Hoc senatusconsulto non tantùm nova dignitas nuntiabatur, sed jura quoque, ut in lege Regiâ, de quâ dicemus infra Hist. IV. 6. proculdubio præscribebantur.

[7] *Cursum celerarent.* Hanc unam cursum celerandi rationem repererat Augustus. Inde apud Romanos cursus publicus à nostro usu et commodo multùm aberat.

[8] *Exorâssent.* Plutarch. ibid.

91. TUM, nihil non audendum ratus, odiis vulgi per prioris Principatûs ignominiam gratificatur. Raptatæ Neronis imagines.[1] Spicillus, gladiator, cum iis tractus, in foro trucidatur. Acta per corpus Aponii, delationibus infamis, plaustra, lapidibus gravida. In hâc vulgi licentiâ, sontium et insontium multitudo adeò promiscuè perit, ut Mauricus,[2] futuri providus, "Urbi promtum Neronis desiderium" prænuntiaverit. Interim à Nymphidio, se Caii Cæsaris filium ementito,[3] consulebatur, ut grata semper populo Romano Germanici memoria revivisceret. Hæc quidem ea fortunæ spem parata, in exitii causas vertêre.

92. GALBA enim, perlatis mirâ celeritate[4] nuntiis se à senatu Imperatorem fuisse consalutatum, auditoque Neronis fine, Romam erat profectus:[5] atrox ob dim ancipitem Imperii spem, necdum satis firmam; quòd, cùm iter faceret, nuntiarentur timerenturque turbæ, in repentinis casibus solitæ. Ob id, neglectâ togâ, paludatus,[6] et dependente à cervicibus pugione ante pectus,[7] quasi per hostile solum iter ingressus est. Pronus in severitatem, Hispaniarum Galliarumque civitates, quibus cunctatior fuerat fides, gravioribus

[1] *Neronis imagines.* Hæc et seq. Plutarch. ibid. Inde autem non modò statuæ, sed vera etiam Neronis capita hodie rarissima sunt; ut videre est apud Cl. Winckelmann, *Histoire de l'Art chez les Anciens.* vol. II. p. 291.

[2] *Mauricus.* Plutarcho, ibid. dictus Μαυρίκιος. At Mauricus, appellabatur; memorandus infra Hist. IV. 40. et in vitâ Agricolæ cap. 45.

[3] *Ementito.* Plutarch. ibid. Tacit. Annal. XV. 72.

[4] *Mirâ celeritate.* Mirâ quidem, cùm Icelus libertus, de quo dictum supra cap. 88. nuntius advenerit septimo die post Neronis mortem, ut testatur Plutarchus in Galbâ, p. 1055. Proinde septem diebus confecit saltem decies sexcenta millia passuum; quod singulis diebus efficit ducenta viginti octo millia passuum; biduo post venêre tabellarii, qui senatusconsultum afferebant, Plutarch. ibid. neque ipsi tardi.

[5] *Erat profectus. Depositâque legati,* susceperat *Cæsaris appellationem.* Sueton. in Galbâ, XI.

[6] *Paludatus.* Paludamentum vestis erat militaris, ut dictum est Annal. XII. 56.

[7] *Ante pectus.* Sueton. loc. cit.

tributis, finium quoque damno[1] attrivit: auctoresque cunctationis, Obultronius Sabinus[2] et Cornelius Marcellus in Hispaniâ, Betuus Chilo in Galliâ, occisi. Simul Principis jussu, Trebonius Garucianus, procurator, Clodium Macrum[3] in Africâ turbantem interficit. Fonteius Capito, ambiguis studiis suspectus, in Germaniâ periit, à Cornelio Aquino et Fabio Valente oppressus.

93. FORMIDOLOSIOREM Nymphidium præpropera cupido perditum iit. Cùm secundas in Imperio obtinere vanis artibus tentâsset, Vinio, Lacone, Icelo,[4] præpollentibus, et Othone per Vinii favorem ad fortunam sensim inrepente, Imperium invadere occupat, Mithridatis Pontici[5] opibus subnixus. Illi in prætoriano milite spes; et ne imparatus ad id dignitatis accederet, orationem à Cingonio Varrone,[6] venali ingenio, in tantum fastigium scriptam, edidicerat. Nox propinqua talibus ausis destinabatur. Restitit Antonii Honorati, tribuni, fides.[7] Præmonitis enim prætorianis, " tot vices dedecere: præcipitem fuisse à Nerone, licèt " scelerum reo, defectionem: à Galbâ, novo et laudato " Principe, probrosam fore: turpe insuper, si Liviæ adfinem[8]

[1] *Damno.* Tacit. Hist. I. 53. *Quasdam etiam murorum destructione*, Sueton. in Galbâ, XII. *Finium damno*, id est, ademtis agris; sic *finium* usurpatum videbis infra Hist. I. 24. Et civitates publicos agros habébant, ut omnibus compertum.

[2] *Obultronius Sabinus.* Hæc et seq. Tacitus, Hist. I. 7 et 37. Sueton. in Galbâ, XI.

[3] *Clodium Macrum.* De Clodio Macro ejusque nummis vide infra not. et emend. ad Hist. I. 11.

[4] *Vinio, Lacone, Icelo.* De his plura infra cap. 96.

[5] *Mithridatis Pontici.* Plutarch. in Galbâ, p. 1058. Mithridates oriundus, ut videtur, Ponti regibus.

[6] *Cingonio Varrone.* Plutarch. in Galbâ, p. 1059. Perperam Latinus Plutarchi Interpres eum appellat *Ciconium Varronem.* Jam memoratus est Cingonius Varro, Annal. XIV. 45.

[7] *Fides.* Hæc et seq. Plutarchus in Galbâ, p. 1058.

[8] *Liviæ adfinem.* Plutarch. ibid. Atque etiam expressiùs p. 1054. ἦν δέ τι καὶ Λιβίᾳ τῇ Καίσαρος γυναικὶ κατὰ γένος προσήκων ὁ Γάλβας. Aliter tamen Suetonius in Galbâ, II. *Neroni Galba successit, nullo gra-*

" Nymphidiæ filio[1] postponerent." Cùm Nymphidius castra adîsset, seu ut suâ in fide firmaret animos, seu ut ortos fortè motus sedaret, ipso in ingressu confossus occubuit.

94. GALBA, hâc cæde nuntiatâ, quasi Imperii pacisque certus, togam sumsit:[2] sed mutato habitu, haud mutata mens. Inerant semper ira, diffidentia, injuriarum memoria, ceteraque pavidi animi, in privato homine inhonesta, funesta Principi, cujus initia verâ fictâve lætitiâ gratiâque debent clarescere. Immo plus invidiæ movit cædes Petronii Turpiliani,[3] consularis et triumphalis viri, imperata quòd Neronis dux fuisset, et à Tigellino patrata. Atrox quoque visum, præter Mithridaten et Cingonium,[4] consulem designatum, Principis edicto amicos sociosve Nymphidii inauditos et indefensos morte mulctari. Molliisset tamen intempestivam severitatem tutandi Imperii voluntas, aut necessitas, ni fuisset idem adversùs omnes atque immeritos rigor. Sed cùm legati, à senatu missi, Narbonem Martium,[5] adventâssent, ut Principi gratularentur, et " quàm primùm Romam veni- " ret," orarent, parca fuit civilitas, nihil comitatis. Pari illiberalitate[6] exceptus Verginius, debellato Imperii hoste,

du contingens Cæsarum domum. At Suetonii verba intelligenda mihi videntur de gradibus consanguinitatis, non verò de affinitate. Hujus affinitatis fortè testis est nummus argenteus, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni: IMP. SER. GALBA CAES. AVG. Capite laureato. In parte posticâ DIVA AVGVSTA. Liviâ sub effigie Pietatis expressâ.

[1] *Nymphidiæ filio.* Nymphidius, filius Nymphidiæ, et, ut opinatur Plutarchus in Galbâ, p. 1056. Martiani gladiatoris.

[2] *Togam sumsit.* Sueton. in Galbâ, XI.

[3] *Petronii Turpiliani.* Tacit. Hist. I. 6. Jam memoratus est supra cap. 81. et Annal. XV. 72. Perperam appellatus à Plutarcho in Galbâ, p. 1059. Πετρώνιος Τερτυλλιανός.

[4] *Mithridaten et Cingonium.* Plutarch. ibid. De iis dictum cap. sup.

[5] *Narbonem Martium.* Nunc *Narbonne:* urbem olim Galliarum clarissimam.

[6] *Illiberalitate.* Causam affert Tacitus, Hist. I. 8. *Nec statim*

spreto Principatu, summum honoris promeritus. At felix, qui ob nimiam virtutem parùm gratus suspicaci Principi, id in his temporum adversis est adsecutus, ut malorum reipublicæ spectator tantùm, non actor, gloriæ suæ superstes, ad ea usque duraverit tempora, quibus revixit Romana felicitas.[1]

95. CRUENTO autem Principis itinere fœdior adhuc adventus. Urbsque horruit Classiarios, qui obviam occurrerant,[2] sibique militiam à Nerone datam[3] servari orabant, non modò rejici, sed, qui aquilam signaque[4] pertinaciùs flagitaverant, immisso confestim equite, equorum vi obteri, aut trucidari: superstites, in Urbis oculis decumari, custodiâve attineri, licèt in fidem acceptos.[5] Amoti etiam prætorianorum plerique,[6] ob Nymphidii molimina suspecti. Germanorum cohors, quæ multis fidei experimentis se prioribus Cæsaribus in corporis custodiâ approbaverat, tum dissoluta, ac sine ullo commodo in patriam remissa; quasi Dolabellæ, juxta cujus hortos tendebat,[7] pronior.

96. TALIBUS non facta securitas, conflata tantùm odia, quæ in dies crescebant, dum apud senem, in pœnas promptum, tardum ad præmia, nullus esset gratiæ locus,[8] conces-

ro *Galbâ Virginius;* et Fabius Valens eum cunctationis accusaerat, teste Tacito, ibid. cap. 52.

[1] *Romana felicitas.* Imperante Trajano, ut dicetur, cùm ad hæc empora devenerimus.

[2] *Occurrerant.* Ad tertium fernè ab Urbe lapidem, Plutarch. n Galbâ, p. 1059. Vide et Tacium, Hist. 1. 87.

[3] *A Nerone datam. Ex remibus justos milites* eos *fecerat* Neo, Sueton. in Galbâ, XVI. id est, gionem fecerat, Plutarch. loc. it.

[4] *Signaque.* Aquilam et signa legionis.

[5] *In fidem acceptos.* Tacit. Hist. 1. 6. 37 et 87. Sic trucidata multa millia inermium et innocentissimorum militum. Malè Dio, LXIV. p. 729. ad prætorianos, διεφθείρας, retulit, quæ ad classiarios pertinere demonstrant Suetonius et Plutarchus, loc. cit.

[6] *Prætorianorum plerique.* Sueton. in Galbâ, XVI.

[7] *Tendebat.* Sueton. in Galbâ, XII.

[8] *Gratiæ locus.* Sueton. in Galbâ, XIV et XV.

saque à prioribus Principibus beneficia eriperentur.[1] Irritati adhuc animi, quòd, super Principis vitia, majora ex hominibus, quibus se abutendum permiserat,[2] orirentur pericula. Titus Vinius, quem supra memoravi,[3] ut favore præcipuus, sic cupiditate immensâ grassabatur. Cornelio Laconi, ex adsessore,[4] præfecto prætorii, arrogantia socordiaque intolerabilis. Icelus, libertus, anulis donatus equestrique nomine,[5] potentissimorum olim libertorum opes æmulabatur. Hos inter, lucri spe, et ob senium Principis in ruinam præceps, concordia: nec cura, nisi unde citior majorque fortuna pararetur.

97. GALBA, his obnoxius, non suopte ingenio, sed pro eorum cupidine, regebatur. Per eos ergò licuit ut Helium, Polycletum, Petinum, Patrobium,[6] Neronis libidinum ministros, plecteret.[7] Tigellinum verò, nequiorem et invisum magis, at magnâ pecuniarum vi favorem T. Vinii emercatum,[8] morti subduxit; populumque Romanum, qui eum ad pœnas assiduè repetebat, edicto increpuit, quòd "homi-

[1] *Eriperentur.* Sueton. ibid. *Judicibus sextam decuriam adjici precantibus, non modò negavit, sed etiam concessum à Claudio beneficium, ne hyeme initioque anni ad judicandum evocarentur, eripuit* ——*Liberalitates Neronis, non plus decimis concessis, per quinquaginta equites Romanos ed conditione revocandas curavit exigendasque, ut et si quid scenici aut Xystici donatum olim vendidissent, auferretur emtoribus, quandò illi, absumto pretio, solvere nequirent.*

[2] *Permiserat.* Sueton. in Galbâ, XIV.

[3] *Memoravi.* Supra cap. 69. Sueton. loc. cit. Vinius, *mortalium deterrimus,* Tacit. Hist. I. 6.

[4] *Ex adsessore.* Sueton. ibid. Adsessores magistratibus præsidibusve in jure dicundo adsidebant. Liberti adsidere poterant. Vide Digest. libr. I. Tit. 22. de officio adsessorum. Leg. 2. Laco, mortalium *ignavissimus,* Tacit. Hist. I. 6.

[5] *Equestrique nomine.* Appellatus nempe *Martianus,* Tacit. Hist. I. 13. Ob nuntiatum Imperium incredibili celeritate, ut dictum supra cap. 92. id honorum adeptus, Plutarch. in Galbâ, p. 1056.

[6] *Patrobium.* Locustam, veneficiis famosam, addit Dio, LXIV. p. 729.

[7] *Plecteret.* Plutarch. in Galbâ, p. 1060.

[8] *Emercatum.* Plutarch. ibid. Sueton. in Galbâ, XV.

nem tabe fermè enectum persequerentur:" flagitabat,[1] e " Principatum suum cruentarent, odiosumque facerent." igellinus, quasi Deûm munere servatus, pro salute suâ :are ; [2] magnoque sumtu paratâ scenâ, Vinii filiæ, alia jam argitus,[3] decies sestertiûm[4] propinare.[5] Pronum credere uàm id fuerit populo ingratum, quæ inde adversùs Galbam ıvidia. Accedebant tetrica senectus, tristis avaritia,[6] ræposterè tentata[7] Imperii leges moresque emendandi ɔnsilia, et vana libertatis restitutæ[8] ostentatio. Prætereà liscebant per exercitus querelæ, quòd donativum[9] sibi romissum frustra reposcerent. Efferavit quoque animos, nagnifica, sed non talis Imperatoris, nec hujus temporis, 'ox, " legi à se militem, non emi."[10] Sic coalescebant liscordiarum causæ, quæ sequentem annum funestavere, mplum historiæ argumentum.[11]

[1] *Flagitabat.* Plutarch. ibid.

[2] *Litare.* Plutarch. ibid.

[3] *Alia jam elargitus.* Quæ inter fuit monile, quod ex pellicum uarum primariæ collo detraxit, ut Vinii filiæ daret, æstimatum τετταράκοντα μυριάδων, Plutarch. ibid. d est, *sexcentis millibus nummûm, Angl.* 5000*l.*

[4] *Decies sestertiûm.* Plutarch. ibid. πέντε καὶ δέκα μυριάδας ἀργυρίου, *Angl.* 8333*l.* 6*s.* 8*d.* Malè vertit interpres Latinus, *duodecies sestertiûm.*

[5] *Propinare.* Plutarch. in Galbâ, p. 1060. πρόπιον. Quæ compotationes! quàm opulentæ!

[6] *Avaritia.* Sueton. in Galbâ, XII. Dio, LXIV. p. 728.

[7] *Præposterè tentata.* Senem imbellemque Principem latebat in Imperiis magna et vetera mala sanari non posse, nisi acerrimo ingenio, viridi ætate, lentisque remediis.

[8] *Libertatis restitutæ.* Unde in nummis Galbæ frequenter occurrit LIBERTAS P. R. vel LIBERTAS PVBLICA. vel LIBERTAS RESTITVTA.

[9] *Donativum.* De quo supra cap. 85.

[10] *Non emi.* Tacit. Hist. I. 5.

[11] *Historiæ argumentum.* Vide Historiarum libros, quibus fusè splendidèque hoc argumentum Tacitus est prosequutus.

APPENDIX

AD LIBRUM QUINTUM

HISTORIARUM.

BREVIARIUM

APPENDICIS

AD LIBRUM QUINTUM HISTORIARUM.

26. Batavi in fidem recepti; pacataque Germania. 27. Lingones favorem Domitiani occupant. Cæso Fonteio Agrippâ, Sarmatæ Mœsiam populantur: mox à Rubrio Gallo fusi. 28. Obsidio Hierosolymitana. Primus urbis murus perrumpitur. 29. In alterius ruinâ acriter pugnatum. 30. Judæorum pervicacia. 31. Titus tridui opere urbem muro circumvallat. Expugnatur et exscinditur turris Antonia. 34. Fames, pestis, Hierosolymis grassantur. 35. Templum invadere frustra tentant Romani. 36. Portas succendi, templum tamen servari jubet Titus.

37. Judæi, suam in ruinam præcipites, inconsultò in Romanos inrumpunt. 38. Templum incenditur; ibique positis signis, Titus *imperator* consalutatur. 40. Reliquæ Judaici belli fœditates. Ardent Hierosolyma. 42. Titus, urbis ruinas ingressus, Deum victoriæ auctorem profitetur. 43. Inde Cæsaream discedit, Orientem lustraturus. Lucilius Bassus, quæ supererant in Judæâ, expugnat. 44. Interim Vespasianus Alexandriâ Romam redierat: templi Capitolini operas extemplo inflammat. 46. Titus, ex Oriente redux, Hierosolyma revisit, ruinasque miseratur: Memphim venit; evinctusque caput diademate, Apidis consecrationi interest: unde Romæ conflata invidiæ materia. 47. Vespasianus Hispaniæ jus Latii tribuit: mox ad Urbana negotia intentus. 48. Vitæ ejus ratio. 49. Erga liberos cura. Titus Romam venit. 50. Vespasiano Titoque decernitur triumphus. Ejus pompa. 52. Clauditur Janus. Templum Pacis à Vespasiano conditum: ibi sacrata templi Hierosolymitani monumenta. Conspirantibus Vespasiani Titique votis, tentatur morum emendatio, Urbe vitiis fessâ.

Hæc gesta,

A. U. C.	J. C.	
DCCCXXIII.	70. Coss.	Flavio Vespasiano Aug. II, Tito Vespasiano Cæsare.
DCCCXXIV.	71. Coss.	Flavio Vespasiano Aug. III, M. Cocceio Nervâ.

APPENDIX

AD LIBRUM QUINTUM

HISTORIARUM.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

A. U. C. 823. J. C. 70.

26. NON fefellit Civilem ea inclinatio, et prævenire statuit; super tædium malorum, etiam spe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio, scinditur Nabaliæ fluminis pons; in cujus abrupta progressi duces: et Civilis ita cœpit: "Si apud Vitellii legatum defen-
" derer; neque facto meo venia, neque dictis fides debe-
" batur. Cuncta inter nos inimica, hostilia, ab illo cœpta,
" à me aucta erant. Erga Vespasianum vetus mihi obser-
" vantia: et, cùm privatus esset, amici vocabamur. Hoc
" Primo Antonio notum, cujus epistolis ad bellum accitus
" sum, ne Germanicæ legiones et Gallica juventus Alpes
" transcenderet. Quæ Antonius epistolis, Hordeonius
" Flaccus præsens monebat, arma in Germaniâ movi: quæ
" Mucianus in Syriâ, Aponius in Mœsiâ, Flavianus in
" Pannoniâ, Tiberius Alexander[1] in Ægypto, eadem fovi

[1] *Tiberius Alexander.* A quo initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriæ cœptum. Vide supra Hist. II. 79.

" consilia. Pari studio Batavos, Canninefates, veteranas-
" que cohortes in verba Vespasiani adegi.[1] Si quid posteà
" hostile inrepsit, jure an injuriâ susceptum haud dixerim.
" Malim turbida temporum incusare, quàm dubia imputare
" crimina. Certè vel ipsa inter bella me semper in pacem
" propendisse, Romanorumque partes juvisse multa fuere
" argumenta, et recens adhuc memoria.[2] Nec per me
" stabit quominùs inter Romanos et Batavos fida firmaque
" societas renovetur. Olim sacramenti hortatorem, nunc
" me juvat esse conciliatorem pacis." Studiis ita conspirantibus, in fidem recepti sunt Batavi: pacataque Germania.

27. LINGONES,[3] Civilis societate innexi, Domitiani favorem occupaverant, septuaginta millibus armatorum[4] in ejus obsequium redactis. Atrociùs cum Sarmatis pugnatum. Fonteius Agrippa, Mœsiæ, ut dictum est supra,[5] præpositus, adversùs barbarorum vim invalidus, pugnando fortiter occubuit.[6] Tum cuncta incursionibus, populationibus obnoxia. Clade Vespasiano nuntiatâ, Rubrium Gallum misit,[7] qui rem restituit, fusosque sæpe barbaros renare Danubium coegit: et, ne regredi iis foret animus, Romanis præsidiis validiora addidit munimenta.[8]

28. AT major belli moles in Judæâ agitabatur. Titus, cùm cuncta expugnandis Hierosolymis apta struxisset,

[1] *In verba Vespasiani adegi.* Ut jam dictum est supra Hist. IV. 21.

[2] *Recens adhuc memoria.* Superfuso enim Rheno, potuere opprimi legiones, et volebant Germani: at obstitit Civilis, idque nunc imputabat. Vide supra Hist. V. 24.

[3] *Lingones.* De quibus supra Hist. IV. 55 et 77.

[4] *Septuaginta millibus armatorum.* Frontinus, Strateg. IV. 3. n. 14. Quem vide laudatum supra Hist. IV. 67. not. inf.

[5] *Dictum est supra.* Hist. III. 46.

[6] *Occubuit.* Josephus, Bell. Jud. VII. 4. n. 3.

[7] *Misit.* Josephus, ibid.

[8] *Addidit munimenta.* Sic bellum Mœsiacum celeriter confectum est. Ὁ μὲν δὴ περὶ τὴν Μυσίαν πόλεμος ταχεῖαν ἔτυχε λύσιν τῶν κρίσεων. Josephus, loc. cit.

adulto jam vere,[1] operi institit,[2] morarum impatiens. Utrimque paribus animis certatum. Judæi locorum ingenio, hominum multitudine (nam undique terrarum, atque etiam trans Euphraten,[3] gentili discrimine pietateve[4] exciti, convenerant) primùm valuere:[5] longiùsque effossis subter terram cuniculis,[6] ruinam machinis, militibus, si fortè materiarum causâ, aquarumve penuriâ per agros palarentur, necem inferebant. Una quoque è tribus turribus, quas in quinquagenorum cubitorum altitudinem Titus eduxerat, fortuito casu nocte prolapsa,[7] oppugnatoribus terrorem morasque intulit. At tandem arte et virtute præpotuit

[1] *Adulto jam vere.* Post festum diem Azymorum celebratum hoc anno die quintadecimâ mensis Xanthici, seu 14. mensis Aprilis. Joseph. Bell. Jud. v. 3. n. 1.

[2] *Operi institit.* Relictis enim Spinarum valle et Scopo, ubi primùm fuere Romana castra, sed quæ longiùs ab Hierosolymis aberant, ut dictum est supra Hist. v. 1. not. inf. Titus aciem admovit; eamque instruxit à monte Olivarum per montem, Calvariæ ad turres usque Psephinam et Hippicon: deinde ad monumenta usque Herodis prope piscinam Serpentium processit, machinas instruxit, et oppugnationem cœpit ad Joannis pontificis monumentum die 22. Aprilis. Joseph. Bell. Jud. v. 2. 3 et 6.

[3] *Trans Euphraten.* Dio, LXVI. p. 746. Οἱ Ἰουδαῖοι, πολλοὶ μὲν αὐτόθεν, πολλοὶ δὲ καὶ παρὰ τῶν ὁμοήθων, οὐχ ὅτι ἐκ τῆς αὐτῆς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν πέραν Εὐφράτου προσβεβοηθηκότες. *Judæi plurimi, partim ex illâ suâ regione, partim ex iis, qui ejusdem religionis erant, nec è Romano tantùm imperio, sed etiam è sitis trans Euphraten locis venerant, opem ferebant.* Vide et Josephum, Bell. Jud. VI. 6. n. 2.

[4] *Pietateve.* Ob Paschatis solemnitatem. Quàm immensa tum convenirêt Judæorum multitudo vide in not. et emend. ad Hist. v. 13.

[5] *Primùm valuere.* Josephus, Bell. Jud. v. 6. n. 6. Dio, loc. cit.

[6] *Cuniculis.* Dio, LXVI. p. 746. Οἱ δὲ Ἰουδαῖοι διὰ τῶν ὑπονόμων ἴσχυον· ὀρωρυγμένους τε γὰρ αὐτοὺς ἔνδοθεν ὑπὸ τὰ τείχη μεχρὶ πόῤῥω τῆς χώρας εἶχον, καὶ δι' αὐτῶν διεξιόντες, τοῖς τε ὑδρευομένοις ἐπετίθεντο, καὶ τοὺς ἀποσκεδαννυμένους ἐλυμαίνοντο· οὓς ὁ Τίτος πάντας ἀπέφραξε. *Judæi per cuniculos subterraneos multùm poterant, quos ex urbe subter ipsa mœnia ad longinquas partes regionis actos habebant: perque hos ipsos cuniculos egressi, Romanos aquam petentes, et palantes damnis adficiebant. Titus universos hosce meatus obstruxit.* Quàm autem cœlum solumque Hierosolymitanum siticulosum sit, omnibus compertum est.

[7] *Nocte prolapsa.* Joseph. Bell. Jud. v. 7. n. 1. Τοῦ γὰρ Τίτου πύργους τρεῖς κατασκευάσαι κελεύσαντος πεντηκονταπήχεις—συνέβη ἕνα πεσεῖν αὐτομάτως ἀνὰ μέσης νυκτός. De bellicis turribus plura vide in not. et emend. ad Hist. IV. 23.

Romana res, adjuta Titi periculo, impacto saxo lævum humerum saucii.[1] Legiones, ducis vulnere inritatæ, conniti; et perrupto muro, primam urbis partem, Septemtrionibus objectam, occupare:[2] integrâ Judæorum multitudine, quæ in interiora secesserat.[3]

29. Crevit itaque cum fortunâ periculum. Angustioribus enim standum locis; quantoque arctior, tanto validior interiorum urbis munitionum vis: duplicatus quoque[4] propugnatorum numerus. Aderat et immensa armorum supellex: nam præter solitas, aut in hanc necessitatem[5] inventas Judæis machinas, Romanæ etiam ostentabantur, sub belli initia in adversis Cestii Galli,[6] Syriæ legati, præliis captæ. Feroces inde animos, impunitatis spe, flectere

[1] *Lævum humerum saucii.* Dio, loc. cit. Ὁ Τίτος αὐτὸς λίθῳ τὸν ἀριστερὸν ὦμον ἐπλήγη, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν χεῖρα ἀσθενεστέραν εἶχε. *Titus ipse saxo percussus in humero sinistro, manum inde debiliorem habuit.*

[2] *Occupare.* Prima illa pars urbis Hierosolymorum capta est die septimâ mensis Artemisii, seu die 6. Maii, quæ erat à cœptâ oppugnatione quintadecima. Joseph. Bell. Jud. v. 7. n. 2. Ῥωμαῖοι μὲν οὕτω τοῦ πρώτου τείχους πεντεκαιδεκάτῃ κρατήσαντες ἡμέρᾳ, ἑβδόμῃ δ' ἦν Ἀρτεμισίου μηνὸς, αὐτοῦ τε πολὺ κατασκάπτουσι, καὶ τὰ προσάρκτια τῆς πόλεως, ἃ καὶ πρότερον Κέστιος. *Romani primo muro ita potiti sunt die quintadecimâ, septima enim erat mensis Artemisii, et partem ejus magnam diruunt, et septemtrionalia urbis, quæ etiam priùs vastaverat Cestius.*

[3] *Secesserat.* Josephus et Dio, ibid.

[4] *Duplicatus quoque.* Tunc enim commune discrimen propulsare adgressi sunt Joannes et Simon. Ille ex turri Antoniâ, Septemtrionali porticu templi, et Alexandri monumento pugnabat. Hic juxta monumentum Joannis, et tenebat usque ad portam, quâ in turrim Hippicon aqua inducebatur. Titus autem locum, Castra Assyriorum dictum, obtinuit, et quidquid interjacet usque ad Cedronem occupavit. Joseph. Bell. Jud. v. 7. n. 3.

[5] *In hanc necessitatem.* Joseph. Bell. Jud. v. 1. n. 5. Præterea Josephus, Bell. Jud. v. 9. n. 2. inter bellicas Judæorum machinas numerat trecentos scorpiones et quadraginta balistas, εἶχον δ' ὀξυβελεῖς μὲν τριακοσίους, τεσσαράκοντα δὲ τῶν λιθοβόλων. Hos scorpiones describit Vegetius, IV. 22. *Scorpiones dicebant, quas nunc manubalistas vocant: ideo sic nuncupati, quòd parvis subtilibusque spiculis inferant mortem.* Alii sunt, et majores, scorpiones, quos describit Ammianus Marcellinus, XXIII. 3. De balistâ dictum est satis Hist. III. 23. not. inf.

[6] *Cestii Galli.* De quo supra Hist. v. 10. Vide et Suppl. Annal. XVI. 47.

tentavit[1] Titus. At clementiam Cæsaris pavorem interpretantes, spretis ejus nuntiis, audentiâ crevere. Ex eo major ira legionibus, contumeliæ indignitatem ægrè ferentibus, certisque ardua quæque adgredi, ut promtior acriorque ultio foret. Properantur opera: muris admotæ machinæ: corruptæ obsessorum saxis ignibusve, confestim refectæ. Expugnandæ urbis signum dari ardet miles. Quò plus periculi, plus animi. Dato signo, acerrimus quisque, tela inter et saxa enisi, dirutâ alterius muri parte,[2] viam fecere. At, quòd angustior erat aditus, nec Titus vastitatem statim intulit, clementiâ potiùs, quàm belli jure utendum ratus;[3] Judæi indulgentiâ in perfidiam abuti, tantoque impetu in paucos Romanos,[4] qui, duce Tito, subierant, inruere, ut eos extra murum pellerent. Atrox hìc cædes; triduoque[5] in muri ruinâ, quam Judæi oppositis corporibus vallabant, pugnatum. Tandem quarto die,[6] victis Judæis, intusque cedentibus, ad turrim Antoniam[7] ventum est.

30. Cum ea foret solo editiore inaccessa, structi ad oppugnandum aggeres.[8] Interim, ut Judæorum audacia

[1] *Flectere tentavit.* Dio, loc. cit.

[2] *Alterius muri parte.* Josephus, Bell. Jud. v. 8. n. 1. Αἱρεῖ δὲ Καῖσαρ ταύτην τὸ τεῖχος ἡμέρᾳ πέμπτῃ μετὰ τὸ πρῶτον. *Alterum murum* in parte urbis Septemtrionali, *cepit Cæsar die quinto post primum captum.* Quintus autem ille dies fuit duodecimus mensis Artemisii, et 11. mensis Maii.

[3] *Utendum ratus.* Ita Josephus, loc. cit. Hæc enim una Tito cura ut sibi urbem, templum urbi conservaret. Περὶ πλείστου γὰρ ἐποιεῖτο σῶσαι τὴν μὲν πόλιν αὐτῷ, τὸν δὲ ναὸν τῇ πόλει.

[4] *In paucos Romanos.* Titus cum mille armatis, et lectis, quos circa se habebat, militibus, alterum murum erat ingressus. Joseph. loc. cit.

[5] *Triduoque.* Josephus, loc. cit. n. 2. Τρισὶ μὲν ἀντίσχον ἡμέραις.

[6] *Quarto die.* Titus, quarto die, τῇ τετάρτῃ, Judæos fortiter adortus, altero muro potitus est. Quod ad Septemtrionem spectabat statim diruit: partis verò Meridionalis turribus præsidium imposuit. Joseph. ibid. Quartus ille dies fuit 15. mensis Maii.

[7] *Turrim Antoniam.* De quâ dictum supra Hist. v. 11.

[8] *Ad oppugnandum aggeres.* Quatuor maximos aggeres memorat Josephus, Bell. Jud. v. 11. n. 4. Horum unum ad turrim An-

terrore flecteretur, per quatuor dies ostentata[1] acies Romana: publicè data annona: ingentem auri argentique vim, minasque militum, armis et insignibus fulgentium, è summis mœnibus parteque Septemtrionali templi prospectabant obsessi. Prætereà missus Josephus,[2] nobis jam supra memoratus, qui eos veniæ, libertatis, fortunarum spe ad deditionem excitaret. Nec hostilium virium aspectus, nec promissa, ne horrenda quidem fames,[3] quæ jam sæviebat, feroces animos molliere. Immo ipsi transfugæ, Titi clementiâ in castra Romana recepti, occulta meditabantur crimina;[4] et si quem fortè Romanorum solum repererant, jugulabant, aut clam obturatis corruptisve fontibus, insanabile malum adferebant. Multi in talis perfidiæ pœnas, gentiliumque terriculum, ante urbis oculos crucibus adfixi,[5]

toniam, contra mediam piscinam, quæ Struthia vocabatur, struxerat quinta legio; alium legio duodecima, inde circiter viginti cubitos distantem: tertium legio decima, ad Orientalem partem urbis, et piscinam, quæ Amygdalon appellabatur; quartum legio quintadecima, ad Joannis Pontificis monumentum, triginta inde cubitos distans. Joseph. Bell. Jud. v. 9. n. 2. et v. 11. n. 4. Ait ibidem Josephus illos cœptos fuisse duodecimo die mensis Artemisii, vix autem perfectos fuisse die vigesimo nono, diebus septemdecim operi sine intermissione impensis. Ergò aggeres cœpti sunt die ipso, quo secundus urbis murus dirutus est. Dies autem vigesimus nonus fuit 28. Maii.

[1] *Per quatuor dies ostentata.* In Hierosolymorum suburbanis, Septemtrionem versùs, ostentata est acies Romana. Joseph. Bell. Jud. v. 9. n. 1. Quatuor illi dies fuere 16. 17. 18. 19. Maii.

[2] *Missus Josephus.* Joseph. Bell. Jud. v. 9. n. 3. Jam memoratus est supra in Suppl. Annal. xvi. 58.

[3] *Fames.* De quâ multa Josephus, Bell. Jud. v. 10. Magnam autem frumenti copiam, quæ non paucis annis suffecisset, initio belli combusserant discordes Judæi. Josephus, Bell. Jud. v. 1. n. 4. Prætereà ne quid spei Judæis maneret, Titus pulcherrima urbis suburbana exciderat, et omnem latè regionem ad nonaginta stadia circumquaque vastaverat, ita ut nihil in campis, ne arbor quidem, superesset. Josephus, Bell. Jud. vi. 1. n. 1.

[4] *Meditabantur crimina.* Dio, loc. cit.

[5] *Crucibus adfixi.* Judæos quidem cruci adfixos memorat Josephus, Bell. Jud. v. 11. n. 1. At silet causam, eosque ideo tantùm à Tito punitos tradit, ut obsessi quid ipsos maneret, ni se dederent,

truncisve manibus[1] ad suos remissi. His suppliciis exacerbata adhuc odia; ultionemque novâ ruinâ parabat Joannes. Effossâ enim sub aggeribus terrâ,[2] incensisque materiis,[3] quibus opus pensile sustinebatur, subito hiatu absorpti sunt aggeres: dissiluere machinæ; et, erumpente flammâ, statim haustæ sunt. Nihil tristius toto bello contigerat.[4] Id tamen biduo pòst[5] fermè renovatum. Simonis enim instinctu, tres juvenes, præcipuâ apud eos audaciâ, Tephthæus, Megassarus, et Chagiras[6] (nam barbara etiam nomina ob facinoris insigne memoranda) urbe, raptis facibus, egressi, machinas aliis aggeribus[7] impositas, per medios hostes, per tela, per gladios, incendendas susceperunt, et incendêre: neque ignes, propter Judæorum, è muro, factâque inruptione, pugnantium, pervicaciam, restingui potuerunt.[8]

31. Adverso casu haud fracta Titi constantia: sed cladem in urbis exitium vertit; eamque incredibili tridui opere[9]

intelligerent. Quod à Romanâ disciplinâ Titique clementiâ omnino alienum.

[1] *Truncisve manibus.* Joseph. ibid. n. 2.

[2] *Sub aggeribus terrâ.* Joseph. ibid. n. 4. Aggeres illi à legionibus v et xii. ad Turrim Antoniam fuerant exstructi; ut modò observatum est supra cap. 30. not. inf.

[3] *Incensisque materiis.* Pice ac bitumine inlitæ fuerant materiæ; succensisque sudibus, pensiles aggeres magno cum sonitu corruêre. Joseph. ibid.

[4] *Contigerat.* Id contigisse videtur die primâ mensis Sivan, seu 29. Maii.

[5] *Biduo pòst.* Joseph. ibid. n. 5. Id ergò accidit die tertiâ mensis Sivan, seu 31. Maii.

[6] *Chagiras.* Sic cognominatus ex fortunâ, ait Joseph. ibid. quæ vox *claudum* significat. חגירא enim Judæis est *claudus*. Tres autem illi viri è periculo non se subduxere priùs, quàm cùm ignis machinas corripuit. Joseph. ibid.

[7] *Aliis aggeribus.* Ii sunt aggeres, quos legiones x et xv. ad Orientalem urbis partem struxerant, ut jam observavimus supra cap. 30. not. inf.

[8] *Restingui poterunt.* Joseph. ibid.

[9] *Incredibili tridui opere.* Joseph. Bell. Jud. v. 12. n. 2. Τρισὶ δ' ᾠκοδομήθη τὸ πᾶν ἡμέραις· ὡς τὸ μὲν ἔργον μηνῶν ἄξιον, τὸ δὲ τάχος ἡττῆσθαι πίστεως. *Totum autem opus triduo constructum est, ut id quidem dignum mensibus videretur, celeritas verò fide careret.* Triduum illud

per triginta novem stadia[1] muro ac turribus[2] ita circumvallavit, ut nulla effugii spes obsessos maneret. In hâc necessitate, multa fuere Judæorum transfugia; haud meliore iis penes Romanos, quàm penes suos, sorte. Multi enim, longâ fame invalidi, oblatis affatim cibis enecabantur:[3] alii, innatâ genti auri cupidine, comperti opes suas, antequàm transfugerent, vorâsse,[4] ab Arabibus Syrisque[5] dissecti sunt:[6] ne Romanus[7] quidem miles ab eâ atrocitate penitùs integer: Judæorum duo millia[8] sic periere; indignante quidem Tito, et morte iis, qui tale pòst scelus auderent, intentatâ.[9] Ceteris autem, qui in urbe manserant,

fuit sanè 2. 3 et 4. Junii. A Tito autem ita deproperatum opus, quòd Judæi sabbatum et duos dies festos Septimanarum, seu Pentecostes, celebravere diebus 5. 6 et 7. mensis Sivan, id est, 2. 3 et 4. Junii.

[1] *Per triginta novem stadia.* Josephus, ibid. Τὸ μὲν οὖν τεῖχος ἐπὶς δέοντες τετταράκοντα σταδίων ἦν. *Murus uno minùs quadraginta stadiorum erat.*

[2] *Muro ac turribus.* Circuitum muri fusè describit Josephus, ibid. Hujus struendi initium factum à castris Assyriorum, ubi tendebat Titus: hinc ad inferiorem Cænopolim ductus; inde per Cedronem ad Olivarum montem pergebat: dein revertens à meridie montem complectebatur usque ad petram Peristereonon, proximumque collem, qui valli juxta fontem Siloam imminebat: inde ad vallem fontis descendebat, factoque pòst ascensu ad Anani pontificis monumentum, montem circumdabat, ubi Pompeius castra olim posuerat: tum ad Septemtrionale urbis latus redibat, progressusque ad vicum, qui Ciceron domus, Ἐφεσίνων ὄχος, dicebatur, Herodisque monumentum complexus, ad Orientem Titi castris, unde initium ceperat, conjungebatur. Huic autem muro foris adstructa sunt tredecim castella, seu præsidia, quorum ambitus erat denis stadiis. Ἔξωθεν δὲ αὐτῷ προσῳκοδομήθη τρισκαίδεκα φρούρια, καὶ τούτων οἱ κύκλοι δέκα σταδίων μοῦντο σταδίων. Facto hoc muro, tunc impletum est, quod Jesus, videns civitatem, et super illam flens, prædixerat: Ὅτι ἥξουσιν ἡμέραι ἐπί σε, καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε, καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν. Luc. XIX. 43.

[3] *Cibis enecabantur.* Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 4.

[4] *Vorâsse.* Joseph. ibid.

[5] *Arabibus Syrisque.* Qui erant auxiliares in exercitu Romano.

[6] *Dissecti sunt.* Ut auro, quod voraverant, potirentur Arabes, Syri, ac nonnulli etiam è militibus Romanis.

[7] *Ne Romanus.* Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 5.

[8] *Duo millia.* Joseph. ibid.

[9] *Intentatâ.* Quos etiam, circumfuso equitatu, jaculis confici statim jussisset Titus, ni reorum multitudine impeditus fuisset. Joseph. ibid.

nulla salutis cura. Ducibus tantùm furor: Joannes in templi spoliationes[1] præceps, in gentilium cædes[2] Simon: tam effrænâ libidine, ut si ab oppugnatione destitissent Romani, Hierosolyma furialibus suorum odiis periissent.[3]

32. TÆDIO præsentium, futurorum metu, præfectus turri Antoniæ, Judas nomine,[4] cum fidissimis Judæis decem, proditionem pepigit. Jam Titus, turrim occupaturus, adventabat, cùm Simon, retectis consiliis, proditores circumvenit; hisque ante Romanorum ora jugulatis, discerpta eorum membra projecit.[5] At, flagitii loco, Romanis adfuere fortuna et virtus. Ubi enim admotæ machinæ, pars muri à Joanne, ut memoravimus,[6] suffossa, repentè corruit.[7] Juvit hàc inrumpere. Alter tamen adsurgebat murus, quem Joannes, prioris casu diffisus, struxerat.[8] Sabinus,[9] periculo laudisque cupidine accensus, lectis undecim sociis, tela inter et saxa, desuper vibrata, murum superat; Judæosque audaciâ ita attonuit, ut in fugam verterentur. At fortè pedem saxo inlisus, magno cum armorum sonitu procidit. Conversi Judæi in eum inruunt. Sabinus, in genu erectus, tectusque clypeo, eorum impetum fortiter sustinet, et proximum quemque vulneribus adfligit, donec ipse, telis undique petitus, occubuit: tres, qui eum secuti in murum evaserant, trucidati: reliqui saucii, in castra

[1] *In templi spoliationes.* Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 6. Inter donaria, quæ Joannes tunc rapuit, memorat Josephus urceolos ab Augusto ejusque uxore Liviâ olim templo datos.

[2] *In gentilium cædes.* Tum Matthiam, Ananiam pontificem, aliosque plurimos interfecit Simon; ut videre est apud Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 1.

[3] *Periissent.* Hâc in re multus Josephus, Bell. Jud. v. 13. n. 5. 6 et aliàs sæpe.

[4] *Judas nomine.* Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 2.

[5] *Projecit.* Josephus, ibid.

[6] *Memoravimus.* Cùm Joannes terram sub aggeribus Romanis effodit, ut dictum est supra c. 30.

[7] *Corruit.* Josephus, Bell. Jud. VI. 1. n. 3.

[8] *Struxerat.* Josephus, Bell. Jud. VI. 1. n. 4.

[9] *Sabinus.* Natione Syrus, γένος ἀπὸ Συρίας. Joseph. Bell. Jud. VI. 1. n. 6.

ægrè retracti.[1] Virtutis exemplum Romanos inflammat; turrisque Antonia sexto oppugnationis die capta:[2] jussit Cæsar "eam[3] funditùs everti; tentarique[4] adhuc Judæorum animos, utrùm deditionem vellent facere:" ipse pollicitus, "inlæsum inviolatumque fore templum: servatâ etiam loci sanctitate, quem Romanis adire nefas."[5]

33. DURATIS ad mala animis, nihil sani supererat consilii. Itaque structi aggeres,[6] et templo propinqua-

[1] *Ægrè retracti.* Joseph. ibid. *Id autem contigit die tertiâ mensis Panemi*, id est, die 30. Junii. Ταῦτα μὲν οὖν τρίτῃ Πανήμου μηνὸς ἐπράχθη. Joseph. ibid.

[2] *Sexto oppugnationis die capta.* Ad expugnandam turrim Antoniam structi sunt aggeres per dies unum et viginti, μιᾷ καὶ εἴκοσι ἡμέραις, id est, à die 6. ad diem 27. Junii. Turris oppugnatio cœpta, primo die mensis Panemi, seu 28. Junii, τετράδι Πανήμου μηνὸς ἡ ἐπιχείρησις ἦν. Biduo post infelicem Sabini casum, μετὰ δὲ ἡμέρας δύο, id est, die 2. Julii, viginti milites, qui per aggeres excubias agebant, accito quintæ legiones signifero, duobus ex alâ equitum, et uno tubicine, horâ noctis nonâ murum superavere: obtruncatisque, qui primùm occurrerunt, somnolentis Judæis custodibus, buccinâ concinunt: reliqui custodes Judæi diffugiunt territi. Titus, audito signo, armari properè exercitum jubet: statim ipse cum ducibus lectâque manu adstat. Fermè occupatum templum. At illud à Romanis violari perhorrescentes Judæi, resumunt animos. Acerrimè certatum à nonâ noctis horâ ad horam diei septimam, quâ cùm templum expugnari non posset, occupata tantùm turris Antonia die 3. Julii. Joseph. Bell. Jud. VI. 1. n. 1. 3 et 7.

[3] *Eam.* Septem diebus eversa est turris Antonia. Sic æquus latusque ad templum ascensus munitus est. Τῶν Ῥωμαίων δύναμις ἡμέρας ἑπτὰ καταστρωμνύσα τοῦς τῆς Ἀντωνίας θεμελίους μέχρι τοῦ ἱεροῦ πλατῦσι ἄτοδον συνεστήσατο. Joseph. Bell. Jud. VI. 2. n. 7. Vide eumdem Josephum, ibid. n. 1. Septem dies, quibus Antonia turris eversa, numerandi sunt à die 4. ad 10. Julii diem.

[4] *Tentarique.* Missusque adhuc Josephus, qui Judæos alloqueretur. Joseph. ibid. n. 1.

[5] *Romanis adire nefas.* Joseph. ibid. n. 4.

[6] *Structi aggeres.* Quatuor structi aggeres: unus contra interioris templi angulum, qui ad Septemtrionem Orientemque spectabat: alter ad exedram Septemtrionalem, quæ inter duas portas erat: tertius contra porticum Occidentalem exterioris templi: quartus contra Septemtrionalem porticum. In his autem struendis plurimus fuit labor, quòd materiæ à centesimo usque stadio essent comportandæ. Τὴν ὕλην ἀφ' ἑκατὸν σταδίων συγκομίζοντες. Joseph. ibid. n. 7. Adeò vicina Hierosolymis loca fuerant vastata. Cùm ad turrim Antoniam struerentur aggeres, de quibus dictum est supra cap. 30. not. inf. jam asportatæ fuerant materiæ à nonagesimo

tum.[1] Titus, subitâ inruptione illud occupari posse ratus, mittit S. Cerealem, qui cum lectissimâ militum manu[2] illud noctu invadat. Ii horâ noctis nonâ[3] subiere. Judæi, non dediti, ut sperabatur, somno, statim adstiterunt: acriter pugnatum, minore tamen Romanorum, quàm Judæorum clade. Romanus enim miles, belli gnarus, sese signo[4] noscitabat, et inter se stipatus, consertisque scutis, haud ita vulneribus patebat. Contra Judæi, temeritate acti, suorumque ob tenebras ignari, plus sibi, quàm hostibus, exitii inferebant: valebant tamen numero; nec pugnæ finem nox adtulit. Ortâ luce, cum discrimine crevit ardor: certamen ante quintam diei horam[5] haud diremtum; et, ancipiti victoriâ, utrimque discessum. Tum Titus struendis aggeribus acriùs institit,[6] ut templi oppugnationem celeraret. Primùm fuit Judæis resistendi impetus; et juxta montem Olivarum[7] erupere: sed vi Romanâ pulsi fractique.[8] Aucta tantùm inrito conatu ira.

stadio, ad id spatium attonsâ undique circa Hierosolyma regione. Κείραντες, ὡς προείρηται, τὴν περὶ τὸ ἄστυ χώραν ἐπ' ἐνενήκοντα σταδίους ἐν κύκλῳ πᾶσαν. Josephus, Bell. Jud. VI. 1. n. 1.

[1] *Propinquatum.* Multaque tentavit Titus, ut Joannem ad deditionem adduceret. Sed is erat in dies obstinatior. Multa tamen fuere Judæorum transfugia. Joseph. Bell. Jud. VI. 2. n. 1. 2 et 3.

[2] *Lectissimâ militum manu.* Lecti è singulis centuriis triceni milites strenuissimi, et attributi per millenos tribuni. Joseph. Bell. Jud. VI. 2. n. 5.

[3] *Horâ noctis nonâ.* Hæc hora non modò insidiis opportuna, sed ad pugnam quoque expedita in his cœli terræque ardoribus. Subiere autem Romani, ut ex narratarum rerum serie videtur, die 15. Julii.

[4] *Signo.* Signum, *the watchword,* ut sæpe dictum est.

[5] *Quintam diei horam.* Joseph. Bell. Jud. VI. 2. n. 6. Τὸ δὲ πέρας ἀρξάμενοι τῆς νυκτὸς ἐννάτης ὥρας, ὑπὲρ πέμπτην τῆς ἡμέρας διελύθησαν.

[6] *Acriùs institit.* Joseph. Bell. Jud. VI. 2. n. 8.

[7] *Montem Olivarum.* Erupere Judæi alterâ die, postquàm ascenderant Romani, μέτα δὲ μίαν ἡμέραν αὐτῶν τῆς ἀνόδου, circa undecimam diei horam, περὶ ὥραν ἑνδεκάτην τῆς ἡμέρας. Joseph. loc. cit. Ergò illa eruptio facta die 17. Julii, cùm Sol ad occasum proximè vergeret. Mons autem Olivarum est ad Orientem urbis Jerusalem, altissimus, et unde non in urbem tantùm, sed in omnes circùm campos latè patet prospectus. Haud procul à monte Olivarum, ex quo Jesus Christus in cœlos ascendit, est hortus Gethsemani, ubi à Judâ fuit proditus et captus. Matth. XXVI. 36. Joan. XVIII. 2.

[8] *Pulsi fractique.* Narrat Josephus, loc. cit. pulsis tunc Judæis,

34. ACERBIOR tamen in dies urbis status: ingravescebat fames:[1] auditumque enectos pueros;[2] matrem[3] (fœdum dictu et hactenùs inauditum)[4] filio suo pastam, inutili scelere: nam mortem nefariè dilatam urgebat tetra lues,[5] famis comes. Ipsâ peste gravior adhuc necessitas, cùm plurimi, aut fame pressi, aut ejus metu, domos penetrant; et, dum si quid edule occultatum rimantur, cuncta latrociniis et cædibus miscent.[6] Populus, his malis victus, vias pacis tandem inîsset, ni duces,[7] scelerum conscientiâ feroces,

Pedanium ex alâ equitum, currente equo, ita tamen se inclinâsse, ut Judæum fugientem, juvenem quidem, sed corpore validum, et armis undique septum, talo comprehenderit, captivumque ad Titum tulerit. Quod puerile et historiâ indignum. Sed, ut aliàs jam monui, multa sunt in Josepho, quæ laudaveris, multa quoque quæ arguas. Exemplum adduxisse sit satis.

[1] *Ingravescebat fames.* Quæ tanta erat, ut esurientes Judæi cloacas rimarentur, boûm stercora aliaque horrenda in cibos verterent. Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 7. Antequàm Titus urbem muro circumvallaret, modius frumenti jam venierat talento, *Angl.* 375*l.* Josephus, ibid. Alia plura de hâc fame si volueris, vide Josephum, Bell. Jud. v. 10 et 12. vi. 3. n. 3.

[2] *Enectos pueros.* Joseph. Bell. v. 10. n. 3.

[3] *Matrem.* Mariam nomine, fœminam origine nobilem. Josephus, Bell. Jud. vi. 3. n. 4. Quod ubi vulgatum, tantus fuit in omnibus horroris sensus, ut et Titus urbis, in nefanda scelerum monstra ferocientis, excidium sanxerit; et ipsi Judæi, fame pressi, ad mortem properarent, beatosque prædicarent, qui antè occubuerant, quàm talia aut visu, aut auditu, acciperent. Joseph. ibid. Sic adimplebatur quod prædixerat Jesus Christus, cùm conversus ad filias Jerusalem dicebat: Μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμὲ, πλὴν ἐφ' ἑαυτὰς κλαίετε, καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ὑμῶν. Ὅτι ἰδοῦ, ἔρχονται ἡμέραι ἐν αἷς ἐροῦσι· Μακάριαι αἱ στεῖραι, καὶ κοιλίαι αἳ οὐκ ἐγέννησαν, καὶ μαστοὶ οἳ οὐκ ἐθήλασαν. Τότε ἄρξονται λέγειν τοῖς ὄρεσι, πέσετε ἐφ' ἡμᾶς· καὶ τοῖς βουνοῖς, καλύψατε ἡμᾶς. Luc. xxiii. 28 et seq.

[4] *Inauditum.* Joseph. loc. cit. Posteà aliquandò in recentibus nostris Historiis id auditum, sed semper horrendum.

[5] *Tetra lues.* Adeò pestifera, ut à quartodecimo die mensis Xanthici, seu 13. Aprilis, ad primum diem mensis Panemi, seu 28. Junii, per unam tantùm portam elati fuissent mortui 115,880. μυριάδας ἕνδεκα νεκρῶν ἐπὶ πεντακισχιλίοις ὀκτακοσίοις ὀγδοήκοντα. Sic enim à Mannæo, transfugâ, cui hujus portæ custodia fuerat credita, accepit Titus. Universis portis elatos fuisse mortuos 600,000. μυριάδας ἑξήκοντα, præter alios innumeros, qui non elati sunt, proditum est. Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 7.

[6] *Latrociniis et cædibus miscent.* Josephus, Bell. Jud. v. 12. n. 3. vi. 3. n. 3.

[7] *Ni duces.* Joseph. Bell. Jud. vi. 2.

fanaticaque vatum turba,[1] "quanto instantius discrimen, "tanto propiorem manifestioremque Dei opem" jactitantium, salubria avertissent consilia. At mentes, timorem inter spemque ancipites, turbabant dira præsagia, supra jam memorata,[2] et atroces excidii minæ. Nempe è plebe quidam, Jesus nomine, quadriennio ante inchoatum bellum[3] acerba in populum, urbem, templumque diu ac noctu fuerat vociferatus:[4] nec minis, nec verberibus à ferali carmine destiterat.[5] Cœpto urbis obsidio, quasi factâ præsagiis fide, mœstus et in atra cogitationum conditus mœnibus obambulabat, clamitans: "væ, væ iterum urbi, templo, populo!" Hæc tum ingeminans: "væ, væ mihi!" exclamavit, corruitque exanimis, lapide balistâ excusso percussus.[6] Recens adhuc portentum, et in tristius interpretatum, cessavit juge sacrificium.[7]

[1] *Vatum turba.* Joseph. Bell. VI. 5. n. 2.

[2] *Memorata.* Hist. V. 3.

[3] *Quadriennio ante bellum.* Quadriennio ante bellum, Hierosolyma venerat ad diem festum Scenopegiæ, seu tabernaculorum: tum clamare cœpit, et perstitit sine raucitate, integrisque viribus, per annos septem et quinque menses, ἐφ' ἑπτὰ ἔτη, καὶ μῆνας πέντε. Joseph. Bell. Jud. VI. 5. n. 2.

[4] *Vociferatus. Diu noctuque omnes urbis vicos circuibat, clamitans: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hierosolyma, et in templum, vox in sponsos et in sponsas, vox in universum populum.* Φωνὴ ἀπ' ἀνατολῆς, φωνὴ ἀπὸ δύσεως, φωνὴ ἀπὸ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, φωνὴ ἐπὶ Ἱεροσόλυμα, καὶ τὸν ναὸν, φωνὴ ἐπὶ νυμφίους καὶ νύμφας, φωνὴ ἐπὶ τὸν λαὸν πάντα. Τοῦτο, μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ, καὶ πάντας τοὺς στενωποὺς περιῄει κεκραγώς. Josephus, loc. cit. Eadem Hebraicè habet Joseph Gorionides, VI. 53.

[5] *Destiterat.* Inde cùm à Judæis frustra verberibus fuisset affectus, Albino, tum Judææ procuratori, traditus est; apud quem ad ossium usque nudationem laniatus, nec preces, nec lacrymas effudit, ad singula tantùm verbera lugubriter clamabat, Væ, væ Hierosolymis, Αἲ αἲ Ἱεροσολύμοις. Ab Albino interrogatus cur hæc diceret, nihil omnino respondebat. Albinus eum, ut amentem, dimisit. Is ergò in hâc suâ vociferatione perstitit, nihil mali imprecatus, cùm in singulos dies vapularet; neque cibos impartientibus benedicebat: sed unum illi ad omnes responsum, *Dirum omen,* σκυθρωπὴ κληδών. Joseph. ibid.

[6] *Percussus.* Joseph. ibid.

[7] *Cessavit juge sacrificium.* Cessavit die septimadecimâ mensis Panemi, seu 14. Julii; Πανέμου δ' ἦν ἑπτακαιδεκότη. Josephus, Bell. Jud. VI. 2. n. 1. Eâdem quoque die cessaverat in primo templo. Quod adhuc acerbo jejunio singu-

35. TALIBUS efferati Judæi per suas strages vagantur, ferro, flammâ, tectorum, murorum, aggerum subversionibus Romanos obrui, aut à templo averti posse opinati. Has inter ruinas, flammantibusque porticibus,[1] patuit magnifica

lis annis die septimadecimâ mensis Tamuz Judæi recolunt. Immo inter ipsos pii plurimi à die illâ septimadecimâ Tamuz ad diem nonam mensis Ab, quâ ob primi secundique templi excidia jejunium est, carnibus vinoque abstinent. Omnes enim illi dies genti fuere luctuosissimi. Errat autem Joseph Gorionides, VI. 48. cùm hæc retrahit ad diem festum Septimanarum, seu Pentecostes, id est, diem 3. mensis Junii. Ipsâ obsidionis descriptione satis refutatur. Quod autem spectat ad juge sacrificium, Judæis עלת תמיד dictum, ejus leges ritusque docet Moyses, Num. XXVIII. 3 et seq. *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum. Unum offeretis manè, et alterum ad vesperum, decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam partem hin. Holocaustum juge est, quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam, juxta omnem ritum sacrificii matutini, et libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino.* Cessâsse sacrificium *penuriâ virorum, ἀνδρῶν ἀπορίᾳ*, scribit Josephus, loc. cit. Sunt qui pro *ἀνδρῶν* emendent *ἀμνῶν* vel *ἀρνῶν*, id est, *agnorum:* sed minimè probabiliter, ut jam monuit eruditus Relandus. Titus enim Joanni, qui templum tenebat, Judæos obtulit, qui intermissa sacrificia celebrarent; ut videre est apud Josephum ibid. Potiùs crediderim cessâsse sacrificium, quòd in his sceleribus, cædibus, impuritatibus, quibus tum fœdabatur templum, nulli fuerint puri sanctique sacerdotes, qui illud offerrent.

[1] *Flammantibusque porticibus.* Judæi die secundo et vicesimo mensis Panemi, id est, 19. Julii, porticus templi, quæ à Septemtrione et Occasu turri Antoniæ erant conjunctæ, incenderunt. Biduo pòst, quarto et vicesimo prædicti mensis, *μετὰ δ' ἡμέρας δύο, τετάρτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ προειρημένου μηνὸς*, nempe 21. Julii, Romani vicinam porticum incendêre, lætantibus Judæis, ultroque ruinas augentibus, ut à templo Romani averterentur. Josephus, Bell. Jud. VI. 2. n. 9. Die autem septimo et vicesimo Panemi, *τοῦ προειρημένου μηνὸς ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι*, seu 24. Julii, cùm Romani porticum Occidentalem temerè subiissent, intrà cujus culmen et trabes Judæi arida ligna cum sulphure et bitumine supposuerant; iis subitò incensis, miserè perierunt Romani. Porticus autem exusta est usque ad turrim Joannis, supra portas, quæ ultra Xystum ducebant, exstructam: reliquum verò porticûs Judæi absciderunt. Sequenti die *τῇ δ' ὑστεραίᾳ*, sive 25. Julii, Romani incenderunt porticum Septemtrionalem usque ad porticûs Orientalis angulum, qui valli Cedron imminebat. Joseph. Bell. Jud. VI. 3. n. 1 et 2.

templi facies. Quasi religione attonitus,[1] stetit Romanus exercitus. Opus fuit ut Titus juberet[2] "ulteriùs audere; "et per violata jam Judæis sacra pœnas de gente homini-"bus Deisque invisâ ejus excidio repeti." Structi aggeres,[3] admotæ validissimæ machinæ; inrito tamen labore,[4] ob immensas lapidum moles. Appositæ ergò templi porticibus[5] scalæ. Nec subeuntibus obstitere Judæi: at, ubi primùm in manus venerunt, obvios præcipitare, proximos obruere, scalas excutere, deturbare plurimos, in porticus jam egressos fodere. Acriter certavere signiferi, sed multitudine oppressi, contrucidati sunt, captaque signa Romana.[6]

36. Titus, suâ in templum indulgentiâ, periclitari virtutem Romanam, Judæorum audaciam crescere expertus, jussit "ejus portas succendi."[7] Congestis accensisque materiis, flammæ, inter argentum, quo portæ obducebantur,[8] eluctatæ, ligna corripuere. Dissilientibus foribus, flammisque erumpentibus, obstupuere Judæi: iis ne satis quidem animi ad arcenda incendia, quæ die nocteque[9] grassata

[1] *Religione attonitus.* Dio, LXVI. p. 747. Διὰ τὸ δεισιδαιμονῆσαι. *Ob religionis pavorem.*

[2] *Ut Titus juberet.* Dio, loc. cit. Τοῦ Τίτου σφᾶς καταναγκάσαντος, εἴδω προεχώρησαν. *A Tito adacti ad interiora progressi sunt.*

[3] *Structi aggeres.* A duabus legionibus absoluti sunt hi aggeres die octavâ mensis Loi, Λώου μηνὸς ὀγδόῃ, id est, 3. Augusti. Structi autem erant ad exedram Occidentalem templi interioris. Joseph. Bell. Jud. VI. 4. n. 1.

[4] *Inrito tamen labore.* Sex quoque diebus, antequàm aggeres absolverentur, quatiebatur murus, simul fundamenta Septemtrionalis portæ suffodiebantur; at irritus semper labor recidit, ob eam lapidum immensitatem, de quâ dictum est supra Hist. v. 12. not. inf.

[5] *Templi porticibus.* Porticibus templi interioris. Joseph. ibid. Duplex enim templum: aliud exterius, ubi atrium gentium: aliud interius, ubi atrium Judæorum, ubi ara, ubi Sanctum, et Sanctum Sanctorum.

[6] *Signa Romana.* Joseph. ibid.

[7] *Succendi.* Joseph. ibid. Τὰς πύλας προσέταξεν ὑφάπτειν.

[8] *Portæ obducebantur.* Joseph. ibid. n. 2. Eas quoque auri laminis fuisse tectas tradit idem Josephus. Bell. Jud. v. 5. n. 3. Sed hâc de re dicetur in not. et emend. ad Hist. v. 8. ubi multa de immensâ templi opulentiâ.

[9] *Die nocteque.* Joseph. Bell. VI. 4. n. 2. Ἐκείνην μὲν οὖν τὴν ἡμέραν καὶ τὴν ἐπιοῦσαν νυκτὰ τὸ πῦρ ἐπεκράτει. Dies illa fuit octava mensis Loi, seu 3. Augusti.

sunt. Interim Titus, accitis exercitûs sui ducibus,[1] de templo consultabat. In diversum distrahebantur[2] sententiæ. Alii censebant "jure belli utendum: Judæis fore "contumaciam, dum staret id monumentum: huc eos "undique terrarum convenire: solo ejus excidio paci satis "consuli." Aliis placebat, "illud quidem servari, si, "adeuntibus legionibus, arma deponerent Judæi: sin "bellarent, exscindi: jam enim non sedem numinis, sed "belli arcem esse: nec penes Romanos, sed penes Judæos "ad ejus eversionem duratos, fore piaculum." Titus contra adseveravit, "etiamsi resisterent Judæi, se numquam "commissurum, ut in eorum pervicaciæ pœnam adversùs "templum sæviret: tantæ magnificentiæ opus dirui non "posse sine populi Romani injuriâ: grande verò, si staret, "fore imperii et victoriæ ornamentum." Tito adsensere Fronto, Alexander et Cerealis; datoque legionibus, ut interquiescerent, spatio, delectæ cohortes, quæ templi incendia restinguerent,[3] viamque sternerent, quâ facilis legionibus foret aditus.

37. Dum templo ita invigilabat clementia Romana, in ejus ruinam præcipites Judæos agit furor.[4] Magno enim impetu per Orientalem portam[5] egressi, in Romanos, qui in templo exteriore excubias agebant, inrumpunt. Impetum fortiter sustinuere Romani,[6] densis ordinibus, et

[1] *Exercitûs sui ducibus.* Acciti duces fuere Tiberius Alexander, totius militiæ præfectus, Sextus Cerealis quintæ legionis legatus, Larcius Lepidus decimæ, Titus Frugi quintædecimæ, Aiternius Fronto duarum Alexandrinarum legionum præfectus, et Marcus Antonius Julianus procurator Judææ: tribuni quoque et alii acciti. Joseph. loc. cit. n. 3. Id autem actum die nonâ mensis Loi, seu 4. Augusti.

[2] *Distrahebantur.* Hæc omnia Josephus, loc. cit.

[3] *Incendia restinguerent.* Joseph. ibid.

[4] *Agit furor.* Hæc gesta die decimâ mensis Loi, seu 5. Augusti; ut patet ex Josepho, ibid. n. 4.

[5] *Per Orientalem portam.* Porta hæc ceteras magnificentiâ superabat, ut videre est apud Joseph. Bell. Jud. v. 5. n. 3.

[6] *Sustinuere Romani.* Josephus, Bell. Jud. vi. 4. n. 4.

consertis ante ora clypeis, immobiles et impenetrabiles. Numero tamen impares cessissent, ni Titus, è turri Antoniâ[1] pugnam prospectans, citus opem cum lectis equitibus tulisset. Judæi, adversùs Cæsaris vim invalidi, et in fugam acti, subitariis velitationibus frustra inlusere: semper victi, in templum profugiunt.

38. Tum Titus, in Antoniam turrim reversus, postero die totâ suorum vi inruere, templumque circumsidere destinabat. Sed acrior Dei ira Judæos urgebat. Ipsi, suas ad pœnas promti, Romanos restinguendis exterioris templi incendiis operatos invadunt. Talem pervicaciam indignatus miles Romanus, tumultuariam Judæorum manum ita perculit, ut fugâ conversos in templum usque insequeretur. Tum ex iis unus, injussus, sed divino quodam impetu[2] actus, torre correpto, alteroque sublevante milite, incensas materias per fenestram auream, unde ad cellas circa templum[3] positas versùs Septemtrionem erat aditus, injicit. Ut flamma erupit, auditus Judæorum, plus quàm pereuntium, clamor. Re Tito, quietem captanti, properè nuntiatâ, è tentorio statim prosilit:[4] adcurrit ut incendia comprimat: comitantur duces: è castris omnibus concurrit exercitus. Omnia inconditis clamoribus personant. Tito voce manuque[5] "incendium restingui" significante, nemo auribùs oculisve competere. Victoribus et victis idem impetus. Illi ardent veteres in invisam gentem iras explere: accensi

[1] *E turri Antoniâ.* Ergò non tota funditùs eversa; sed, ut videtur, pars aliqua servata. De ejus magnitudine dictum est supra Hist. v. 11. not. inf.

[2] *Divino quodam impetu.* Joseph. loc. cit. n. 5. Δαιμονίῳ ὁρμῇ τινι χρώμενος.

[3] *Circa Templum.* Templum illud erat in secundo templo inclusum, et appellabatur Sanctum: ibi Sanctum Sanctorum. De hoc templo Joseph. Bell. Jud. v. 5. n. 4. Αὐτὸς δ' ὁ ναὸς, κατὰ μέσον παλμους, τὸ ἅγιον ἱερόν. Inferiori parti hujus templi appositæ erant cellæ. Joseph. ibid. n. 5.

[4] *Statim prosilit.* Joseph. Bell. Jud. vi. 4. n. 6.

[5] *Voce manuque.* Joseph. ibid.

insuper plurimâ auri imagine,[1] quâ templum splendescit; majoremque opum vim intus latere rati. Hi non jam pro vitâ, pro fortunis, sed pro templo, pro Deo, mortem superbè provocant: quanto propiùs ad extrema ventum, tanto in divinæ opis spem erectiores.[2] Judaicis ergò funeribus Romana miscentur funera: templi atrium[3] exundat sanguine: circùm altare,[4] in templi gradibus[5] cædes innumeræ.[6]

39. Has inter strages, incendia spargunt Romani.[7] Nondum tamen flagrabat templum; Titus, illud videndi cupidus, pugnantium manus ægrè eluctatur: has cum belli ducibus egressus, intrat, adit penetrale,[8] cuncta lustrat,[9] famâque majora miratur: templum servari adhuc posse,

[1] *Auri imagine.* Vel enim ipsa exterior templi facies gravissimis auri laminis ita erat obtecta, ut animus et oculi æquè fulgore perstringerentur. Τὸ δ' ἔξωθεν αὐτοῦ. πρόσωπον, οὐδὲν οὔτε τῆς ψυχῆς, οὔτε τῶν ὀμμάτων ἔκπληξιν ἀπέλιπε· πλαξὶ γὰρ χρυσοῦ στιβαραῖς κεκαλυμμένος πάντοθεν. Joseph. Bell. Jud. v. 5. n. 6.

[2] *Erectiores.* In hanc spem elati, et quasi miraculo certi, aut gloriosâ morte oppetendâ superbi, imam templi partem, seu Judæorum atrium, tenebat populus, templi gradus senatores, in ipso templo erant Sacerdotes. Ὁ μὲν δῆμος κάτω ἐν τῷ προνάῳ, οἱ δὲ βουλευταὶ ἐν τοῖς ἀναβασμοῖς, οἵ θ' ἱερεῖς ἐν αὐτῷ τῷ μεγάρῳ τεταγμένοι. Dio, LXVI. p. 748.

[3] *Templi atrium.* In quo stabat populus Judæus, cùm in templum conveniebat, Deum adoraturus.

[4] *Circùm altare.* Inter templi atrium et templum, seu Sanctum, de quo jam diximus supra, erat altare altum cubitos quindecim, totidem longum, latum cubitos quinquaginta. Joseph. Bell. Jud. v. 5. n. 6.

[5] *In templi gradibus.* Duodecim gradibus ad templum, seu Sanctum, ascendebatur. Joseph. ibid. n. 4.

[6] *Cædes innumeræ.* Joseph. Bell. Jud. VI. 4. n. 6.

[7] *Spargunt Romani.* Et quisque præcedentem militem hortabatur, ut ignem templo injiceret. Joseph. ibid.

[8] *Adit penetrale.* Joseph. Bell. Jud. VI. 4. n. 7. Περιελθὼν μετὰ τῶν ἡγεμόνων ἔνδον ἐθεάσατο τοῦ ναοῦ τὸ ἅγιον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, πολὺ μὲν τῆς παρὰ τοῖς ἀλλοφύλοις φήμης ἀμείνω, τοῦ δὲ κόμπου καὶ τοῖς παρὰ τοῖς οἰκείοις δόξης οὐκ ἐλάττω. Ea enim, ut famâ, quæ apud exteros percrebuerat, majora, ita domesticâ laude et opinione non minora.

[9] *Cuncta lustrat.* Ante penetrale tria erant opera omnium sermonibus laudibusque celebratissima, candelabrum, mensa, et thuribulum. De vite aureâ alias

irâ mutuis cædibus exhaustâ, confisus. At militum unus, eum secutus, portæ cardinibus ignes clam supposuerat.[1] Ubi fores[2] templumque corripuere flammæ, stupent Judæi: deinde duces, turbarumque auctores, resumtis animis, quà in superiorem urbem exitus, aufugiunt: ceteri, à consternatione in furorem versi, certique, pereunte templo, perire, ultro suas in neces ruunt: alii in Romanorum gladios, præcipites incumbere:[3] alii, ne profano ferro caderent, se ipsi contrucidare: plurimi sanctioribus (tanta genti superstitio) templi flammis se devovere, hâc morte magis, quàm egregio facinore, ovantes. In hoc morientium furore, una Tito cura ne in fœdos inhumanosque cineres, ipso invito, abeat victoria. Labor est cogere victos vivere, suisque rebus parcere. At incassum. Undique gliscunt incendia: templum exsuperant flammæ: mons[4] totus latè collucet ignibus.[5] Horrens mœrensque Titus discedit. Manet ad cædes duratus, thesauris inhians, miles: duplicatisque Romanorum clamoribus, Judæorum ululatibus, haustum incendio considit templum. Hæc clades, genti suprema, contigit eo ipso die,[6] quo priùs templum, majoris adhuc

que templi opibus dicetur in not. et emend. ad Hist. v. 5 et 8.

[1] *Supposuerat.* Joseph. ibid.

[2] *Ubi fores.* Fores illæ aureæ erant in ipso templo ante Sanctum Sanctorum: nam prima pars templi patebat, teste Josepho, Bell. Jud. v. 5. n. 4.

[3] *Incumbere.* Nec aliter Dio, LXVI. p. 748. Οἱ μὲν ξίφεσι σφᾶς τοῖς τῶν Ῥωμαίων περιέπειρον, οἱ δ' ἀλλήλους ἐφόνευον, ἄλλοι ἑαυτοὺς κατεχρῶντο, οἱ δὲ ἐς τὸ πῦρ ἐσεπήδων· καὶ ἐδόκει πᾶσι μὲν, μάλιστα δὲ ἐκείνοις οὐχ' ὅτι ὄλεθρος, ἀλλὰ καὶ νίκη, καὶ σωτηρία, εὐδαιμονία τε εἶναι, ὅτι τῷ ναῷ συναπόλλοιντο. *Tunc enim ultro gladiis Romanorum alii se transfigendos offerebant, alii se mutuò trucidabant, alii manus ipsi sibi adferebant, alii denique in ignem insiliebant. Et cùm aliis omnibus, tum his inprimis non interitus esse videbatur, sed victoria, sed salus, sed felicitas quædam; quòd unà cum ipso templo perirent.*

[4] *Mons.* Mons Moria, in quo ædificatum templum.

[5] *Collucet ignibus.* Joseph. Bell. Jud. VI. 5. n. 1.

[6] *Eo ipso die.* Id est, die 5. Augusti. Josepho autem Bell. Jud. VI. 4. n. 5. ἡμέρᾳ δεκάτῃ Λώου μηνός. Pessimè vertit interpres Latinus *dies erat decimus quintus Loi mensis.* Lous autem mensis, idem est ac quintus mensis, Ju-

famæ et opulentiæ, à Babyloniis quondam incensum ferebant.[1] Inter ardentes templi ruinas posita signa;[2] peractisque sacris, Titus *imperator* consalutatus est. Tanta autem à milite auri vis rapta, ut dimidiâ pretii parte[3] vilius in Syriâ haberetur.

40. Nondum tamen Judaici belli fœditatibus finis. Victore in gentis reliquiarum salutem intento, ignava sacerdotum turba vitam precari ausa est.[4] Titum puduit hos templo

dæis dictus Ab, cujus dies decimus hoc anno incidebat in diem 5. Augusti.

[1] *Incensum ferebant.* Ac meritò quidem. Sic enim Jeremias, LII. 12. *In mense autem quinto, decimâ mensis, ipse est annus nonusdecimus Nabuchodonosor regis Babylonis: venit Nebuzardan princeps militiæ, qui stabat coram rege Babylonis, in Jerusalem. Et incendit domum Domini.* Utriusque excidii memoriam annuo jejunio recolunt Judæi die nonâ mensis Ab.

[2] *Posita signa.* Joseph. Bell. Jud. VI. 6. n. 1. Ῥωμαῖοι δὲ—καιουμένου δὲ αὐτοῦ τι τοῦ ναοῦ, καὶ τῶν πέριξ ἁπάντων, κομίσαντες τὰς σημαίας εἰς τὸ ἱερὸν, καὶ θέμενοι τῆς ἀνατολικῆς πύλης ἀντικρὺς ἔθυσάν τι αὐταῖς αὐτόθι, καὶ τὸν Τῖτον μετὰ μεγίστων εὐφημιῶν ἀπέφηναν αὐτοκράτορα. *Romani, cùm templum et ea, quæ circùm erant, arderent omnia, signis in templum illatis, positisque contra portam Orientalem, et illis ibi sacrificârunt, et Titum cum maximis acclamationibus imperatorem appellârunt.* Paulò pòst cusus nummus ex ære mediocri, quem laudat Harduinus, *Selecta Opera*, p. 731. ΑΥΤΟΚΡ. ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Titus capite laureato. Ex adversâ parte, ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ. Id est, *Judæâ captâ.* Victoria scribit in clypeo palmæ arbori applicato.

[3] *Dimidiâ pretii parte.* Joseph. loc. cit. Ταῖς δὲ ἁρπαγαῖς οὕτως ἐνεπλήσθησαν οἱ στρατιῶται πάντες, ὥς τε κατὰ τὴν Συρίαν πρὸς ἥμισυ τῆς πάλαι τιμῆς τὸν σταθμὸν τοῦ χρυσίου πιπράσκεσθαι. Porrò apud Antiquos auri ad argentum proportio fuit ut 12. ad 1. nunc, cùm auri pretium dimidiâ parte esset imminutum, eadem proportio fuit ut 6. ad 1. Ob eam auri abundantiam in urbe Hierosolymis, duodecim Atticis, etiam dum vigebat obsidium, vendebatur, quod anteà quinque et viginti valebat. Πολὺ πλῆθος ἦν ἐν τῇ πόλει χρυσοῦ· δώδεκα γοῦν Ἀττικῶν ὠνοῦντο τὰ πρότερον ἰσχύοντα πέντε καὶ εἴκοσιν. Joseph. Bell. Jud. V. 13. n. 4.

[4] *Precari ausa est.* Quintâ die post templi excidium, πέμπτῃ δ' ἡμέρᾳ, id est, 10. Augusti, sacerdotes, qui templi murum conscenderant, effugium quæritantes, fame confecti descendêre, et ad Titum perducti vitam orabant. Respondit Cæsar decere sacerdotes cum templo interire; eosque ad supplicium duci jussit. Πρέπειν δὲ τοῖς ἱερεῦσι τῷ ναῷ συναπολέσθαι· κελεύει κολάσαι τοὺς ἄνδρας. Joseph. Bell. Jud. VI. 6. n. 1.

superstites vivere, turpique morte damnati sunt. Vitæ usura, ceteris omnibus oblata, et à ducibus Joanne ac Simone spreta,[1] victoris iras provocavit, ac tandem urbi excidium adtulit. Succensa primùm[2] capta jam monumenta: domus quoque, fame enectorum cadaveribus squalidæ, ignibus traditæ. Meritas pervicaciâ pœnas effugêre Izatis regis[3] filii[4] fratresque, ac turba nobilium, qui simul Titi misericordiam òraverant. Tum structi aggeres[5] adversùs superiorem urbem, nomine Sion,[6] locis editioribus, et munitissimis turribus, defensam. Sed quasi fatale esset Hierosolyma intestinis potiùs discordiis, quàm hostium viribus, perire, ne ultimo quidem discrimine inita concordia, Idumæis[7] et Judæis inter se dissidentibus. Titus, insitâ clementiâ, et

[1] *Spreta.* Joseph. ibid. n. 2 et 3.

[2] *Succensa primùm.* Die 11. Augusti, Josepho, ibid. n. 3. τῇ ἑπτακαιδεκάτῃ, succenderunt Romani Archivum, Acram, Curiam, Ophlam, et ignis progressus est usque ad Helenæ regiam, quæ erat in mediâ Acrâ. De colle Acrâ, ubi erat urbs inferior, dictum est supra Hist. v. 11. not. inf. Postridie, τῇ δ' ἑξῆς, seu die 12. Augusti, reliqua urbis inferioris incensa sunt usque ad Siloam ad Orientem urbis. Joseph. Bell. Jud. VI. 7. n. 2.

[3] *Izatis regis.* De Izate, Adiabenorum rege, actum est supra Annal. XII. 13. not. inf. Izates ejusque mater Helena Judaicam religionem erant amplexi. Inde filii fratresque Izatis in urbem Hierosolyma concesserant. Vide Josephum, Antiq. Jud. XX. 2 et seq.

[4] *Filii.* Izates moriens, teste Josepho, Antiq. Jud. XX. 4. n. 3. reliquerat filios quatuor et viginti, filiasque totidem. Titus Izatis filios et propinquos primùm in custodiâ habuit, posteà vinctos Romam perduxit, ut obsidum fidem præstarent. Joseph. Bell. Jud. IV. 6. n. 4.

[5] *Structi aggeres.* Die vicesimo mensis Loi, Λώου μηνὸς εἰκάδι, seu 15. Augusti, aggeres illos strui jussit Titus. Ita verò divisa sunt opera, ut in parte Occidentali urbis ex adverso aulæ regiæ quatuor legiones, auxiliares verò et cetera multitudo versùs Xystum, pontem, turrimque Simonis, operarentur: rarissimâ semper materiâ, quæ ob tot aggeres antè structos à centesimo stadio erat asportanda. Joseph. Bell. Jud. VI. 8. n. 1.

[6] *Nomine Sion.* A colle Sion ita dictam, et à Davide inferiori urbi olim additam. Nunc pars ejus maxima est extra recentem urbem *Jerusalem*, et in campis squallet.

[7] *Idumæis.* Idumæi, à Zelotis acciti, et in urbem Hierosolyma recepti, pars magna fuere belli Judaici. At cùm deditionem pararent, et Titus annueret, id rescivit Simon: unde exorta est maxima inter Idumæos et Judæos discordia. Joseph. Bell. Jud. IV. 4 et seq. VI. 8. n. 2.

motâ ducum arte, discordiam auget, Idumæis in deditionis spem receptis.

41. Cum ita ferverent Judæorum odia, redintegratum obsidium.[1] Amentes obsessorum duces, unicum, sed inexpugnabile, præsidium,[2] turres indefensas deserunt; parsque urbis validissima, ne fuso quidem Romano sanguine,[3] capta.[4] Tantum urbis dedecus veteraque scelera universo occidio[5] expiata: domus, mutuis civium furoribus antè fœdatæ, novis cruentantur cædibus: dein sparsa incendia; et abominanda tecta abolevere flammæ, noctis obscuro prævalidæ.[6] Sic ardentibus Hierosolymis, inluxit dies ultimus, quarto Nonas Septembris.[7] Hæc fata fuere urbis,

[1] *Redintegratum obsidium.* Aggeribus intrà octodecim dies confectis, septimo die mensis Gorpiæi, ἕβδόμῃ Γορπιαίου μηνὸς, seu 1. Septembris, admotæ machinæ, et redintegratum obsidium. Joseph. Bell. Jud. VI. 8. n. 4.

[2] *Sed inexpugnabile, præsidium.* In his enim turribus nullâ vi, solâ fame expugnari poterant, teste Josepho, loc. cit.

[3] *Romano sanguine.* Joseph. ibid. n. 5.

[4] *Capta.* Romani, muris potiti, signa in turribus posuere; victoriam finemque belli cum plausu et lætitiâ celebravere. Joseph. ibid.

[5] *Universo occidio.* Tantus autem fuit cæsorum numerus, tanta fusi sanguinis copia, ut, teste Josepho, ibid. angustiæ vicorum cadaveribus obstruerentur, cædibus redundaret tota civitas, et plerasque incensorum extinguerentur cæsorum sanguine. Τὸν ἐντυχόντα διελαύνοντες ἀπέφραξαν μὲν τοὺς στενωποὺς νεκροῖς, ῥέμασι δ' ὅλην τὴν πόλιν κατέπλυναν, ὡς πολλὰ τῶν φλεγμαίνων σβεσθῆναι τῷ φόνῳ.

[6] *Prævalidæ.* Ab occidione Romani destitere ad vesperum, sed tum nocte ignis prævaluit. Οἱ μὲν στήσαντες ἐπαύσαντο πρὸς ἑσπέραν, ὁ δὲ τῇ νυκτὶ τὸ πῦρ ἐπικράτει. Joseph. ibid.

[7] *Quarto Nonas Septembris.* Joseph. ibid. Φλεγμαίνους δὲ ἐπιτιλᾶν Ἱεροσολύμους ἡμέρᾳ Γορπιαίου μηνὸς ἐνδέκῃ. Octavus dies mensis Gorpiæi, fuit 2. Septembris, seu, ut numerant Romani, quarto Nonas Septembris. Dies ille 2. Septembris incidit in diem Dominicum; Dominicalis enim litera hoc anno fuit G. Pridie autem, seu die sabbati, arietibus quati cœpit urbis Sion murus, parsque rupta, et nemine defendente occupata. Inde Dio, LXVI. p. 748. Οὕτω μὲν τὰ Ἱεροσόλυμα ἐν αὐτῇ τῇ τοῦ Κρόνου ἡμέρᾳ, ἣν μάλιστα ἔτι καὶ νῦν Ἰουδαῖοι σέβουσιν, ἑάλωσαν. *Sic Hierosolyma ipso die Saturni, quem diem præcipuè Judæi nunc etiam adhuc colunt, excisa fuere.* Et Frontinus, *Strategem.* II. 1. n. 17. *D. Augustus Vespasianus* (crediderim olim fuisse scriptum, *D. Augustus T. Vespasianus*) *Ju-*

uæ cùm per annos bis mille centum septuaginta septem [1] ummâ per Orientem claritate [2] stetisset, nunc bustum est.[3]

42. TITUS, urbis ruinas ingressus, et inexpugnabilem urrium vim admirans, " se quidem exercitûs ducem, Deum autem victoriæ auctorem fuisse " professus est.[4] Milites, cædis fessos, jussit " occidione abstinere, ni fortè qui adhuc resisterent: duces, in cuniculis latitantes, quæri: [5] juvenes, formâ et proceritate præstantes, reservari triumpho: [6] natu majores in Ægyptum ad metalla

læos *Saturni die, quo eis nefas st quidquam rei seriæ agere, adorus superavit.* Judæis. quidem icuit lacessentes ferientesque hoes repellere, ut constat ex I Machab. II. 40. et Josepho Antiq. Jud. XIV. 4. n. 2. at iis tunc nihil consilii, furor tantùm et pavor, imminensque Dei ira, quam Josephus, Bell. Jud. VI. 8. n. 2. meritò dixit potentiam Dei in sceleratos, τήν τι τοῦ Θεοῦ δύναμιν ἐπὶ τοῖς ἀνοσίοις.

[1] *Septuaginta septem.* Joseph. Bell. Jud. VI. 10. Ἀπὸ δὲ τῆς πρώτης κτίσεως ἔτη μέχρι τῆς ἰσχάτης ἁλώσεως διοχίλια ἑκατὸν ἑβδομήκοντα καὶ ἑπτά.

[2] *Claritate.* Vide supra Hist. V. 8. not. inf. ubi à Plinio dicitur *longè clarissima urbium Orientis.*

[3] *Bustum est.* Inde Plinius, V. 17. *Engadda oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis, fertilitate, palmetorumque nemoribus: nunc alterum bustum.* Sic adimpletum est, quod tanto antè prædixerat Daniel, IX. 26. καὶ μετὰ τὰς ἑβδομάδας τὰς ἑξηκονταδύο, ἐξολοθρευθήσονται χρίσμα, καὶ κρίμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ· καὶ τὴν πόλιν, καὶ τὸ ἅγιον διαφθερεῖ σὺν τῷ ἡγουμένῳ τῷ ἐρχομένῳ, ἐκκοπήσονται ἐν κατακλυσμῷ, καὶ ἕως τέλους πολέμου συντετμημένου τάξει, ἀφανισμοῖς. Judæi autem, perpetui oraculorum testes, ab hoc templi excidio annos computant, vocantque *Æram desolationis.* Hæc autem omnia eorumque tempora apertè dilucidèque significaverat Jesus Christus. Luc. XXI. 20 et seq. Ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλὴμ, τότε γνῶτε ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς· καὶ πεσοῦνται στόματι μαχαίρας· καὶ αἰχμαλωτισθήσονται εἰς πάντα τὰ ἔθνη· καὶ Ἱερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν· οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα γένηται. Nec certè præterierat hæc generatio, cùm is annus sit à morte Jesu Christi quadragesimus secundus, vel, ut aliis placet, trigesimus octavus.

[4] *Professus est.* Eodem sensu Josephus, Bell. Jud. VI. 9. n. 1. Σὺν Θεῷ γ' ἐπολεμήσαμεν, ἔφη, καὶ Θεὸς ἦν ὁ τῶνδε τῶν ἐρυμάτων Ἰουδαίους καθελὼν, ἐπεὶ χείρες τι ἀνθρώπων ἢ μηχαναὶ τὶ πρὸς τούτους τοὺς πύργους δύνανται; *Deo, inquit, favente bellavimus. Deus est qui Judæos ex istis munimentis detraxit: nam humanæ manus et machinæ quid contra tales turres valeant?*

[5] *Quæri.* Fame victi inde exiere, captique Simon et Joannes.

[6] *Reservari triumpho.* Josephus, ibid. n. 2. Reservatos autem sep-

"mitti." Lecti quoque plurimi, qui per theatra ferro bestiisque perirent:[1] minores annis septemdecim sub coronâ venumdati.[2] Vulgatum apud Judæos in hoc obsidio capta fuisse nonaginta septem millia hominum; undecies centena millia[3] occubuisse. Nihil autem urbis mansit, præter tres turres[4] in victoriæ monumentum relictas: simul servata pars muri Occidentalis,[5] cui impositum præsidium; præfectusque Terentius Rufus. Cetera omnia versa,[6] aratroque fœdata.[7]

tingentos, ἑπτακοσίους ἄνδρας, prodit idem Josephus, Bell. Jud. VII. 5. n. 3.

[1] *Ferro bestiisque perirent.* Ut intelligatur quot sic perierint, satis sit monuisse in ludis, quos Titus die 24. Octobris Cæsareæ edidit ob diem natalem fratris sui Domitiani, periisse supra duo millia et quingentos: plures adhuc cecidisse in ludis, quos Beryti die 17. Novembris ob natalem patris sui Vespasiani celebravit. Joseph. Bell. Jud. VII. 3. n. 1. Cæsareæ Philippi, et alibi, plures adhuc cæsi.

[2] *Sub coronâ venumdati.* De hoc usu dictum est supra Annal. XIII. 39.

[3] *Undecies centena millia.* Joseph. Bell. Jud. VI. 9. n. 3. Sed de captivorum mortuorumque numero dicetur in not. et emend. ad Hist. V. 13.

[4] *Tres turres.* Tres illæ turres nominabantur Phasaelus, Hippicus et Mariamne. Joseph. Bell. Jud. VII. 1. n. 1. de earum præstantiâ structuráque mirabili plura habet idem Josephus, Bell. Jud. V. 4. n. 3.

[5] *Pars muri Occidentalis.* Qui urbem Occidentem versùs cingebat. Joseph. Bell. Jud. VII. 1. n. 1.

[6] *Cetera omnia versa.* Cetera omnia urbis ita versa sunt, ut ne umquam quidem habitatam fuisse vix fidem ampliùs faceret eò accedentibus. Τὸν δ' ἄλλον ἅπαντα τῆς πόλεως περίβολον οὕτως ἐξωμάλισαν οἱ κατασκάπτοντες, ὡς μηδὲ πώποτ' οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι. Joseph. Bell. Jud. VII. 1. n. 1. Templum quoque adeò eversum, ut paucis post captam urbem diebus, cùm Simon, fame victus, è cuniculis exîsset, emersent in locum ubi templum antè fuerat. Κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν τόπον ἐν ᾧ τὸ ἱερὸν ἦν πρόσθεν ἐκ γῆς ἀνεφάνη. Joseph. Bell. Jud. VII. 2. Sic adimpletum quod de templo prædixerat Jesus Christus: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ μὴ καταλυθήσεται. Matth. XXIV. 2.

[7] *Aratroque fœdata.* Ex usu Romano. Inde sanè R. Moses Maiemonides, Kalaka תעניות, cap. 5. n. 3. quintam jejunii quinti mensis, seu mensis Ab, causam affert, quòd *impius Turnus Rufus ex regibus Idumæis aravit templi solum et per circuitum ejus.* Ex more Rabbinorum, qui vulgò nomina omnia depravant, Turnum Rufum pro Terentio Rufo, de quo Joseph. Bell. Jud. VII. 2. dixit Maiemonides. Regum quoque Idumæorum nomine Imperatores Romanos designavit.

48. Tum Titus, laudatâ, pro concione, militum virtute, strenuissimum quemque laudibus præmiisque attollit.[1] Mox victrices legiones ita distribuit, ut decima in Judæâ maneret, duodecima peteret Melitenen,[2] quinta et quintadecima sibi præstò essent, donec in Ægyptum veniret. Deinde Cæsaream[3] discessit, Orientem lustraturus. Missus posteà Lucilius Bassus,[4] qui, quæ in Judæâ supererant, expugnaret. Captâ Machærunte,[5] alterâ Judææ arce, tota regio venumdata.[6] Judæi autem jussi "singulis annis Jovi Capitolino binos denarios[7] solvere." Cæsaream autem,

[1] *Præmiisque attollit.* Hanc Romanorum consuetudinem laudat plurimùm Josephus Bell. Jud. VII. 1. n. 3. Ait Titum eos donâsse coronis aureis, torquibus aureis, hastis longis aureis, signisque argento factis, et uniuscujusque ordinem in melius mutâsse: iis etiam ex manubiis aurum, argentum, vestes, reliquamque prædam largiter distribuisse: tum fausta omnia exercitui precatum, pro victoriâ sacrificâsse: magnam boum multitudinem ad aras mactatam, quam deinde exercitui ad epulas divisit: eum demum cum exercitu in conviviis per triduum esse versatum.

[2] *Melitenen.* Joseph. Bell. Jud. VII. 1. n. 3. Ad Euphraten in confinio Armeniæ et Cappadociæ sita est Melitene, hodie *Malatia.*

[3] *Cæsaream.* Primùm Cæsaream maritimam, seu Cæsaream Palestinæ, deinde Cæsaream Philippi, dictam antè Paneam, nunc *Banias,* adiit. Joseph. Bell. Jud. VII. 2.

[4] *Lucilius Bassus.* Joseph. Bell. Jud. VII. 6. n. 1. Is primò Herodium, Plinio, v. 14. *oppidum illustre,* haud procul ab urbe Jerusalem, deinde Machæruntem cepit.

[5] *Machærunte.* Machærus, castrum oppidumque in tribu Ruben ab Herode in rupe munitum: ibi cæsus Joannes Baptista. Plinius, v. 16. *Machærus,* nunc *Masera, secunda quondam arx Judææ, ab Hierosolymis.*

[6] *Venumdata.* Joseph. Bell. Jud. VII. 6. n. 6. Cæsar ad Lucilium Bassum, et Liberium Maximum, Judææ procuratorem, scripsit; et jussi sunt omnem Judæorum terram vendere. Nullam in eâ urbem condidit, proprium sibi agrum reservans: octingentis tantum veteranis Emmauntem, hodie quoque *Emmaus,* incolendam dedit.

[7] *Binos denarios.* Joseph. ibid. *Φόρον δὲ τοῖς ὅπου δήποτ' εἰσὶν Ἰουδαίοις ἐπέβαλε, δύο δραχμὰς ἕκαστον κελεύσας ἀπὸ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπιτώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν. Tributum Judæis ubicumque degentibus indixit, et quotannis binas quemque drachmas in Capitolium inferre jussit, quemadmodùm in templum Hierosolymitanum priùs conferebant.* Idem habet Dio, LXVI. p. 748. Judæi autem templo Hierosolymitano dimidium sicli, *Angl.* 1*s.* 6*d.* solvebant. Duæ verò drachmæ, aut duo denarii valent *Angl.* 1*s.* 4*d.*

Romanis fidam, ducta colonia;[1] primòque remissum capitis tributum: dein solum etiam immune factum.[2] Emmaus in perennem victoriæ memoriam Nicopolis appellata.[3]

44. INTEREA Vespasianus Alexandriam liquerat, non eâdem, quâ venerat, famâ. Querebantur Alexandrini[4] "ignotam Principi liberalitatem:[5] prisca renovari vecti-"galia: nova addi:[6] hastæ subjici regia monumenta: "sacra ipsa in fisci partes trahi." Hæc occultis primùm, dein publicis, conviciis famosisque carminibus arguebat verbosa dicteriisque sueta gens:[7] ausa etiam Vespasianum *Cybiosacten* cognominare.[8] Is, contumeliæ insolens, et

[1] *Ducta colonia.* Hæc est Cæsarea Palæstinæ, de quâ modò dictum. Plinius, v. 13. *Stratonis turris, eadem Cæsarea, ab Herode rege condita; nunc colonia prima Flavia, à Vespasiano Imperatore deducta.* In nummis frequens COLONIA. PRIMA. FLAVIA. AVGVSTA. CAESARIENSIS.

[2] *Immune factum.* Paulus in Digest. L. Tit. 15. *de Censibus.* Leg. 8. *Divus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non addito ut et juris Italici essent: sed tributum his remisit capitis: divus Titus etiam solum immune factum interpretatus est.*

[3] *Nicopolis appellata.* Inde quibusdam quoque dicta *Nicopol.*

[4] *Querebantur Alexandrini.* Has omnes querelarum causas habet Dio, LXVI. p. 748 et 749.

[5] *Liberalitatem.* Cùm primi omnium Vespasianum Imperatorem fecissent, se insigni liberalitate dignos putabant. Nihil verò iis largitus est Vespasianus. Dio, loc. cit.

[6] *Nova addi.* Ut in Ægypto, sic posteà in toto imperio, atque etiam in ipsâ urbe, Vespasianus nova vectigalia addidit, ita ut ne mendici quidem à tributo immunes viverent. Dio, ibid. Quod tamen factum avaritiâ ne credideris, sed publicæ magnificentiæ studio, et ob immensa imperii onera, Neronis libidinibus, bellorum civilium rapinis penitus exhausti.

[7] *Sueta gens.* Verè graviterque de Alexandrinis Herodianus, IV. p. 98. Πεφύκασι δὲ πως εἶναι φιλοσκώμμονες, καὶ λέγειν εὐστόχως ὑπογραφὰς ἢ παιδίας· ἀποῤῥιπτοῦντες εἰς τοὺς ὑπερέχοντας πολλὰ χαρίεντα μὲν αὐτοῖς δοκοῦντα, λυπηρὰ δὲ τοῖς σκωφθεῖσι· τῶν γὰρ τοιούτων κνίζει μάλιστα ὅτι ἐλέγχει τῶν ἁμαρτημάτων τὴν ἀλήθειαν. *Sunt enim homines suâpte naturâ dicaces, atque ad describendum illudendumque maximè facti, jactantes in optimum quemque et potentissimum dicteria quædam, ut quidem ipsi putant, festiva; ut autem videntur iis in quos dicuntur, longè gravissima: quippe hujusmodi jocorum vel maximè illa permovent, quibus delicti veritas arguitur.*

[8] *Cybiosacten cognominare.* Sue-

facili in iras Principum naturâ, convicium in tributum[1] vertit; graviores pœnas repetiturus, ni motos patris animos Titus sedâsset.[2]

45. DATA licèt veniâ, Alexandriæ infensus, Romam profectus est.[3] Reipublicæ egregium donum, renascentis libertatis augurium, antè erat elargitus: Majestatis enim damnatos[4] Neronis sævitiâ sequentiumve Principum calamitate, quotquot superstites, absolverat; et extentâ ultra fata æquitate, famam mortuis restituerat.[5] Tanto decore supra victorias præfulgens, Brundisium venit,[6] ubi à Muciano Urbisque primoribus publicos inter plausus exceptus est.[7] At Beneventum progressus, Domitianum reperit, solutioris libidinis, dum pater aberat, tum vitia simplicitatis stultitiæve[8] imitamine excusantem. Remedio pariter ac malo anxius Vespasianus, domesticum dolorem, ut decebat, intùs condidit, ne privata publicis anteferre videretur. Lætus ergò, populis in novi ac diu desiderati Principis conspectum venerationemque undique occurrentibus, Romam perrexit.[9]

ton. in Vespas. XIX. Nomine ducto ab uno è suis regibus, sordido homine, qui filiam Ptolemæi Auletæ uxorem duxerat; ut videre est apud Strabonem, XVII. p. 796.

[1] *Convicium in tributum.* Viritim sex obolos, τοὺς ἓξ ὀβολοὺς κατ' ἄνδρα, exigi jussit. Dio, LXVI. p. 749. Sex oboli efficiunt *Angl.* 9*d.*

[2] *Sedâsset.* Dio, ibid.

[3] *Profectus est.* Extremo Maio, aut ineunte Junio, profectus est, cùm cœpissent æstivi flatus, de quibus dictum est supra Hist. IV. 81. Onerariâ nave ascensâ, Alexandriâ Rhodum, nunc *Rhodes*, trajecit: inde vectus triremibus, Ioniam, mox Græciam, ibique omnes urbes, quas subter navigavit, invisit: postcà solvens Corcyrâ, nunc *Corfu*, appulit promontorium Japygium, hodie *Cape Leuco*, unde terrâ iter egit. Joseph. Bell. Jud. VII. 2. n. 1. Hujus itineris ratio paulo fusiùs fuit explicanda, ut pateret Vespasianum Româ abfuisse, cùm spatium Capitolii die 21. Junii dicaretur.

[4] *Damnatos.* Dio, LXVI. p. 749.

[5] *Restituerat.* Dio, ibid.

[6] *Brundisium venit.* Proximo Japygio promontorio Brundisium, nunc *Brindisi*, venit. De Brundisio jam dictum supra An. III. 1.

[7] *Exceptus est.* Dio, ibid.

[8] *Stultitiæve.* Dio, loc. cit. Καὶ μωρίαν.

[9] *Romam perrexit.* Quantâ ordinum omnium lætitiâ fuerit exceptus fusè describit Josephus, Bell. Jud. VII. 4. n. 1.

Ubi eò ventum, à pietate orsus, cœpta Capitolii ædificia invisit; et, ut operas incenderet, ipse, elatis collo suo ruderibus,[1] in partem laboris se immisit, omnibus, ut quisque dignitate et fortunâ præcipuus, Principis exemplum certatim æmulantibus.

46. EADEM in Ægypto adversùs Titum studia. Lustrato Oriente Zeugma usque,[2] acceptâque à Vologeso[3] coronâ aureâ, Hierosolyma reviserat: dein, urbis ruinas miseratus,[4] Memphim venit.[5] Gens, religionibus dedita, per has gratificari Principibus solet. Igitur ut Vespasianum miraculis auxerat[6] Alexandria, sic Memphis Titum Apidis consecratione (quod summum est apud eos sacrum) evectum voluit. Itaque, prisco de more, Apis, cùm præscripta legibus spatia vitæ implevisset, sacro fonte demersus est.[7]

[1] *Ruderibus.* Sueton. in Vespas. VIII. *Ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit.* Fusiùs Dio, LXVI. p. 749. Operas verò Vespasianus exemplo suo ita incendit, ut sequenti anno triumphans cum Tito filio Capitolium adire potuerit, et brevi suo principatu illud absolutum viderit, teste Plutarcho in Poplicolâ, p. 104.

[2] *Zeugma usque.* Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 4. *Zeugma—transitu Euphratis nobile.* Plin. v. 24. Ibi castrum fuit Romanorum, quod adhuc dicitur *Roum-Cala.*

[3] *A Vologeso.* Vologesus, Parthorum rex, ad Titum misit legatos, qui coronam auream ei ferrent, et Judaicam victoriam gratularentur. Hos cùm excepisset Titus, Antiochiam, inde Hierosolyma, ac tandem Alexandriam regressus est. Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 2. Antcà, auctore Philostrato, *Vit. Apollonii*, VI. 29. coronis aureis, quas finitimæ Judæis gentes post Hierosolymorum excidium obtulerant, indignum se pronuntiaverat Titus, dictitans: *se talia non patrásse, sed Deo iram exerenti manus suos commodásse.* Τὰ ὁμοῖά τι ἔθνη ἐστεφάνουν αὐτὸν, ὁ δὲ οὐκ ἠξίου ἑαυτὸν τούτου· μὴ γὰρ αὐτὸς ταῦτα εἰργάσθαι, Θεῷ δὲ ὀργὴν φήναντι ἐκδιδοκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας.

[4] *Ruinas miseratus.* Multaque imprecatus Judaicæ defectionis auctoribus, qui in pulcherrimam urbem tantum vastitatis induxerant: iterum professus se minimè velle ex punitorum calamitate virtutem suam clarescere. Joseph. loc. cit.

[5] *Memphim venit.* De hâc urbe jam dictum supra Hist. IV. 84. not. inf.

[6] *Miraculis auxerat.* Hæc miracula memorata sunt supra Hist. IV. 81.

[7] *Demersus est.* Hujus superstitionis sacra accuratè prosecutus

Alter, cui divina inerant macularum insignia,[1] publico cum luctu quæsitus repertusque, et Memphim ingenti pompâ deductus. Ibi cærimoniis ritè paratis, totâque gente ad spectaculum excitâ, consecrationem orsa est longa sacerdotum turbâ: Titus adstitit, evinctus caput diademate,[2] utì regibus olim fuerat solitum. Sacer Apis suas in ædes[3] ductus, unde auguria populorum, et privatis responsa. Hæc visa Ægyptiis miræ religionis, sed è quibus orta in Urbe invidiæ materia: quod suo loco dicetur anno sequente.

est Ammianus Marcellinus, XXII. 13. *Est enim Apis, bos diversis genitalium notarum figuris expressus, maximèque omnium corniculantis lunæ specie latere dextro insignis: qui cùm post vivendi spatium præstitutum sacro fonte immersus è vitâ abierit (nec enim ultra eum trahere licet ætatem, quàm secreta librorum præscribit auctoritas mysticorum: nec nisi semel in anno bos fœmina inventa cum notis certis offertur) alter cum publico quæritur luctu: et si omnibus signis consummatus reperiri potuerit, defertur Memphim, urbem præstantem, præsentiáque numinis Æsculapii claram. Cùmque initiante antistitum numero centum, inductus in thalamum esse cœperit sacer, conjecturis apertis signa rerum futurarum dicitur demonstrare, et adeuntes quosdam indiciis averti videtur obliquis, ut offerentem cibum aliquandò Germanicum Cæsarem, sicut lectum est, aversatus, portenderat paulo pòst eventura.* Eâdem de re plura vide apud Herodotum, III. 28. Diodorum Siculum, I. 85. Ælianum, XI. 10. Quædam jam dicta sunt supra Hist. v. 4.

[1] *Macularum insignia.* Pomponius Mela, I. 9. *Apis populorum omnium (Ægypti) numen est; bos niger, certis maculis insignis, et caudâ linguâque dissimilis aliorum. Rarò nascitur, nec coitu pecoris (ut aiunt) sed divinitùs et cœlesti igne conceptus.* Plin. VIII. 46. *Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur, Apim vocant. Insigne ei, in dextro latere candicans macula, cornibus Lunæ crescere incipientis. Nodus sub linguâ quem cantharum appellant. Non est fas eum certos vitæ excedere annos, mersumque in sacerdotum fonte enecant, quæsituri luctu alium, quem substituant: et donec invenerint, mœrent, derasis etiam capitibus: nec tamen unquam diu quæritur. Inventus deducitur Memphim à sacerdotibus.* Navi, ubi cellà erat aurata, transportabatur, teste Diodoro Siculo, I. 85.

[2] *Caput diademate.* Sueton. in Tit. v.

[3] *Suas in ædes.* De his ædibus plura habet Ælianus, XI. 10. Earum ædium delubra memorat Plinius, VIII. 46. *Delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, auguria populorum. Alterum intrâsse lætum est, in altero dira portendit. Responsa privis dat, è manu consulentium cibum capiendo. Germanici Cæsaris manum aversatus est, haud multo posteà extincti.*

A. U. C. 824. J. C. 71.

47. CŒPIT hic annus faustis nominibus Vespasiani Augusti III. et Cocceii Nervæ, consulum,[1] quos imperii Romani fortuna conjunxisse videtur, ut ille imperare doceret, hic disceret.[2] Hispaniæ, unde primi annorum motus eruperant,[3] jus Latii[4] tributum, ne quid maneret veteris discordiæ. Pòst Vespasianus, externorum civiliumque bellorum victor, ad Urbana negotia totum se convertit: rem quidem publicam luxu perditam circumspexit, nullâ patriæ caritate, solâ lucri privatique commodi cupidine flagrantem. At gnarus à Principibus ad populos vitia descendisse; invidiosum vanumque fore, si, vigentibus Principum vitiis, publicam censuram tentaret, ab ipso Prin-

[1] *Consulum.* Flavius Vespasianus Augustus tertiùm et M. Cocceius Nerva consules fuere A.U.C. 824. J.C. 71. Insignem eorum memoriam habet tabula marmorea, eruta è puteo in ædc novâ D. Petri, *S. Pierre du Vatican*, anno 1596, quam exhibet Gruterus, p. 300. Eam ex MSS. Schedis Sirmondi, quæ paulo accuratiores mihi videntur, afferam.

DEC. XXVIII.
ADIECTVS AD NVMERVM EX S. C.
T. CAESAR. AVG. F. IMPERATOR,
IMP. CAESARE. VESPASIANO. AVG. III.
M. COCCEIO.NERVA COS.
P. R. C. AN. DCCCXXIIII.

Id est, *post Romam conditam anno* 824. Ut alia sileam, sic in eâdem Inscriptione ubi Gruterus habet:

Q. PI. . . . . IIVM. MELIO. . M.
. . OPTATVM
. . . . . C. DCCCCLXXXVI.

Sirmondus habet:

Q. PETRONIVM. MELIOREM
. . OPTATVM
P. R. C. ANN. DCCCCLXXXIII.

[2] *Hic disceret.* Nerva post Flaviam domum imperavit: Princeps, et suo principatu, et ob adoptatum Trajanum, de republicâ optimè meritus.

[3] *Eruperant.* Cùm Galba factus est Princeps. Vide Suppl. Annal. XVI. 67 et seq.

[4] *Jus Latii.* Plin. III. 3. *Universæ Hispaniæ Vespasianus Imperator Augustus, jactatus procellis reipublicæ, Latii jus tribuit.* De jure Latii diximus supra in not. etemend. ad Annal. XI. 23. Anteà immunitatem vel capitis, vel soli, fortè utriusque, consecuti erant Hispani, ut intelligere est ex Senecâ, *de Benefic.* VI. 29.

cipe emendandi initium fecit. Circumcisis igitur principatûs libidinibus, quæ usu in dignitatis naturam ornamentave cesserant, id maximè ex auctoritate usurpavit, quo ipse foret legum præsidium et exemplum.[1]

48. ITAQUE, ut popularis fieret, rarus in palatio, frequens in hortis Sallustianis:[2] nec fores à satellitibus obsessæ, sed facilis cuivis aditus.[3] Amoti etiam armorum scrutatores,[4] quorum usus sub prioribus Principibus, et inter civilium discordiarum motus invaluerat. Conscientiâ tutus, ceteris securitatem addidit, sublatis majestatis criminibus.[5] In hâc publicâ tranquillitate, principatûs munia obire occœpit: maturiùs semper, ac de nocte vigil, epistolas officiorumque omnium breviaria perlegere:[6] mox amicos admittere,[7] et inter salutantium obsequia calceare ipse sese et amicire:[8] pòst in senatu de republicâ consultare, vel in foro[9] jus dicere: remisso inde[10] paululum animo, facilis civilisque[11] cum senatoribus aliisque, seu domi, seu

[1] *Et exemplum.* Benè Aurelius Victor, in Epitome. *Legibus æquissimis monendo, quodque vehementius est, vitæ specie, vitiorum plura aboleverat.*

[2] *Frequens in hortis Sallustianis.* Dio, LXVI. p. 750. De hortis Sallustianis jam dictum supra Hist. III. 82.

[3] *Cuivis aditus.* Dio, ibid.

[4] *Armorum scrutatores.* Ne quis ferro accinctus Principem adiret. Quàm acerbos scrutatores adhibuerit Claudius, vide apud Suetonium in Claud. XXXV. Contra Vespasianus, consuetudinem salutantes scrutandi, manente adhuc bello civili, omiserat. Sueton. in Vespas. XII.

[5] *Majestatis criminibus.* Dio, LXVI. p. 749.

[6] *Breviaria perlegere.* Sueton. in Vespas. XXI.

[7] *Admittere.* Sueton. ibid. Inter Vespasiani amicos fuit Plinius senior, de quo junior Plinius, Ep. III. 5. *Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem: nam ille quoque noctibus utebatur.*

[8] *Et amicire.* Sueton. loc. cit.

[9] *Pòst in senatu—vel in foro.* Dio, LXVI. p. 750. Sueton. loc. cit.

[10] *Remisso inde.* Aurelius Victor in Epitome. *Exerceri vectatione, deinde requiescere: postremò ubi lavisset, remissiore animo convivium curabat.* Vide et Suetonium, loc. cit.

[11] *Facilis civilisque.* In his epulis nec luxus, nec ganea, sed *super cœnam, et semper aliàs communissimus, multa joco transigebat.* Sueton. in Vespas. XXII. Convivabatur sæpè et lautissimè, qualiter decet Principem, et ut annonam

foris[1] cœna; quam super jocosa[2] et indulgens[3] hilaritas. Hic communis vitæ tenor.[4]

49. EADEM, et anxia magis, erga liberos cura, cùm reipublicæ amore, tum domûs gloriâ. Paternum enim animum angebat Domitianus, præferoce indole, et in omnes fortunæ suæ libidines præceps: eum pater privatim objurgationibus,[5] in publico honoribus ad meliora revocabat. Titus, patris deliciæ, spes columenque imperii: ipse tamen inquietæ etiam solicitudinis causa, non suspicaci Principis ingenio (id enim vitii à generosâ mente aberat) sed recentium adhuc reipublicæ procellarum memoriâ, et occultis sermonibus: "Titi fidem vacillare: favere legiones: nec religione, sed "explorandi animos causâ, inter Apidis sacra,[6] in maxima "Ægypti celebritate, regni cupidum,[7] regio usum diade-"mate." Titus, hæc in Urbe jactitari impatiens, quòd conscientiâ integer, festinans Romam proficiscitur. Legiones, quæ Hierosolyma, eo duce, ceperant, "aut remaneret, "aut secum omnes pariter abduceret,[8]" frustra oravere: quinta in Mœsiam, quintadecima in Pannoniam, remissæ.[9]

adjuvaret. Inde Sueton. in Vespas. XIX. *Sed et convivabatur assiduè: ac sæpiùs rectà ac dapsilè, ut macellarios adjuvaret.* Hâc in re, ut in aliis plurimis Augustum imitatus, de quo Suetonius in Aug. LXXIV. eadem iisdem verbis memorat; et addit: *Cœnam trinis ferculis, aut cùm abundantissimè, senis præbebat, ut non nimio sumtu, ita summâ comitate.*

[1] *Seu domi, seu foris.* Dio, loc. cit.

[2] *Jocosa.* *Erat enim dicacitatis plurimæ.* Sueton. ibid.

[3] *Et indulgens.* Sueton. in Vespas. XXI. A balneo *in triclinium transibat. Nec ullo tempore facilior, aut indulgentior traditur: eaque momenta domestici ad aliquid petendum magnoperè captabant.*

[4] *Vitæ tenor.* Sueton. ibid. et Aurel. Victor. in Epitome. *Institutum verò uniforme omni imperio tenuit.*

[5] *Objurgationibus.* Elatosque ejus spiritus deprimebat, teste Dione, LXVI. p. 749. Vide et Sueton. in Domitian. II.

[6] *Inter Apidis sacra.* De quibus dictum supra cap. 46.

[7] *Regni cupidum.* Hos rumores memorat Suetonius in Tit. V.

[8] *Pariter abduceret.* Hæc omnia Suetonius, ibid.

[9] *Remissæ.* Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 3.

Argis[1] tantùm substitit Titus, Apollonium,[2] sapientiæ famâ tunc insignem, visurus; et ut ex ejus præceptis ad virtutes, quæ Principis filium decent, se formaret. Apollonius, certus non volucribus verbis, sed multâ exemplorum documentorumque experientiâ Principes institui, consulenti respondit: "Hostibus bello superatis, patrem virtutibus supera:[3] "Demetrium[4] philosophum ausculta." Brevi monito, in virtutes fœcundo, imbutus, cursum celeravit;[5] et patri, qui obviam processerat,[6] inopinus occurrit: salutansque, sed rumorum memor, "veni," inquit, "pater, veni."[7] Simul ruunt in amplexus; pater incertum an filius probatâ fide lætior.

50. Urbs totaque Italia pro Titi reditu in lætitiam effusa.[8] Senatus duplicem triumphum Principi et Cæsari decrevit.[9] At ipsi unico contenti, ne inani impensâ gravaretur respublica. Tum primùm ab Urbe conditâ pater filiusque visi in eâdem triumphali pompâ. At, ut nova, sic magnifica fuere triumphi decora. Plurimâ adhuc nocte, milites stetere prope Isidis templum.[10] Ibi Vespasianus Titusque

[1] *Argis.* Argos, urbs Ciliciæ, quam Stephanus, *de Urbibus*, ait ætate suâ appellari Ἀργιόπολιν. Hujus urbis nummos publicavit Cl. Pellerin, *Mélange de diverses Médailles.* Vol. I. p. 22.

[2] *Apollonium.* Apollonium Tyaneum. Philostrat. Vit. Apollon. VI. 30.

[3] *Virtutibus supera.* Philostrat. ibid. cap. 32.

[4] *Demetrium.* Philostrat. ibid. cap. 31. Demetrium, Cynicum philosophum, non ita constantem virum fuisse vidimus, supra Hist. IV. 40. Sed in Apollonio et Demetrio plus fuit ostentationis, quàm virtutis.

[5] *Celeravit.* *Rhegium*, nunc *Rheggio*, *in farther Calabria*, *dehinc Puteolos*, nunc *Pozzuolo*, onerariâ nave appulit, *Romam inde contendit expeditissimus.* Sueton. in Tit. v.

[6] *Obviam processerat.* Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 3.

[7] *Pater, veni.* Sueton. ibid.

[8] *Effusa.* Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 3.

[9] *Decrevit.* Hæc et seq. Joseph. ibid.

[10] *Isidis templum.* Templum illud fuit in campo Martio, haud procul Pantheo, et æde Minervæ, nunc *Santa Maria sopra Minerva.* Ibi repertum Osiridis simulacrum, quod exhibet Donatus, *de Urbe Româ*, I. 21.

noctem egerant:[1] primo diluculo, caput lauro redimiti, et purpureis induti vestibus, in Octaviæ porticum[2] processerunt: eos senatus, præcipuus quisque magistratuum, et equester ordo excepit. Ut in tribunali[3] eburneisque sellis consedêre, laureati et sericati milites[4] solitis adclamationibus imperatorum virtutes attollunt: mox, facto silentio, Vespasianus, velato capite, solemnes preces concipit; idem quoque precatus est Titus. Tum Vespasianus, adsistentem concionem paucis adlocutus, milites ad paratum prandium[5] dimittit. Ipse cum filio ad triumphalem portam[6] regressus: ibi post levem cibum, triumphales vestes[7] induunt; cæsisque ante Deos, ad portam adstantes,[8] victimis, cœpit pompa, apparatu maxima.

51. In hâc enim imperii pace, subacti orbis opes, artium miracula, naturæ rara quæque ostentata:[9] prævectæ quoque immensæ purpurearum Babylonicâve arte[10] picta-

[1] *Noctem egerant.* Relicto palatio, noctem ibi egerant. Triumphaturi enim ex Urbe egrediebantur, ut eam postero die ingrederentur triumphantes.

[2] *In Octaviæ porticum.* Octaviæ, sororis Augusti, porticus fuit ubi nunc S. Angeli ecclesia, *Chiesa di S. Angiolo in Pescheria.* Manentque adhuc rudera in vicinis locis. Extat autem ejus memoria in veteribus Urbis ichnographiæ fragmentis, quæ in templo Romuli reperta sunt, nunc in ædibus Capitolinis adservantur.——CVS OCTAVIAE.

[3] *In tribunali.* Quod ante Octaviæ porticum fuerat exstructum. Joseph. ibid. n. 4.

[4] *Sericati milites.* Joseph. ibid. Χωρὶς ὅπλων ἦσαν ἐσθῆσιν σηρικαῖς, ἐστιφανωμένοι δάφναις. *Milites sine armis erant induti vestibus sericis, coronati lauro.*

[5] *Paratum prandium.* De more militibus paratum ab imperatoribus prandium. Joseph. ibid.

[6] *Triumphalem portam.* Quâ campo Martio in Urbem subibant triumphantes. Porta illa fuit in veteri Urbis muro, inter Capitolium et Tiberim, prope Carmentalem portam. Posteà cùm Aurelianus muros Urbis dilatavit, tum trans Tiberim noctem agebant triumphantes; pons portaque triumphalis fuere paulo supra molem, seu tumulum, Adriani, nunc *Castel S. Angiolo.*

[7] *Triumphales vestes.* Auro purpurâque intextæ triumphales vestes. Vide supra Annal. I. 15. not. inf.

[8] *Ad portam adstantes.* Joseph. loc. cit. Τοῖς τε παριδρυμένοις τῇ πύλῃ θύσαντες θεοῖς.

[9] *Ostentata.* Joseph. ibid. n. 5.

[10] *Babylonicâve arte.* Id est,

rum vestium, gemmarum, in coronas aliaque id genus ornamenta compositarum, strues:[1] præfulgebant Deorum simulacra, magnitudine et arte stupenda; ipsaque animalia,[2] suis quæque naturis expressa. Cuncta autem auro, argento, ebore splendida:[3] bajuli quoque purpureis aureisque radiabant indumentis: ipsa captivorum deformitas ornamentorum varietate inlustrata. Tantas inter opes conspicuæ in primis immanes ferculorum moles, in tres quatuorque tabulatorum ordines[4] exstructæ: inde patebant intuentium oculis mirâ arte expressa singula Judaici belli eventa, prælia, transfugia, captivorum agmina, urbium, castellorum oppugnationes, tectorum excidia, templi incendia, flumina,[5] non in virentes, sed in torridos campos, immissa: in singulis autem ferculis ostentui erant Judæorum duces,[6] eodem loci corporisque habitu,[7] quo fuerant capti: gestatæ quoque

vestium in accuratissimas picturas arte Babyloniorum distinctarum. Joseph. ibid. Καὶ τὰ μὲν ἐκ πορφύρας ὑφάσματα τῆς σπανιστάτης φερόμενα, τὰ δὲ εἰς ἀκριβῆ ζωγραφίαν πεποικιλμένα τῇ Βαβυλωνίων τέχνῃ. Vestes illas arte Babylonicâ pictas referre mihi videntur pictæ vestes, quibus Imperator Sinarum et imperii Sinensis primores adhuc utuntur.

[1] *Strues.* Tantæ gemmarum fuere strues, ut fateatur Josephus frustra ipsos earum aliquid rarum esse existimâsse. Μάτην εἶναί τι τούτων σπάνιον ὑπειλήφαμεν.

[2] *Animalia.* Joseph. ibid. Ζώων τε πολλαὶ φύσεις παρήγοντο, κόσμου εἰκῶν ἁπάντων περικειμένων. Maximè animalia Judææ propria. Vide triumphum Germanici Aunal. II. 41.

[3] *Splendida.* Joseph. ibid.

[4] *Tabulatorum ordines.* Joseph. ibid. Τριῶροφα γὰρ αὐτῶν (πηγμάτων) καὶ τετρῶροφα πολλά.

[5] *Flumina.* Joseph. ibid. Μετὰ πολλὴν ἐρημίαν κατηφῆ ποταμοὺς ῥέοντας ἐκ ἐπὶ γὴν γεωργουμένην, ἐδὲ ποτὸν ἀνθρώποις ἢ βοσκήμασιν, ἀλλὰ διὰ τῆς ἔτι πανταχόθεν φλογομένης. Nempe post illatam bello Judaico vastitatem, Jordanis, Arnon, Cedron, aliique torrentes, non agrorum culta, sed fumantes ruinas interfluebant.

[6] *Judæorum duces.* Ac maximè Simon et Joannes.

[7] *Loci corporisque habitu.* Joseph. ibid. Joannes quidem, cum fratribus in cavernis esuriens, se Romanis dedidit. Joseph. Bell. Jud. VI. 9. n. 4. Simon autem in cuniculis diu delituit: at furiosus fanaticusque dux, cùm deficerent alimenta, ratus se adhuc posse Romanorum manus evadere, si iis terrorem incuteret, subitò emersit è loco, ubi templum fuerat, candidâ tunicâ indutus, purpureâ infibulatus chlamyde. Primùm obstupuere, qui eum intuiti sunt. Pòst ad eum accessere, et quis esset interrogaverunt. Nomen non

naves plurimæ.[1] Pòst visebantur templi monumenta,[2] quæ inter eminebat mensa aurea, aureum candelabrum,[3] et ultimum spolium, Judaica lex.[4] Inde sequebantur longo ordine victoriarum tituli: mox triumphales Vespasiani Titique currus,[5] quibus adequitabat Domitianus con-

prodidit Simon, sed ducem vocari jussit. A Terentio Rufo comprehensus, vinctusque, ad Titum, qui tunc Cæsareæ maritimæ erat, missus est. Joseph. Bell. Jud. VII. 2. Inde intelligere est quomodò Judæorum duces eodem loci corporisque habitu, quo fuerant capti, in triumphalibus ferculis ostentarentur.

[1] *Naves plurimæ.* Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 5. Πολλαὶ δὲ καὶ νῆες ἦσαν. Naves illæ sanè Judaicas bello captas referebant. Certè fuit in Museo Domûs Professæ Parisiensis, Societatis Jesu, nummus ære mediocri: IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. III. Vespasianus capite laureato. In aversâ parte, VICTORIA NAVALIS. SC. Victoria cum palmâ et coronâ. Titi quoque similes nummi habentur.

[2] *Templi monumenta.* Pars illa egregia triumphi Judaici extat adhuc Romæ, marmore expressa, in Titi arcu, inter clivum montis Palatini et ecclesiam sanctæ Franciscæ. Ibi primùm videtur titulus, qui ante mensam auream præferebatur; deinde mensa aurea, supra quam posita duo vasa: ad latus mensæ sunt prælongæ duæ tubæ Judaicæ decussatæ: pòst titulus candelabri aurei; mox candelabrum aureum. Demum titulus, qui ante legem Judaicam præferebatur: ipsa lex non videtur, quòd in anaglypho locus non supererat. Præstantissimum monumentum accuratissimè delineatum exhibet eruditus Villalpandus, *in Ezechiel.* Vol. II. p. 587. Arcus autem, post Titi mortem aut structus, aut inscriptus.

SENATVS
POPVLVS QVE ROMANVS
DIVO TITO DIVI VESPASIANI F
VESPASIANO AVGVSTO

[3] *Candelabrum.* Hecatæus, apud Josephum contra Apionem, I. 22. memorat aram, seu mensam, et candelabrum, utrumque aureum, pondus talentorum duum, *Anglo* 9000*l.* Βωμὸς ἐστι καὶ λυχνία, ἀμφότερα χρυσᾶ, δυὸ τάλαντα τὸ ἑλκύν.

[4] *Judaica lex.* Joseph. ibid. Sanè in auratâ, quâ includebatur, arculâ lata est lex, seu præstantissimus legis liber. Neque enim obvium quodque exemplar ostentatum.

[5] *Vespasiani Titique currus.* Joseph. ibid. Benè quidem, ut constat ex veteribus monumentis. At falsò Orosius, VII. 9. unum triumphalem currum memorat. *Vespasianus et Titus imperatores, magnificum agentes de Judæis triumphum, urbem ingressi sunt. Pulchrum et ignotum anteà cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui à conditione Urbis usque ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit, patrem et filium, uno triumphali curru vectos, gloriosissimam ab his qui patrem et filium offenderant, victoriam reportâsse.* In aureo Vespasiani nummo, quem è Thesauro Regio laudat

sul.[1] Circumductâ per theatra[2] pompâ, ut irruenti undique plebi fieret satis, ventum ad Capitolium. Tum substitit pompa: præcipuus belli dux Simon, laqueo[3] in clivum, foro imminentem,[4] tractus, virgisque cæsus, interfectus est.[5] Sic expiato scelere, victoribus adclamatum: cæsæ victimæ; et imperatores in Jovis Capitolini gremio lauream[6] posuere, neglecto victoriæ cognomento.[7] Inde publicos inter plausus

Harduinus, *Selecta Opera*, p. 731. solus triumphali curru vehitur Vespasianus. IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. TR. P. capite laureato. In aversâ parte, TRIVMP. AVG. *Triumphus Augusti.* Vespasianus, curru triumphali vectus, retro à Victoriâ coronatus, balsami ramum, devictæ Judææ symbolum, tenet. Sic quoque in triumphali arcu Titi, de quo jam dictum supra, solus Titus curru suo et quadrigis vehitur, pariter à Victoriâ retro stante coronatus. Perperam interpres Latinus Josephi Titum equitantem exhibet.

[1] *Adequitabat Domitianus consul.* Joseph. ibid. Suetonius quoque in Domitian. II. *Triumphum utriusque* (Vespasiani et Titi) *Judaicum equo albo comitatus est.* Consul autem suffectus tunc erat Domitianus.

[2] *Per theatra.* Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 4. Διὰ τῶν θεάτρων. Unde mihi videtur triumphalem pompam non statim Urbem subiisse. Sed, peractis ante triumphalem portam sacris, pompa per Pompeii, Balbi, et Marcelli theatra, quæ erant in campo Martio, circumducta est, ut multitudini, quam immensam exhibet Josephus, facilior esset aspectus. De hâc pompæ tarditate intelligendus videtur Suetonius, in Vespasian, XII. *Adeòque nihil ornamentorum extrinsecùs cupidè appetivit, ut triumphi die fatigatus tarditate et tædio pompæ, non reticuerit: meritò se plecti, qui triumphum, quasi aut debitum majoribus suis aut speratum umquam sibi, tam ineptè senex concupisset.*

[3] *Simon, laqueo.* Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 6.

[4] *Foro imminentem.* In eo clivo erat Carcer Mamertinus, hodie *S. Pietro in carcere:* ibi quoque, ut quidam volunt, scalæ Gemoniæ. Vide jam dicta supra Hist. III. 74.

[5] *Interfectus est.* Joseph. ibid. Joannes autem reservatus est vinculis sempiternis, δεσμοῖς αἰωνίοις. Joseph. Bell. Jud. VI. 9. n. 4.

[6] *Gremio lauream.* De hoc usu jam dictum supra Annal. II. 26. not. inf.

[7] *Victoriæ cognomento.* Dio, LXVI. p. 748. Ob invisam despectamque gentem, neque Vespasianus, neque Titus dictus est *Judaicus.* Inde Pompeius, cùm irrideretur à Cicerone Ep. ad Attic. II. 9. appellatus *noster Hierosolymarius traductor.* Ceterùm Judaica Vespasiani Titique victoria quàm plurimis celebrata est monumentis: quæ cùm hìc referre longiùs foret, de obsidio Hierosolymitano et belli Judaici monumentis commodiùs post not. et emend. ad librum V. Historiarum in peculiari dissertatione dicemus.

in palatium discessere: reliquum diei lætitiæ datum, totâ Urbe in epulas effusâ.[1]

52. TUM silentibus bellis, clusus est Janus.[2] Ut pacis, qualis à divi Augusti temporibus haud contigerat, monumentum extaret, Vespasianus Pacis templum,[3] maximum pulcherrimumque[4] Urbis opus, ædificavit: ibi præter cetera ornamenta,[5] opes vasaque templi Hierosolymitani dicata: lex, velaque[6] in palatio reposita. Cùm ita factum satis religionibus, in morum emendationem conversa sunt studia, conspirantibus Principis Titique votis, ipsâ Urbe vitiorum mole fessâ.[7]

[1] *In epulas effusâ.* Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 6.

[2] *Clusus est Janus.* Paulus Orosius, VII. 9. *Continuò* (post Judaici belli triumphum) *omnibus bellis ac tumultibus domi forisque compressis, pacem totius orbis pronuntiaverunt, et Janum geminum obseratis cohiberi claustris, sextò demum ipsi post Urbem conditam censuerunt.* Inde in multis Vespasiani nummis, cusis anno sequenti, cùm Vespasianus esset COS. III. id est, *consul tertiùm*, reperitur inscriptum: PACI ORBIS TERR. AVG. Id est, *Paci orbis terrarum Augustæ*, vel AVGVSTAE PACI. vel PAX POPVLI ROMANI. In nummis Titi PAX AVG.

[3] *Pacis templum.* Templum illud fuit *foro proximum*, teste Suetonio in Vespasian. IX. Templo addita erant multa opera; quæ memorat Plinius, XXXIV. 8. n. 24. et XXXVI. 4. n. 8. Videntur adhuc ejus rudera haud procul ab ecclesiâ Sanctæ Franciscæ et arcu Titi, ante montem Palatinum.

[4] *Maximum pulcherrimumque.* Herodianus Libr. I. p. 482. Εἶχον τέμενος — μέγιστον καὶ κάλλιστον γενόμενον τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων. Ejus quoque egregias laudes vide apud Plinium, XXXVI. 15. et Josephum Bell. Jud. VII. 5. n. 7.

[5] *Ornamenta.* Hæc Templi decora sæpe memorat Plinius. Extat adhuc eximium ejus magnificentiæ monumentum, ingens nempe columna marmorea, quam Paulus V. summus Pontifex, ante ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris transtulit et erexit.

[6] *Lex, velaque.* Liber legis Judaicæ, et vela purpurea tabernaculi, τὰ πορφυρᾶ τοῦ σκηνοῦ καταπετάσματα. Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 7. De his velis plura habet idem Josephus, Bell. Jud. V. 5. n. 4 et 5.

[7] *Fessâ.* Hæc et reliqua Vespasiani tempora vide in Append. Chronol. Vol. V.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM

DE MORIBUS GERMANORUM,

VITAM AGRICOLÆ,

ET

DIALOGUM DE ORATORIBUS.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD LIBRUM

C. CORNELII TACITI

DE SITU, MORIBUS, ET POPULIS GERMANIÆ.

De situ, moribus, et populis Germaniæ. Ita MS. Vatic. 3429. et libri editi. In MSS. Vatic. 1518. 1862 et 4498. *de origine et situ Germanorum.*

Cap. 1. *A Gallis.* Ita quatuor MSS. Vatic. et editiones veteres. Perperam eruditi viri, Gronovius, Dithmarus et Ernestus edidere, *Galliis.*

Rætisque et Pannoniis. Perperam libri editi, *Rhætiis.* Emendandum, *Rætis.* Hìc enim de populis, non verò de regionibus agitur; ut rectè vidit Cellarius, "Notit. Geograph. Antiq." lib. II. cap. 8. Firmior adhuc in suâ sententiâ futurus, si novisset in veteribus optimisque libris legi, *Gallis*, non *Galliis.* Ætate Taciti multo recentior Rætiæ et Pannoniæ in plures provincias divisio. *Rætiis*, non *Rhætiis*, habent MSS. Vatic. 1518 et 4498.

In Occidentem versùs. Rectè monuit Ernestus *versùs* præpositionem esse.

Montis Abnobæ. MSS. Vatic. 1518 et 4498. et editiones veteres, *Arbonæ.* MSS. Vatic. 1862 et 2964. *Arnobæ.* In margine MS. Vatic. 1862. additum, *Arbonæ.* Rhenanus, deinde ceteri omnes, Plinium secuti edidere, *Abnobæ.*

Erumpat. Ita MSS. Vatic. Puteolanus, *erumpit.* Infra cap. 20. "Donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat."

CAP. 2. *Tuistonem.* Ita MS. Vatic. 1518. et vulgò libri editi præter Ernestum, qui è MS. Turic. Cod. Kapp. et ed. Rhag. edidit *Tuisconem.* MS. Vatic. 1862. *Tristonem:* in margine, *Tuisman.* MS. Vatic. 1498. *Bistonem.* Utrùm autem Tuistonis nomine lateat Dei, rerum omnium conditoris, memoria; Mannusque referat vel Adam, ejusque tres filios Cain, Abel et Seth, vel Noe et ejus liberos Sem, Cham et Japheth: an Tuisto, ut sensit Cl. Leibnitius, sit ipse Teut aut Teutates, Gallorum Hispanorumque cultu et famâ celeberrimus, id est, rex herosve Celto-Scytha, qui magnam Asiæ et Europæ partem armis occupaverit, hominumque mores formaverit, variis agitatur disputationibus, quas non est instituti nostri fusiùs persequi. Monuerim tantùm eruditum Scheidium in præfatione ad librum Joh. Georgii Eccardi "de Origine Germanorum," p. 23. pro *Tuistonem* tentare *Thiudans;* totumque hunc locum, quem depravatum putat, ita emendare: *Celebrant carminibus antiquis Thiudans* (id est, *Deum*), *et terrâ editum filium Mannum, originem gentis conditoresque.* At id à veterum librorum scripturâ nimis recedit.

Herminones. Ita MSS. Vatic. et Plinius, IV. 14. In libris editis, *Herminones.* Fortè emendandum, *Hermivones,* ut Ingævones, Istævones: quos ita nunquàm vult Comingius à tribus Manni filiis *Ingäff, Istäf et Hermin.*

Quidam autem, licentiâ. MSS. Vatic. 1862 et 2964. *quidam, ut in licentiâ.*

Gambrivios. Iidemne sunt, qui dicuntur à Strabone, VII. p. 291. *Gambabriuni, Γαμβρήνιοι?*

Nuper additum. Frustra tentat Lipsius, *super additum.* Optimi enim scriptores *nomen addere* pro *nomen dare, imponere,* sæpissimè usurpaverunt. Vocabulum autem Germaniæ recens et super addi-

tum, si vetustissima Manni, Marsorumque, et Gambriviorum, &c. nomina spectaveris, ut jam monuimus in notis. Nec negotium facessat, *nuper additum.* Non modò de paucis mensibus annisve, sed etiam seculis *nuper* dicitur.

Ac nunc Tungri. Benè Lipsius è MS. Bamberg. Ita quoque editiones veteres.

Tunc Germani. Malè in multis editionibus veteribus, *nunc Germani.* Benè in aliis et in MSS. Bamberg. Turic. *tunc.*

Vocati sint. Ita MS. Vatic. 4498. et fermè libri omnes editi. In aliis MSS. Vatic. et in editionibus Rhag. et Rhen. anno 1519. *vocati sunt.*

Non gentis. Mallet Acidalius, *in gentis:* nec displicet Cl. Ernesto. Nihil tamen mutaverim.

A victore. Frustra Gronovius tentat, *à victrice,* ut ad nationem referatur. Cl. Leibnitius, *à victo,* quasi Germanorum nomen à Gallis victis, et timore perculsis fuerit inditum.

Ob metum. Emendat Cl. de la Bleterie, *ad metum.* At nec malè, *ob metum.*

Mox à seipsis. Ita MS. Vatic. 2964. et libri editi. In MSS. Vatic. 1518 et 4498. *mox et à seipsis.* MS. Vatic. 1862. *mox etiam à seipsis.* Malè emendat Lipsius, *à re ipsâ.*

Germani vocarentur. Perperam Lipsius approbat MS. Bamberg. à quo abest, *Germani;* locumque ita interpretatur, ut omnes, qui Rhenum accolerent, nomen ab istâ victrice natione invenirent, ob metum scilicet recentem Gallorum: deinde isti propriè Germani, novum nomen invenirent à seipsis, discriminandi nimirùm causâ, et dicerent se Tungros. Aliter Dithmarus, auctore Perizonio, duceque Leibnitio, locum ita emendat et distinguit: "Germaniæ vocabulum recens et nuper additum, quoniam, qui primi Rhenum transgressi, Gallos expulerint, nunc Tungri, tunc Germani vocati sint; ita nationis nomen in nomen gentis evaluisse paulatim, ut omnes primùm à victis ob metum, mox à seipsis, invento nomine, Germani dicerentur." Minimè audiendi sunt, qui volunt, Marii tempore, Cimbricoque bello, Germanos à Romanis nuncupatos fuisse, quòd se fratres dicerent, ut videre est apud Plutarchum in Mario, p. 419. Vide et Strabonem, VII. p. 290.

Virorum fortium ituri. Benè veteres editiones, Pichena et recentiores. Malè distinxit Lipsius, *virorum fortium. Ituri in prælia canunt.*

CAP. 3. *Barditum vocant.* Ita MSS. Vatic. Farnes. Arundel. Lipsius et recentiores. Malè in veteribus editionibus, *baritum.* Frustra tentat Althamerus, *blaritum.* Apud Festum, " Bardus Gallicè cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit:" et in Dosithei glossis, " BARDVS, carminum conditor." De barritu et barditu multa habet Cl. Fréret, " Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions," Vol. XXIII. p. 164 et seq.

Non tam voces illæ. Ita MSS. editiones veteres, Pichena et recentiores. Rhenanus emendavit, *vocis ille....videtur.*

Quàm virtutis. Non ita benè MSS. Bamberg. et Arundel. *quàm mentis.*

Hodieque. *Que* abest à MS. Turic. et editionibus Puteolani ac Beroaldi.

Nominatumque ΑΣΚΙΠΤΡΓΙΟΝ. Ita MSS. Vatic. 1518 et 1862. In MS. Vatic. 2964. corruptè quidem ACRIΠTPΓION, quod librarii ignorantiam prodit, aperta tamen primævæ scripturæ vestigia retinet. In MS. Vatic. 4498. post *nominatumque* lacuna est cum notâ, *addendum erit verbum Græcum.* Eadem lacuna reperitur in veteribus editionibus, quæ ex MS. Vatic. 4498. sunt expressæ. Inde autem patet non omittendum fuisse, ut in recentioribus editionibus, *ΑΣΚΙΠΤΡΓΙΟΝ:* frustra emendâsse Rhenanum, *ἀστυπύργιον:* denique mendosè ex MS. Vatic. 2964. legi in quibusdam libris *ἀχρινίπριον*, vel *ἀχρινίριτον.* Malè MS. Arundel. *ἀστυτειάγιον.*

Græcis literis inscriptos. Quomodò literæ à Phœnicibus ad Græcos, à Græcis in Italiam devenerint, vidimus supra Annal. XI. 14. Ab iisdem Græcis, ac maximè à Massiliensibus, eas accepere Galli, apud quos ita viguit literarum Græcarum amor, ut contractuum quoque formulas Græcè conscriberent. *Φιλέλληνας κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια Ἑλληνιστὶ γράφειν.* Strabo, IV. p. 181. Manentque in veteribus Gallorum nummis multæ literæ Græcæ, ut videre est apud Cl. Pellerin, " Recueil de

Médailles de Peuples et de Villes," Vol. I. p. 14. Helvetii quoque utebantur literis Græcis, teste Julio Cæsare, Bell. Gall. I. 29. Vicinià et commerciis easdem literas accepere Germani. Illustr. Comes Marsili, aliique nonnulla monumenta Græcis literis inscripta in Germaniâ repererunt, sed non hujus antiquitatis.

Confirmare argumentis. Gronovius è MS. Arundel. mallet, *adfirmare.* Quod non probat tantùm Ernestus, sed omissum etiam vellet, *argumentis.* Hæc enim ei videntur sumta è Livio: "Ea nec adfirmare, nec refellere in animo est." At nihil peccat in vulgatâ scripturâ. Quemdam autem literarum Græcarum usum apud Germanos diu mansisse conjici potest ex Chilperico, qui literas literis Gallorum addidit, et *sicut Græci habent omega, æ, the, uui,* ita subscriptos literarum characteres vulgavit, *ω ψ Z Δ: et misit epistolas in universas civitates regni, ut sic pueri docerentur.* Gregorius Turonensis, Hist. v. 45. Ex Latinis literis à Gregorio expressis conjecerim pro *Z* emendandum *Θ*, et *Υ* pro *Δ*.

Cap. 4. *Nullis aliis aliarum nationum. Aliis* redundare videtur, ut jam monuit Lipsius, omisitque Cluverius. Pichena tentabat, *nullis alienigenarum.*

Propriam et sinceram. Non ita benè MS. Bamberg. *perpetuam et sinceram.*

Magna corpora, et tantùm ad impetum valida. Malè MSS. Bamberg. et Arundel. *corpora tantùm impetu valida.* Acidalius frustra emendat, *sed* pro *et.* Eo sensu *et* sæpissimè usurpatur.

Cap. 5. *Humidior....ventosior.* Lipsius, Cluverius et Kirchmaierus emendant *humilior....verticosior.* Quod minimè probaverim, cùm adhuc humidissima sit hæc Germaniæ pars, humidiorque fuerit, quandò informis terris, cultu aspectuque tristis erat. Quanto autem altior versùs Noricum ac Pannoniam, tanto fuit ventosior. Altiorem esse patet ex ipsis legibus libramenti aquarum. Prætereà *verticosior* ne Latinè quidem dicitur hoc sensu.

Plerumque improcera. Mallet Lipsius, *pleraque.*

Propitii an irati. Ita MSS. Vatic. 1518 et 4498. ac libri omnes editi. In MSS. Vatic. 1862 et 2964. *propitiine an irati.*

Non in aliâ vilitate. Benè veteres et recentiores editiones. Rhenanus et Lipsius, *utilitate.*

Affectione animi. Ita MSS. Vatic. 1518 et 4498. veteres et recentiores editiones. MSS. Vatic. 1862 et 4498. ac Rhenanus, *affectatione.*

Facilior usui est. Ita libri omnes præter Lipsium, qui edidit, *faciliori.*

CAP. 6. *Frameas gerunt.* Cùm ferrum apud Germanos abundavit, non frameâ, vel hastâ, sed longis acutisque gladiis usi sunt. Inde Isidorus, x. 6. " Framea est gladius acutus, quam spatham vocant." De his Suevorum gladiis Gulielmus Appulus, lib. II. apud Muratori, Rerum Italicarum scriptores, Vol. v. p. 260.

" Hæc gens animosa feroces
Fert animos; sed equos adeò non ducere cauta.
Ictibus illorum, quàm lancea, plus valet ensis.
Nam nec equus doctè manibus giratur eorum:
Nec validos ictus dat lancea, præminet ensis.
Sunt enim longi specialiter et peracuti
Illorum gladii; percussum à vertice corpus
Scindere sæpe solent: et firmo stant pede postquàm
Deponuntur equis, potiùs certando perire
Quàm dare terga volunt; magis hoc sunt Marte timendi,
Quàm dum sunt equites: tanta est audacia gentis."

His versibus non modò multi Germanorum usus confirmantur et illustrantur, sed docemur adhuc eos priscam optimamque suam præliandi rationem posteà mutâsse, ut cæsim, non punctim, ferirent.

Aut galea. Benè MS. Turic. Rhenanus et recentiores. In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *galeæ.*

Pagis sunt. *Sunt* omissum vellet Ernestus.

Concilium inire. Malè Cod. Kapp. *consilium:* ut supra, *centum* pro *centeni.*

CAP. 7. *Aut libera.* Benè Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *ac libera.*

Ne verberare quidem. Benè Gronovius et Ernestus. Ita quoque MS. Arundel. In veteribus editionibus, *neque verberare quidem.*

Non quasi in pœnam. MS. Vatic. 2964. *nec quasi.*

Nec ducis jussu. Illustr. Huetius emendabat, *jussus,* ut supplere retur *valeat.* Sed nihil hìc mutandum.

Deo imperante. MS. Arundel. *Deo inspirante.*

Sed familiæ. MS. Vatic. 2964. *sed familia.*

Aut exigere plagas. Ita MSS. Vatic. 2964 et 1862. et recentes editiones. Malè Rhenanus emendavit, *exsugere.* Id tamen defendit Cl. de la Bleterie, quòd quid MSS. et veteres editiones haberent, eum lateret. In MSS. Vatic. 1518 et 4498. *et exigere.* MS. Turic. et veteres editiones, *nec exigere.* Plus quàm muliebris, ac Germanicæ fuit fortitudinis, plagas numerare, eas exigere, id est, decoræ, an inhonestæ forent, probarè, nec pavere. Perperam in MS. Arundel. *mirari* pro *numerare.*

Et hortamina. Optimè dictum, *gestant cibos et hortamina.* Ridiculè finxit Colerus hortaminibus vinum designari: ridiculè magis et absurdè ille qui emendabat, *et hordei vina.*

CAP. 8. *Puellæ quoque nobiles.* Mallet Illustr. Huetius, *nubiles.* Sed et nobiles esse potuere. Mox infra cap. 13. de nobilitate Germanorum agitur.

Responsa negligunt. Quâ crudelitate fœminæ apud Cimbros divinarent docet Strabo, VII. p. 294. "Ἔθος δέ τι τῶν Κίμβρων διηγοῦνται τοιοῦτον, ὅτι ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν συστρατευούσαις, παρηκολούθουν προμάντεις ἱέρειαι πολιότριχες, λευκείμονες, καρπασίναις ἐφαπτίδας ἐπιπεπορπημέναι, ζῶσμα χαλκοῦν ἔχουσαι, γυμνόποδες· τοῖς οὖν αἰχμαλώτοις διὰ τοῦ στρατοπέδου συνήντων ξιφήρεις· καταστρέψασαι δ' αὐτοὺς ἦγον ἐπὶ κρατῆρα χαλκοῦν ὅσον ἀμφορέων εἴκοσι· εἶχον δὲ ἀναβάθραν, ἣν ἀναβᾶσα ὑπιρπετὴς τοῦ λέβητος ἐλαιμοτόμει ἕκαστον μετεωρισθέντα· ἐκ δὲ τοῦ προχεομένου αἵματος εἰς τὸν κρατῆρα, μαντείαν τινὰ ἐποιοῦντο· ἄλλαι δὲ διασχίσασαι, ἐσπλάγχνευον ἀναφθεγγόμεναι νίκην τοῖς οἰκείοις. " Morem hunc fuisse Cimbris usitatum ferunt. Sequentibus eos

in bellum uxoribus, vates quædam comitabantur canæ, albo vestitu, carbasinis supparis desuper fibulis affixis, cinctu æreo, pedibus nudis: eæ per castra captivis occurrebant strictis gladiis, prostratosque ad crateram æneam adducebant amphoras circiter 20. capientem. Super eam pulpitum erat, quo conscenso, vates sublimis singulis supra lebetem elevatis guttur incidebat: è sanguine in crateram fuso suam captabant quamdam divinationem: reliquæ cadavera sic cæsorum scindebant, intestinisque spectatis, victoriam suis vaticinabantur."

Veledam. Ita MSS. Vatic. 1862 et 4498. ac recentes editiones. In veteribus editionibus, *Velledam.* Malè MS. Vatic. 2964. *Voledam.* MS. Vatic. 1518. *Valedam.* Gannam, quæ Veledæ successit, memorat Dio, LXVII. p. 761. *Γάννα παρθένος, ἣν δὲ μετὰ τὴν Βελήδαν ἐν Κελτικῇ θειάτουσα.*

Loco habitam. Verba illa, *habitam. Sed et olim Auriniam, et complures,* desunt in MS. Vatic. 2964.

Auriniam. Ita MS. Vatic. 1518. et libri editi. In MS. Vatic. 1862. *Alberniam.* MS. Vatic. 4498. *Albriniam.* Lipsius ait scriptum fuisse in MS. Farnes. *Fluriniam:* unde conjiciebat, *Aluriniam.*

CAP. 9. *Advectam religionem.* Perperam veteres editiones, *adjectam.* Emendandum *advectam* optimè viderat Muretus.

CAP. 10. *Temerè ac fortuitò.* In Cod. Kapp. *fortuitu.* Sic sæpe Cicero, ac maximè in libro de Officiis, I. 29. "Ne quid temerè ac fortuitu, inconsideratè negligenterque agamus."

Si publicè consuletur. Ita veteres editiones et recentiores. Rhenanus emendaverat, *consulatur.*

Pressos sacro curru. Malè tentat Gronovius, et Markland. ad Stat. 18. *prensos.* Benè Ernestus laudat Ovidium, Metam. I. 124.

"Pressique jugo gemuere juvenci."

Pro præjudicio. In MS. Vatic. 4498. *pro judicio.*

CAP. 11. *Pertractentur.* Grotius, Acidalius et Boxhornius nallent, *prætractentur;* atque ita edendum censet Cl. de la Bleterie. At *prætractare* Latinum non est. Veteres scriptores lixere, *antè tractare.* Sic Suetonius in August. XXXV. "Sibique nstituit consilia sortiri semestria, cùm quibus de negotiis ad requentem senatum referendis antè tractaret." Prætereà *prætractentur* frigidum foret, et à Taciti mente alienum. Paulo meliùs Illustr. Huetius, *pertractentur,* explicat, *quasi populi decretis principes intercedere possint.*

Inciderit. In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *incidit.*

Auspicatissimum. Benè Beroaldus. In veteribus editionibus, *auspicacissimum.*

Nec ut jussi. Ita MSS. Vatic. 1862 et 1518. Quod meritò probaverant Lipsius et Ernestus. In MS. Vatic. 4498. et veteribus editionibus, *nec jussi.* MS. Vatic. 2964. *nec injussi.* MS. Arundel. *nec ut jussu.*

Quibus tum. Malè MSS. Vatic. 1862 et 2964. *quibus tamen.*

Ut turbæ placuit. Meliùs, *ut turba placuit,* id est, satis numerosa visa est. Sic quoque volebat Gronovius, atque ita edidit Cl. Lallemand. Verùm cùm ceteri omnes libri habeant, *ut turbæ placuit,* atque id quoque Latinum sit, nihil mutavi.

CAP. 12. *Arboribus suspendunt.* Quàm graviter punirentur, qui reos inde deposuissent, æstimari potest ex Lege Salicâ, Tit. LXIX. Leg. 1. "Si quis hominem vivum de furcâ tollere præsumserit, et fugâ lapsus fuerit, ille qui eum tulerit, aut vitam pro ipso amittat, aut VIII M. den. qui faciunt solidos, CC. culpabilis judicetur." Ne mortuum quidem deponere licebat. Ibid. Leg. 4. "Si quis sine consensu judicis, de ramo, ubi incrocatur, deponere præsumserit, MCC. denar. qui faciunt solidos XXX. culpabilis judicetur." Ita autem suspensos diu vixisse patet ex Riculfo clerico, de quo Gregorius Turonensis, v. 50. "Ab horâ tertiâ diei, revinctis post tergum manibus, suspensus ad arborem dependebat; ad horam verò nonam depositus, extensusque ad trocleas, cædebatur fustibus, virgis, ac loris duplicibus, et non ab uno, vel duobus, sed quot accedere circa

miseros potuissent artus, tot cæsores erant. Cùm autem jam in discrimine esset, tunc aperuit veritatem, et arcana doli publicè patefecit."

Corpore infames. Malè tentat Lipsius, *torpore infames.* Cl. de Montesquieu, hâc Lipsianâ emendatione deceptus, scripsit, "Esprit des Loix," XXX. 19. "Il paroît que les Germains ne connoissoient que deux crimes capitaux; ils pendoient les traîtres, et noyoient les poltrons." Infamem quidem corporis mollitiam à Germanis amotam voluit Lipsius, ob auctoritatem Quintiliani, in Declamatione, III. "de Militis pudicitiâ à tribuno tentatâ," adseverantis: "Nihil tale novere Germani, et sanctiùs vivitur ad Oceanum." At cùm id flagitium Celtis tribuat Athenæus, XIII. p. 603. nihil est cur vexetur Tacitus, qui iisdem verbis jam usus est Annal. I. 73. et XV. 49. Prætereà quomodò cinædi nomen, utì vidimus in notis apud Germanos, summa fuit injuria, si hanc infamiam minimè noverint? Rarissimum quidem, ob morum austeritatem, fuisse hoc vitium apud Germanos crediderim. Contra verò apud Romanos ob luxuriam erat frequentissimum. Adversùs *illud* intonat Juvenalis, Satyr. II. 15 et seq. Graviùs posteà intonuit Constantinus in Cod. lib. IX. Tit. 9. "Ad Legem Juliam." Leg. 31. "Jubemus insurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel qui futuri sunt rei." De hâc quoque infamiâ ejusque pœnâ vide Legem Wisigothorum, lib. III. Tit. 5. Leg. 8.

Levioribus delictis. In pœnis attendebant Germani ad damna, ad acerbitatem injuriarum, ad dignitatem personarum. Inde in Lege Salicâ, Tit. III. "de Furtis animalium." Leg. 1. "Si quis vitulum lactentem furaverit, MALB. PEDERO, aut FREODO, CXX. den. qui faciunt solid. III. culpabilis judicetur, excepto capitale et delaturâ: ut jam dictum supra.

Leg. 9. "Si quis taurum regis furaverit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit (tres enim villæ, aut vici communem taurum pulcherrimumque alebant) hoc est tres-bellio, MALB. CHAMITHEUTO MDCCC. den. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale et delaturâ."

Leg. 10. " Si quis taurum regis furaverit, MAL. CHAMUTEVO S. M. DC. excepto capitale et delaturâ."

Apud venatorem populum pecorumque altorem magna in canibus utilitas. Inde lex Salica, Tit. VI. " de Furtis canum." Leg. 1. " Si quis canem segusium, *Angl. an untrained hunting-dog*, magistro suo furaverit, MALB. LEODASDI, DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale et delaturâ."

Leg. 2. " Si quis segusium magistrum canem, *Angl. a trained hunting-dog*, furaverit, MALB. TROVVIDOVVANNO TUENECHUNNE, M. DCCC. den. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale et delaturâ."

In summâ quoque artium ruditate magna cultellorum pretia. Ideo lex Salica, Tit. LXXIII. " de cultello sexxaudro, id est, cultro alterius," ut explicat eruditus Eccardus. Leg. 1. " Si quis alteri cultellum furaverit, et ei fuerit adprobatum, ipsum in loco restituat, et insuper DC. den. qui faciunt sol XV. culpabilis judicetur."

Apud Saxones fuit sanè equis gratia plurima, quoniam ad eos servandos à Germanicâ humanitate descivere, atrociterque statuerunt, ut videre est in Lege Saxonum, Tit. IV. " de Furtis." Leg. 1. " Qui caballum furaverit, capite puniatur." Id tanto magis singulare, quòd in eâdem lege, Tit. II. " de occisionibus," si nobilis, litus, servusve occisus, pecuniâ componitur.

Illata vis majoribus pœnis subjacebat. Sic lex Salica, Tit. XII. " de Furtis ingenuorum vel effracturis." Leg. 1. " Si quis verò ingenuus de foris casâ quod valent duo denarii furaverit, MALB. LEUDARDI, DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale et delaturâ."

Leg. 3. " Si verò ingenuus de intus casâ furaverit, aut fregerit quod valent duo denar. MALB. ANTIDIO, M. DCCC. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale et delaturâ."

Leg. 5. " Si verò ingenuus clavem effregerit, aut adulteraverit, et sic dominum ingressus fuerit, et per furtum aliquid tulerit, MALB.

ANTIDIO, M. DCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale et delaturâ."

Leg. 6. "Si verò effregerit, et nihil tulerit, et fugiens evadit, propter effracturam tantùm M. CC. denar. qui faciunt sol. XXX. culpabilis judicetur, excepto capitalę et delaturâ."

Tentatum quoque crimen puniebatur. Lex Salica, Tit. XX. "de Vulneribus." Leg. 1. "Si quis alterum voluerit occidere, et colpus, *Angl. the blow*, prætersallierit, MALB. seu LANDOVEVAS, MMD den. qui faciunt sol. LXII. et dimidium culpabilis judicetur."

Ceterùm ex gravitate vulnerum major minorve pœna, teste Lege Salicâ, ibid. Leg. 3. "Si quis hominem plagaverit, et sanguis ad terram cadit, et ei fuerit adprobatum, MALB. CHARFRIDO, DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur."

Leg. 4. "Si quis hominem in capite plagaverit, et exinde ossa exierint, MALB. CHARFRIDO, M. CC. den. qui faciunt solid. XXX. culpabilis judicetur."

Leg. 5. "Si quis hominem ita plagaverit, ut cerebrum appareat, et tria ossa desuper cerebro exierint, MALB. AVDE AFENUS, M. DCCC. denar. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur." Expressior adhuc hâc in re Lex Saxonum, Tit. I. "de vulneribus," et Tit. XXII. "de Dolg." ubi singulis fermè ictibus pœna pretiumque. Vide quoque Legem Ripuariorum, Tit. V. de "Debilitatibus." Homicidii autem pretium habet Lex Salica, Tit. XLIV. "de Homicidiis ingenuorum." Leg. 1. "Si quis ingenuus Franco aut barbarum, aut hominem, qui Salicâ lege vivit, occiderit, MALB. LEVDI VIIIM. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur."

Si quis autem hoc scelus occuleret, gravior erat pœna. Unde Lex Salica, ibid. Leg. 2. "Si verò eum in puteum aut sub aquam miserit, MALB. VVATH LEUDI. XXIIII M. denar. qui faciunt solid. DC. culpabilis judicetur." Et Leg. 5. ubi de homine nobili agitur. "Si verò eum de hallis aut de ramâ, *Angl. underwood and branches*, superoperuerit, similiter LXXIIM. den. qui faciunt solid. MDCCC. culpabilis judicetur."

Immo in his pœnis fuit populorum distinctio. Et Romana gens,

tam diu domina gentium habita, deterrimæ conditionis facta est; ut patet ex Lege Ripuariorum, Tit. VII. "de Homicidio ingenuorum." Leg. 1. "Si quis ingenuus hominem ingenuum Ripuarium interfecerit, ducentis solidis culpabilis judicetur." et Tit. XXXVI. "de Diversis interfectionibus." Leg. 1. "Si quis Ripuarius advenam Francum interfecerit, ducentis solidis culpabilis judicetur." Leg. 2. "Si quis Ripuarius advenam Burgundionem interfecerit, centum sexaginta solidis culpabilis judicetur." Leg. 3. "Si quis Ripuarius advenam Romanum interfecerit, centum solidis multetur." Leg. 4. "Si quis Ripuarius advenam Alamannum, seu Fresionem, vel Bajuvarium, aut Saxonem interfecerit, centum sexaginta solidis culpabilis judicetur." Pluribus abstineo, ne infinitus sim. Si quis autem Germanorum mores penitus cognoscere voluerit, eorum leges evolvat penitusque introspiciat.

Pro modo, pœna. Benè Acidalius et Ernestus. Malè veteres editiones, *pro modo pœnarum.*

Pecorumque numero. Jam vidimus supra in notis, juxta leges Saxonum, Westfalaiorum, Angrariorum et Ostfalaiorum, multas numero pecorum fuisse exsolutas. Plura adhuc et hâc de re curiosa docent leges Ripuariorum, Tit. XXXVI. "de Diversis interfectionibus." Leg. 11. "Si quis weregeldum (id est, multam, seu compositionem) solvere debet, bovem cornutum videntem et sanum pro duobus solidis tribuat, vaccam cornutam videntem et sanam pro uno solido tribuat, equum videntem et sanum pro sex solidis tribuat, equam videntem et sanam pro tribus solidis tribuat, spatam cum scogilo (id est, gladium ensemve cum vaginâ) pro septem solidis tribuat, spatam absque scogilo pro tribus solidis tribuat, bruniam bonam (id est, loricam bonam) pro duodecim solidis tribuat, helmum cum directo (id est, cassem galeamve cum apice) pro sex solidis tribuat, bainbergas bonas (id est, fœminalia bona, *armour for the thighs,*) pro sex solidis tribuat, scutum cum lanceâ pro duobus solidis tribuat, acceptorem non domitum (id est, accipitrem juvenem nec venationi exercitatum) pro tribus solidis tribuat, commorsum gruarium (id est, accipitrem, qui mordet grues, seu qui in venatione gruum est exercitatus)

pro sex solidis tribuat, acceptorem mutatum (id est, accipitrem qui plumas mutavit,) pro duodecim solidis tribuat." Leg. 12. "Quòd si cum argento solvere contigerit, solido duodecim denarios, sicut antiquitùs est constitutum." Solidus ille Ripuariorum valebat circiter *Angl.* 3*s.* 6*d.* Nihil hoc loco præstantius, ut Germanorum mores opesque æstimentur.

CAP. 13. *Quàm civitas suffecturum probaverit.* Locus hic Ernesto vix sanus videtur. Conjicit, *quàm civitati se maturum probaverit.* Nolim veterem scripturam damnare. Et si quid mutandum foret, emendarem potiùs, *quàm civitati se suffecturum probaverit.*

Tum in ipso concilio. Malè MS. Arundel. et veteres editiones, *tum eum.* Benè in veteribus et recentioribus editionibus, *concilio.* Perperam in mediis, *consilio.*

Ceteri robustioribus. MSS. et libri editi, *ceteris robustioribus.* Quod quidem plurimi defendunt, quasi adolescentuli, dignationem principis nobilitate et magnis patrum meritis assecuti, ceteris robustioribus aggregarentur. Contra verò Lipsius, Freinshemius, Conringius et Ernestus, vitio librariorum locum luxatum putant, et corrigunt, *ceteri.* Id certè postulat, ipsa rerum series. Mox pro *aggregantur*, in vetere libro apud Lipsium, *aggreganf.*

Nec rubor. Mallet Ernestus, *rubori.* At utrumque Latinè dicitur, ut ipse fatetur.

Quibus primus. Acidalius mallet, *cui.* At nec malè, *quibus.* Plures sanè fuere principibus comitum classes.

Hæc dignitas, hæ vires. Ad Gallicæ linguæ decus et vividæ interpretationis specimen, hìc locum proferam, quo breves validosque Taciti sensus æquavit Cl. de Montesquieu, "Esprit des Loix," XXX. 3. "Tacite dit que chaque prince avoit une troupe de gens qui s'attachoient à lui, et le suivoient. Cet auteur qui, dans sa langue, leur donne un nom qui a du rapport avec leur état, les nomme *compagnons.* Il y avoit entre eux une émulation singulière pour obtenir quelque distinction auprès du prince, et une même émulation entre les princes sur le nombre et la bravoure de

leurs *compagnons*. 'C'est, ajoute *Tacite*, la dignité, c'est la puissance, d'être toujours entouré d'une foule de jeunes gens que l'on a choisis; c'est un ornement dans la paix, c'est un rempart dans la guerre. On se rend célèbre dans sa nation et chez les peuples voisins, si l'on surpasse les autres par le nombre et le courage de ses compagnons: on reçoit des présents: les ambassades viennent de toutes parts. Souvent la réputation décide de la guerre. Dans le combat, il est honteux au prince d'être inférieur en courage; il est honteux à la troupe de ne point égaler la valeur du prince; c'est une infamie éternelle de lui avoir survêcu. L'engagement le plus sacré, c'est de le défendre. Si une cité est en paix, les princes vont chez celles qui font la guerre; c'est par-là qu'ils conservent un grand nombre d'amis. Ceux-ci reçoivent d'eux le cheval du combat et le javelot terrible. Les repas peu délicats, mais grands, sont une espece de solde pour eux. Le prince ne soutient ses libéralités que par les guerres et les rapines. Vous leur persuaderiez bien moins de labourer la terre et d'attendre l'année, que d'appeller l'ennemi et de recevoir des blessures; ils n'acquerront pas par la sueur ce qu'ils peuvent obtenir par le sang.'" In iis quidem pauca omisit immutavitve Cl. de Montesquieu, quòd scriptor esset, non interpres. Bona probemus, emendemus cetera. Tacitum à tali viro, quod quidem diu meditatus est, in Gallicum sermonem versum non fuisse, semper manebit desiderium.

Electorum juvenum. MS. Arundel. et Cod. Kapp. *et electorum*. Unde tentat Ernestus, *et lectorum*. Eleganter quidem, sed non necessariò.

In suâ gente cuique. *Cuique* abest à MS. Vatic. 2964.

Cap. 14. *Non adæquare*. In veteribus editionibus, *non æquare*.

Præcipuum sacramentum. In veteribus editionibus, et MS. apud Lipsium, *principum sacramentum*.

Et faciliùs inter ancipitia clarescunt. In Spirensi et Poggianâ editionibus, *clarescant*. Puteolanus emendaverat, *et ut .... clarescant*.

Tueare. Ita MSS. Vatic. 1518 et 4498. veteres quoque et recentes editiones. In MS. Vatic. 2964. et mediis editionibus,

tueantur. MS. Vatic. 1862. *tuentur.* Paulo antè fortè olim scriptum, *magnum quoque numerum.*

Nam epulæ, et quamquam. Benè Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *nam epulæ et convictus, &c.*

CAP. 15. *Ipsi hebent.* Optimè Lipsius è MS. Farnes. Malè in Spirensi editione, *ipsi habent mirâ, &c.* Unde Puteolanus emendavit, *ipsi habent miram diversitatem.*

Vel armentorum, vel frugum. Locum hunc imminutum esse existimat Lipsius; et conjicit olim scriptum fuisse, *ultro ac viritim x. conferre vel armentorum, &c.* ut intelligatur Germanos decimas armentorum et frugum contulisse. At in vulgatâ scripturâ nihil peccat: immo multùm elegantiæ: intellige, *id.* His genitivis gaudent scriptores Romani. Perperam Rhenanus è vestigiis Cod. Kapp. emendabat, *ultro equitium conferre.* In illo codice scriptum corruptè, *ac jurium* pro *ac viritim,* ut rectè observat Ernestus.

Sed publicè. In MS. Arundel. et Cod. Kapp. *Sed et publicè.*

CAP. 16. *In nostrum morem.* MS. Arundel? *nostro more.*

Imitetur. Ita libri omnes, præter Gryphianam editionem, in quâ, *invitet:* sanè operarum vitio. Paulo antè in veteribus editionibus, *liniamenta.*

Fimo onerant. In MSS. Bamberg. et Arundel. *Fimo operiunt.* Non ita benè; cùm supra usurpatum sit, *aperire.*

Aperta populatur. In MS. Vatic. 2964. et Cod. Kapp. *aperta populatio.*

CAP. 17. *Spinâ consertum.* Frustra tentat Lipsius, *pinnâ.*

Spargunt maculis pellibusque. Perperam Lipsius vitium quærit in *maculis,* ut de mastrucis commententur. *Mastruca* autem, teste Isidoro, Origin. XIX. 23. est *vestis Germanica ex pelliculis ferarum.*

CAP. 18. *Matrimonia.* Germanorum pudicitiam, severitatemque matrimoniorum testantur veteres omnes leges. Unum tantùm aut alterum exemplum è Lege Salicâ seligam. Lex Salic.

Tit. XIV. " de Ingenuis hominibus, qui mulieres ingenuas rapiunt." Leg. 8. " Si quis puellam sponsatam tulerit, et sibi in conjugium sociaverit, MALB. ANASTHEO, MMD. den. qui faciunt sol. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur." Leg. 9. " Sponso autem ejus DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur." Leg. 10. " Si quis puellam sponsatam, druthe ducente ad maritum (id est, sponsâ maritum adeunte) et eam in viâ aliquis adsalierit, et cum ipsâ violenter mœchatus fuerit, MALB. CHANGICALDO, VIIIM. den. qui faciunt solid. CC. culpabilis judicetur." Leg. 12. " Si quis sororem, aut fratris filiam, aut certè alterius gradûs consobrinam, aut fratris uxorem, aut avunculi, sceleratis nuptiis sibi junxerit, huic pœnæ subjaceat, ut à tali consortio separetur; atque etiam si filios habuerint, non habeantur legitimi heredes, sed infamiâ sunt notati." Leg. 13. " Si quis ingenuam fœminam aut puellam, contubernio facto, seu in itinere, aut quolibet loco adsalierit, et vim illi inferre præsumserit, tam unus quàm plurimi, qui in ipsâ violentiâ fuerint admixti, CC. solid. unusquisque ipsorum culpabilis judicetur. Et si adhuc de illo contubernio remanserint, qui scelus istud non admisisse noscuntur, et tamen ibidem fuerint, eorum quilibet pro ipsis XLV. sol. culpabilis judicetur." Vide et Tit. XXIII. " de Manu mulierum non stringendâ."

Non uxor marito. A MSS. Bamberg. et Arundel. abest, *marito.* Manet adhuc apud nos prisci usûs memoria in uxorum dote: illumque illustrant veteres Formulæ, quæ scriptæ sunt, cùm opes humanitasque crevissent. Sic autem Formula XIV. " de Donatione in spònsâ factâ." " Lex et consuetudo exposcit, ut quicquid inter sponsum et sponsam de futuris nuptiis fuerit diffinitum vel largitum, aut ex consensu parentum, aut ipsi si sui juris sunt, scripturarum solennitate firmetur. Idcircò ego in Dei nomine ille N. dum multorum habetur percognitum, quòd ego te illa N. unà cum consensu parentum, vel amicorum nostrorum, tuâ spontaneâ voluntate sponsavi, mihi placuit ut aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante dies nuptiarum tibi confirmare deberem. Quod ita et feci. Ergò dono tibi donatumque esse volo locellum, rem proprietatis meæ, nuncupantem illum N. situm in pago illo N. cum terris, ædificiis,

accolabus, mancipiis, libertis, vineis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus et immobilibus, cum omni supra posito suisque adjacentiis tam de alode, quàm et de comparato, seu de quâlibet adtracto, totum et ad integrum, sicut à me præsenti tempore videtur esse possessum; et in fabricaturas aurum tantum, argentum tantum, vestimenta. Hæc omnia superiùs jam dicta per hunc titulum libelli dotis diebus nuptiarum tibi sum impleturus, vel traditurus, ita ut, dum advixeris, secundum legis ordinem teneas atque possideas, nostrisque qui ex nobis procreati fuerint filiis vel filiabus derelinquas. Si quis verò, si ego ipse, aut ulla quislibet persona fuerit, qui contra hanc donationem aliquid agere vel calumniam generare præsumserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit solidos centum componat. Et hæc donatio meis vel bonorum hominum manibus roborata cum stipulatione subnixa firma permaneat." Immo et apud Germanos emebantur uxores, ut patet ex Lege Saxonum, Tit. VI. "de Conjugiis," Leg. 1. "Uxorem ducturus CCC. solidos det parentibus ejus: si autem sine voluntate parentum, puellâ tamen consentiente, ducta fuerit, bis trecentos solidos, parentibus ejus componat. Si verò nec parentes, nec puella consenserunt, id est, si per vim rapta est, parentibus ejus trecentos solidos, puellæ CCXL. componat, eamque parentibus restituat." Plura vide, si volueris, in Lege Burgundionum, Tit. LXVI. et Tit. LXIX. "de Wittemon, id est, de Dote." Vide quoque Legem Salicam, Tit. XLVII. et Legem Ripuariorum, Tit. XXXVII. Quâ autem pompâ uxorem peterent, intelligi potest ex epistolâ Sidonii Apollinaris, IV. 20. "Sidonius Donitio suo salutem. Tu cui frequenter arma, et armatum, et armatos inspicere jucundum est, quam voluptatem putamus mente conciperes, si Sigismerem, regium juvenem, ritu atque cultu gentilicio ornatum, utpote sponsum, seu petitorem, prætorium soceri expetere vidisses! Illum equus quidem phaleris comtus, immo equi radiantibus gemmis onusti antecedebant, vel etiam subsequebantur: cùm tamen hoc magis ibi decorum conspiciebatur, quòd præcursoribus suis sive pedisequis, pedes et ipse medius incessit, flammeus cocco, rutilus auro, lacteus serico. Tum cultu tanto, coma rubore cuti concolor. Regulorum quoque

sociorumque comitantum forma et in pace terribilis: quorum pedes primi, perone setoso, talos adusque vinciebantur. Genua, crura, suræque sine tegmine. Præter hoc vestis alta, stricta, versicolor, vix appropinquans exertis poplitibus. Manicæ sola brachiorum principia velantes. Viridantia saga limbis marginata puniceis, penduli ex humero gladii balteis super currentibus strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus. Eo quo comebantur ornatu muniebantur, lanceis uncatis, securibusque missilibus dextræ refertæ, clypeis levam partem adumbrantibus, quorum lux in orbibus nivea, fulva in umbonibus, ita sensum prodebat, ut studium. Cuncta prorsus hujusmodi, ut in actione thalamorum, non appareret minor Martis pompa, quàm Veneris."

Sed boves. Mallet Pichena, *sed binos boves;* quòd mox sequatur, *hoc juncti boves, &c.*

Sic vivendum, sic pereundum. Benè MSS. Vatic. 1518 et 4498. In MS. Vatic. 2964. *sic viventes, sic parientes.* MS. Vatic. 1862. *sic pariendum.*

Rursusque. Benè Rhenanus. Perperam in veteribus editionibus, *rursus quæ.*

Referant. In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *referantur.*

CAP. 19. *Septâ pudicitiâ.* In MS. Turic. *septæ.*

Pœna præsens. MSS. Bamberg. et Arundel. *pœna parentibus et maritis.*

Verbere agit. MS. Arundel. *verberans agit.*

Pudicitiæ. MS. Vatic. 2964. *impudicitiæ.* Mallet Lipsius, *publicatæ etiam pudicitiæ.* Et benè quidem. Id de innuptis, non de adulteris dicitur. Nec ita indiligens Tacitus, ut scripserit, *publicatæ enim, &c.* et mox, *nemo enim, &c.*

Et corrumpi. MS. Vatic. 2964. *nec corrumpi.*

Seculum vocatur. Cod. Kapp. *vocantur.*

Ne ulla cogitatio. Mallet Groslotius, *nec ulla* .... ac mox, *nec longior* .... *nec tamquam.* Quod primo quidem loco probat Ernestus, non reliquis: nisi etiam corrigatur, *amant.*

Tamquam maritum. Frustra quidem emendant, *moritum.* Nec benè Grotius sententiam ita invertit, *ne tamquam matrimonium,*

sed tamquam maritum ament; ut discerent, inquit, mulieres conjugium amare conjugis causâ, non conjugem conjugii causâ.

Finire. Cùm respublica liberis, in ejus spem defensionemque natis, nitatur, eorum saluti mirâ severitate consuluere Germani; ut videre est in Lege Salicâ, Tit. XXVIII. "de Homicidiis parvulorum." Leg. I. "Si quis puerum infra duodecim annorum, non tonsoratum occiserit, MALB. ASCHARA LEVDARDI. XXIIIIM. den. qui faciunt solid. DC. culpabilis judicetur." Leg. 4. "Si quis fœminam ingenuam gravidam trabattit (id est, graviter percutit) et ipsa fœmina fuerit mortua, MALB. ANVANO LEVDINIA XXVIIIM. den. qui faciunt sol. DCC. culpabilis judicetur." Leg. 5. "Si quis verò infantem in ventre matris suæ occiderit, MALB. ANOVVADO. VIIIM. den. qui faciunt sol. CC." Leg. 7. "Si quis fœminam ingenuam, postquàm infantes habere non potest, occiderit, MALB. LEODINIA. VIIIM. denar. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur." Leg. 8. "Si quis fœminam ingenuam, postquàm cœperit infantes habere, occiderit, MALB. LEODINIA. XXIIIIM. den. qui faciunt solid. DC. culpabilis judicetur." Leg. 9. "Si quis puellam ingenuam occiderit, MALB. EX MALA LEVDI. VIIIM. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur." Tantum liberis parentibusque pretium! Ex hoc sanè liberorum studio profluxit apud Germanos *jus Hagenstolziatûs,* quod adhuc viget in superiore Palatinatu et superiore circulo Rhenano. *Hagestoltzen* autem, *Angl. old bachelors,* dicuntur cœlibes, quinquaginta annos nati. Qui si moriantur, eorum quidem bona feudalia alodialiaque ad propinquos pertinent, at bona, eorum industriâ parta, in pœnam cœlibis vitæ ærarium publicum sibi vindicat. Vide Cl. Hubner, "Géographie universelle," Vol. VI. p. 471.

Quemquam ex agnatis. Frustra tentat Lipsius, *ex gnatis.*

CAP. 20. *Validæque.* Ita veteres et recentiores editiones. Lipsius, *validi.*

Magis exigunt. MS. Arundel. *maximè.*

Sui cuique liberi. Apud Germanos nullum erat testamentum. Iis ignota ars illa, quâ penes Romanos, hereditatis firmandæ

servandæque specie, plerumque hereditas pervertebatur, semper imminuebatur. Germanorum hereditas ad liberos tota transibat. Quibus tamen successionum legibus docendum.

DE SUCCESSIONUM

LEGIBUS APUD GERMANOS.

Germanicarum successionum leges habet Lex Salica, Tit. LXII. " de Alodis." Leg. 1. " Si quis mortuus fuerit, et filios non dimiserit, si pater aut mater superstites fuerint, in ipsam hereditatem succedant."

Leg. 2. " Si pater et mater non superfuerint, et fratrem aut sororem dimiserit, in hereditatem ipsi succedant."

Leg. 3. " Si isti non fuerint, tunc soror matris in hereditate succedat."

Leg. 4. " Si verò soror matris non fuerit, sic soror patris in hereditate succedat."

Leg. 5. " Et posteà sic de illis generationibus, quicumque proximior fuerit, ipsi in hereditate succedant, qui ex genere paterno veniunt."

Leg. 6. DE TERRA VERO SALICA IN MULIEREM NULLA PORTIO HEREDITATIS TRANSIT, SED HOC VIRILIS SEXUS ACQUIRIT, HOC EST, FILII IN IPSA HEREDITATE SUCCEDUNT. SED UBI INTER NEPOTES AUT PRONEPOTES, POST LONGUM TEMPUS, DE ALODE TERRAE CONTENTIO SUSCITATUR, NON PER STIRPES, SED PER CAPITA DIVIDANTUR.

Ex his legibus, sexta potissimùm insignis est. Quæ ut intelligatur, advertendum in hâc temporum antiquitate Germanos, uti observat eruditus Eccardus, habuisse domum, quam vocabant *Sal*; circa domum fuisse *Salbuck*, seu curtim, spatiumve terræ, domui circumdatum, et sepe cinctum. Spatium illud cum domo est *Seliland*, seu terra salica, quæ ad solos filios pertinebat: nec immeritò; cùm filiæ in aliam domum terramque salicam nuptiis transirent.

His præmonitis, nihil manet difficultatis. Legem Salicam firmat tantùm et explicat Lex Ripuariorum, Tit. LVI. " de Alodibus."

Leg. 1. " Si quis absque liberis defunctus fuerit, si pater materque superstites fuerint, in hereditatem succedant."

Leg. 2. " Si pater materque non fuerint, frater et soror succedant."

Leg. 3. " Si autem nec eos habuerit, tunc soror matris patrisque succedant. Et deinceps usque ad quintum genuculum *(id est, ad quintam generationem)*, qui proximus fuerit, in hereditatem succedat. SED CUM VIRILIS SEXUS EXTITERIT, FŒMINA IN HEREDITATEM AVIATICAM NON SUCCEDAT."

Hereditas illa aviatica, aliis paterna, aliis alodium, aliis terra salica dicta, eadem et una res est, quæ ad virilem sexum, non ad muliebrem pertinebat. Plurimos adhuc Germanorum usus edocet Lex Angliorum et Werinorum, Tit. VI. " de Alodibus."

Leg. 1. " HEREDITATEM DEFUNCTI FILIUS, NON FILIA SUSCIPIAT. SI FILIUM NON HABUIT QUI DEFUNCTUS EST, AD FILIAM PECUNIA ET MANCIPIA, TERRA VERO AD PROXIMUM PATERNAE GENERATIONIS CONSANGUINEUM PERTINEAT."

Leg. 2. " Si autem nec filiam habuit, soror ejus pecuniam et mancipia: terram proximus paternæ generationis accipiat."

Leg. 3. " Si autem nec filium, nec filiam, neque sororem habuit, sed matrem tantùm superstitem reliquit, quod filia vel soror debuerunt, mater suscipiat, id est, pecuniam et mancipia."

Leg. 4. " Quòd si nec filium, nec filiam, nec sororem, aut matrem dimisit superstites, proximus, qui fuerit paternæ generationis, heres ex toto succedat, tam in pecuniâ atque mancipiis, quàm in terrâ."

Leg. 5. " Ad quemcumque hereditas terræ pervenerit, ad illum vestis bellica, id est, lorica, et ultio proximi, et solutio leudis *(id est, compositionis, seu Weregildi)* debet pertinere."

Leg. 6. " Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiæ verò spolia colli, id est, murenas, nuscas *(seu fibulas)*, monilia, inaures, vestes, armillas, vel quidquid ornamenti proprii videbatur habuisse."

Leg. 7. " Si nec filium, nec filiam habuerit, sororem verò habuerit, sorori pecuniam et mancipia, proximo verò paterni generis terram relinquat."

Leg. 8. " Usque ad quintam generationem paterna generatio succedat. Post quintam autem filia ex toto, sive de patris sive matris parte, in hereditatem succedat, et tunc demum hereditas ad fusum à lanceâ transeat."

Veterem Germanorum usum mutavere Burgundiones, ut patet ex eorum Lege, Tit. XIV. " de Successionibus." Leg. 1. " Inter Burgundiones id volumus custodiri, ut si quis filium non reliquerit, in loco filii filia in patris matrisque hereditate succedat." Nec aliter Lex Saxonum, Tit. VII. " de Heredibus." Leg. 1. " Pater aut mater defuncti filio non filiæ hereditatem relinquant." Leg. 4. " Qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnis hereditas pertineat; tutela verò earum fratri vel proximo paterni generis deputetur."

Nihil verò veteris moris mansit apud Wisigothos, qui filiorum filiarumque jus commune fecere. Sic enim Lex Wisigothorum, lib. IV. Tit. 2. " Ut sorores cum fratribus æqualiter in fratrum hereditate succedant." Leg. 1. " Si pater vel mater intestati discesserint, tunc sorores cum fratribus in omni parentum facultate, absque alio objectu, æquali divisione succedant." Aliæ sunt plurimæ eâdem de re eorum leges.

Apud nos verò, in regnatrice domo, viget et in immensum aucta Lex Salica, egregium imperii decus, et securitatis publicæ tutamentum.

Tanto gratiosior. Ita MS. Vatic. 1518. et recentiores editiones. In MSS. Vatic. 2964 et 4498. veteribusque editionibus, *tanto gratior.*

CAP. 21. *Nec implacabiles.* Cùm apud Germanos homicidia primùm armentorum pecorumque numero, ac deinde angescentibus opibus, pecuniâ luerentur, ne tamen reorum paupertate glisceret audacia, benè consultum, ut satisfactio in interfectoris domum transiret. Quibus autem ritibus id perageretur, docet Lex Salica, Tit. LXI. "de Chren crude: id est, de vacuo." Leg. 1. "Si quis hominem occiderit, et in totâ facultate non habuerit, unde totam legem impleat, duodecim juratores dabit, quod nec subtus terram, neque supra terram plus de facultate habeat, quàm donavit. Et posteà debet in casam suam intrare, et de quatuor angulis terræ pulverem in pugno colligere, et posteà in duropello, *id est, casa limine,* stare, et intus casam cuptare, *id est, respicere,* debet, et sic de sinistrâ manu trans suas scapulas jactare super proximiorem parentem. Quòd si jam pater, aut mater, seu frater pro ipso solverunt, super sororem tunc matris, aut super ejus filios debet illam terram jactare: quòd si isti non fuerunt, super tres de generatione patris et matris, qui proximiores sunt: et posteà in camisiâ discinctus, discalceatus, palo in manu supra sepem salire, ut pro medietate quantum pro compositione deberet, aut quantum lex addicat, illi tres solvant de maternâ generatione: hoc et illi alii, qui de paterna generatione veniunt, facere debent." Lege autem 2. "Si verò aliquis ex illis pauperior fuerit, et non habet unde solvat debitum, quicumque de illis plus alio habet exsolvat, et iterum super illum Chrene chruda, ille qui est pauperior jactet, ut ille totam legem solvat. Quòd si hic etiam non habet, ut legem solvat, et totam legem componat, tunc illum, qui homicidium fecit, tollit, qui eum in fide suâ habet, et per quatuor Mallos præsentem faciat; et si eum per compositionem aut fidem nullus suorum tulerit, hoc est, eum redimat, aut pro eo persolvit, tunc de vitâ componit." Licèt autem in hâc lege *Chren crude* plurimum esset utilitatis, nonnihil tamen erat vitii, quòd homicidarum furore, et legis severitate, multæ everterentur familiæ. Unde legem illam posteà abrogavit Childebertus rex, Decret. Leg. 15. "de Chrenecrudâ lex, quam

paganorum tempore observabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipsam cecidit multorum potestas." Meliùs ergò à Canadensibus provisum, penes quos non interfectoris domus, sed ipse vicus satisfacit. Tunc enim nullâ ingruit ruina; reo autem plus pudoris. Vide P. de Charlevoix, "Journal historique d'un voyage de l'Amérique." Lettre XVIII. p. 274. Quæ forent apud Germanos homicidiorum pretia jam vidimus supra p. 557. Vide et infra p. 572.

Hospitiis. Apud nos, invicem per commercia innexos, languet hospitalitas, viget apud barbaros latrociniis infames. Hujus discriminis causa in aperto. Scilicet commercia populos conjungunt; privatos dividunt, penes quos commerciorum usu omnia fiunt venalia. Et quanto magis apud gentem aliquam fervent commercia, tanto magis ab hospitalitate abhorret. Contra barbari commercia non nôrunt: latrocinia exercent, cùm indigent: hospitales sunt, quòd in hanc liberalitatem natura propendet, ipsisque expedit. Hæc pluribus ingeniosè explicat Cl. de Montesquieu, "Esprit des Loix," XX. 2.

Epulis excipit. Ita vulgò MSS. et libri editi. In MS. Vatic. 2964. *recipit.*

Cùm defecere. Sic veteres et recentiores editiones. Lipsius, *defecerit.*

Si quid poposcerit. Benè MSS. Arundel. Vatic. 1518. 2964 et 4498. et veteres ac recentiores editiones. Rhenanus emendaverat, *poposceris.* In MS. Vatic. 1862. *poposcerunt.*

CAP. 22. *Victus inter hospites comis.* Hæc omnino spuria censet Cl. de la Bleterie: ideoque ea in suâ interpretatione omisit. Nihil tamen mutaverim in tanto librorum consensu; neque ea absona crediderim.

Inter vinolentos. Malè tentat Rhenanus, *violentos.* Licèt ulterioribus Germanis vinum non fuerit, alius erat potus, qui ebrietatem faceret.

Sed et de reconciliandis. Benè MSS. Vatic. Turic. et Rhenanus. In MS. Arundel. et veteribus editionibus, *sed de reconciliatis.*

Licentiâ joci. Benè MSS. Vatic. editiones veteres et recentiores. Malè Lipsius, *loci.*

Et salva utriusque. Frustra tentat Lipsius, *et sua utriusque temporis.*

CAP. 23. *Vitiis, quàm.* MS. Bamberg. *vino, quàm armis.* Quod nonnulli probant, sed immeritò. Frigidum enim est. Hìc agitur de ebrietatis vitiis.

CAP. 24. *Artem paravit.* Benè Rhenanus è Cod. Kapp. In veteribus editionibus, *parat.*

Aleam (quod mirere). Benè MS. Vatic. 4498. et libri omnes editi. In MS. Vatic. 1518. *miretur.* MS. Vatic. 2964. *Aleam quidem, quod mirere.*

Cùm omnia defecerunt. MS. Turic. *defecerint.*

Quamvis junior. Ita libri omnes editi. In MSS. Vatic. et Cod. Kapp. *juvenior.* Non ita mirum est Germanos, ludi furore actos, voluntariam servitutem adiisse; cùm, multa post secula, licèt religio accessisset, humanitasque atque opes auxissent, homines ingenui et suæ mentis compotes, se ipsi venderent, et servituti manciparent. Quâ de re inter veteres Formulas, solemnis est Formula IX. Venditio de semetipso: qualiter homo liber venumdetur. " Domino semper meo illo N. Ego ille N. Placuit mihi, ut statim ingenuitatis meæ in vestrum deberem obnoxiare servitium. Quod ita et feci. Unde accepi à te pretium, in quod mihi benè complacuit, solidos tantos; ita ut ab hodiernâ die quicquid de me servo tuo, sicut de reliqua mancipia tua *(barbarè dictum pro* de reliquis mancipiis tuis) facere volueris, à die præsente liberam habeas potestatem. Et quod fieri non credo, si fuerit ulla quislibet persona qui contra hanc venditionem, quam ego meâ spontaneâ voluntate fieri rogavi, qui contra eam aliquid agere et calumniam generare conaverit, illud, quod repetit, non vindicet, et contra cui litem intulerit, auri libra una, argenti pondo quinque coactus exsolvat: et hæc venditio firma permaneat." Duæ nempe sunt res apud homines validissimæ, libido et necessitas. Ut libidini consulerent, servitutem non reformidabant Germani. Sponte quoque illam adibant, ne inopi necessitati succumberent.

CAP. 25. *Ministeriis.* MS. Vatic. 1862. *ministris.* MS. Vatic. 2964. *ministeriis suis.*

Nisi quòd impunè. MSS. Vatic. et Turic. *impunè est.*

Libertini non multum. Libri omnes ante Ernestum, *liberti.* Rectè emendavit, *libertini:* sic enim mox infra legebatur, *impares libertini.* Atque hìc non de singularum domorum libertis, sed de ipso hominum ordine, qui libertini vocantur, ut videre est apud Ciceronem, Verr. I. 47.

Aliquod momentum. MS. Arundel. *aliquid momenti.*

Quæ regnantur. Benè MSS. Vatic. 1518 et 4498. libri quoque omnes editi. In MS. Vatic. 2964. *regnant.*

Super ingenuos et super nobiles. Hæc conditionum diversitas sæpe memoratur in veteribus Germanorum legibus. Eam quoque videre est apud Saxonem Grammaticum in legibus Frothonis, Danorum regis, quas egregiè explicavit Cl. Mallet, " Introduction à l'Histoire de Danemarck," p. 111. Quomodò autem quis, non natus ingenuus in ingenuitatem assereretur docent veteres Formulæ, Formul. XII. " de Ingenuitate." " Qui debitum sibi nexum relaxat servitium, in futuro apud Dominium sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille N. pro remedio animæ meæ, vel æternâ retributione, servum juris mei nomine illum N. ingenuum esse præcipio, et in sacrosanctâ Ecclesiâ beatissimi Sancti illius N. sub præsentiâ sacerdotum ibidem consistentium ante cornu altaris ab omni vinculo servitutis eum absolvo. Ita ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus, eat, pergat partem quam maluerit, et sicut alii cives Romani vitam ducat ingenuam. Et si aliqua procreatio filiorum, vel filiarum; ex ipso orta fuerit, similiter vivat ingenua, et nulli heredum meorum, nec cuicumque aliæ personæ quicquam debeat servitutis, nec libertinitatis obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subjecta sunt; vel pro cujus amore ipsum devotus obtuli patrocinium et defensionem. cuicumque se elegerit in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis verò quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc ingenuitatem venire aut eam refragare præsumserit, illud quod repetit non vindicet, et insuper contra cui litem intulerit, solidos LX. componat. Et

præsens ingenuitas meis vel bonorum hominum manibus roborata cum stipulatione subnixa omnique tempore valeat inconvulsa."

Nunc verò quanti singulas conditiones fecerint Germani, ex diversis earum pretiis libet æstimare.

DE DIVERSIS APUD GERMANOS PRETIIS PRO CONDITIONUM DIVERSITATE.

MIRUM sanè est Cl. de Boulainvilliers aliosque, in antiquâ nostrâ Historiâ non mediocriter exercitatos, eam, quam supra posuimus conditionum diversitatem negâsse, duasque tantùm fuisse classes, nobilitatem et servitutem, pervicaciùs adseverâsse. Aliud certè docent veteres nostri scriptores. Idem quoque manifestè adstruunt veteres Germanorum leges.

Sic in lege Angliorum et Werinorum, Tit. I. "de Homicidiis." Leg. 1. "Si quis Adalingum occiderit, DC. sol. componat." Leg. 2. "Qui liberum occiderit, CC. sol. componat." Leg. 4. "Qui servum occiderit, XXX. sol. componat." Sic quoque Saxonibus fuere Edlingi, Frilingi et Lassi, id est, nobiles, ingenui, et serviles, ut videre est apud Lindenbrogium, in Glossario, p. 1347. Idem patet ex lege Frisionum, Tit. XV. Francis quoque fuere Antrustiones, seu nobiles, Ingenui, Lidi, Servi. Inde in Lege Salicâ, Tit. LXXIV. "de Chreodiba: id est, de cadaveris combustione." Leg. 1. "Si quis hominem ingenuum seu in sylvâ seu in quolibet loco occiderit, et ad celandum in igne combusserit, XXIIII M. den. qui faciunt sol. DC. culpabilis judicetur." Leg. 2. "Si quis antrustionem vel fœminam taliter interfecerit, aut celaverit, aut igne cremaverit, LXIIM. (*veriùs* LXXIIM.) den. qui faciunt sol. MDCCC. culpabilis judicetur." Tit. XXXVIII. "de Homicidiis servorum,

vel expoliationibus." Leg. 5. "Si quis servum alienum mortuum expoliaverit per furtum, et spolia ipsa plus quàm XL. denarios, valeant, tulerit, MALB. THEN FRIO MOSIDO, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur." Leg. 6. "Si quis verò homo ingenuus Lidum alienum expoliaverit, MALB. THEU MOSIDO, MCCCC. den. qui faciunt solid. XXXV. culpabilis judicetur." Servorum verò nomina, quæ posteà apud Germanos, ut et apud nos, in dignitatum titulos evasere, simul et pretia habet Lex Salica, Tit. XI. "de Servis mancipiis furatis." "Si quis Majorem, *the steward*, Infertorem, *the house-steward*, Scantionem, *the butler*, Mariscallum, *the Marshal*, Stratorem, *the Esquire*, Fabrum ferrarium, Aurificem sive Carpentarium, Vinitorem, vel Porcarium, vel Ministerialem furaverit, aut occiderit, vel vendiderit, valentem sol. XXV. MALB. THEVCA TEXARA M CCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale et delaturâ." Hæc sint satis de conditionum diversitate apud Germanos. Vide et Cl. de Montesquieu, "Esprit des Loix," XXX. 25. et Cl. Gautier de Sibert, "Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions," Vol. XXXVII. p. 541 et seq.

CAP. 26. *Per vices.* Ita Puteolanus, ac deinde ceteri omnes. MSS. Vatic. 1862 et 2964. et Cod. Kapp. *in vices.* MS. Vatic. 1518. et edit. Spir. *universis vices.* MS. Vatic. 4498. *vice.* MS. Bamberg. *ab universis vicis occupantur.*

Ideoque magis servatur. Frustra tentat Lipsius, *spernitur* aut *spernatur.* Emendat Salmasius, *aversantur.* Ferri potest vulgata scriptura. Nempe non agitare fœnus, in usuras non extendere, id, cùm sit ignotum, magis servatur, quàm si vetitum esset. Sic supra cap. 19. "Plus ibi boni mores valent, quàm alibi bonæ leges."

Spatia præstant. MSS. Vatic. 2964 et 4498. *præbent.* In MS. Vatic. 1518. *præstant:* at scriptum quoque supra, *præbent.*

Labore contendunt. MS. Vatic. 2964. et editiones veteres, *laborare.* Benè MSS. Vatic. 1518 et 4498. ac Rhenanus, *labore.*

Prata separent. Rhenanus et Lipsius, *sepiant.* Mallet Cluverius, *prata rigent, et hortos sepiant.*

CAP. 27. *Operosum honorem.* Benè Rhenanus è Cod. Kapp. In veteribus editionibus, *peroperosum.*

Ut gravem. Malè Beroaldus, *et gravem.*

CAP. 28. *Potentiâ divisas.* Ita Rhenanus è Cod. Kapp. ac deinde ceteri omnes. In MS. Bamberg. et editionibus veteribus, *diversas*, quod probat Lipsius.

Et Mœnum. In Lipsiensibus Actis Eruditorum, anno 1711. p. 27. Cl. Schwartz emendat, *Œnum.*

Boiemi nomen. Ita MS. Vatic. 1518. et libri editi. In MSS. Vatic. 1862 et 2964. *Boihemi.* MS. Vatic. 4498. *Bohemi.* Corruptè MS. Bamberg. *Boiis è munere nomen.* Unde tentabat Lipsius, *Boiiasmi è re nomen*, vel *Boyasmum è re nomen.*

Veterem memoriam. Malè adhuc MS. Bamberg. *veterem vie memoriam.* Inde tamen Colerus conjiciebat, *viciniæ.*

Aravisci. Veteres editiones, *Aranisci;* ac mox, *Araniscis.*

Ab Osis. Malè MSS. Vatic. *à Boiis.* Nam mox MS. Vatic. 4498. *Osi;* et MS. Vatic. 1518. *Osci.*

Et Nervii. Veteres editiones, *Neruli.*

Affectationem. Codd. Kapp. *affectionem.*

Triboci. In veteribus editionibus, *Treboci.* In veteri Inscriptione apud Cl. Schoepflin, "Alsatia illustrata," Vol. I. p. 550. memoratur CIV. TRIBOCORVM, id est, "civitas Tribocorum."

Ne Ubii quidem. MSS. Vatic. Turic. Cod. Kapp. et editiones veteres, *Nubii.* Malè emendaverat Puteolanus, *Ubii.* Benè Gruterus, *ne Ubii quidem.*

Conditoris sui. Frustra tentat Lipsius, *suæ.* Id enim ad Agrippam refertur.

Custodirentur. MS. Turic. *custodirent.*

CAP. 29. *Antiquæ societatis.* Unde Batavi dicti sunt *fratres et amici populi Romani*, ut constat ex vetere lapide apud Gruterum, p. 72. n. 9.

CIV. BATAVI

FRATRES. ET. AMICI. P. R.

Contemnuntur. In MS. Turic. *conteruntur.* Mallet Pighius, *ontenuantur.* At minimè displicet vulgata scriptura.

Non numeraverim. Benè Rhenanus è Cod. Kapp. Sic quoque MS. Vatic. 4498. In MS. Vatic. 1518. *numeravimus.* Veteres ditiones, *numeramus.*

Limite acto. Ita MSS. Vatic. et libri editi. Frustrà emendat Lipsius, *aucto.*

CAP. 30. *Durant. siquidem.* Benè Rhenanus et recentiores. n Cod. Kapp. et veteribus editionibus, *in quas Germania patescit, durant. Siquidem colles paulatim rarescunt.*

Ratione disciplinæ. In MSS. Bamberg. et Arundel. *nec nisi Romanæ disciplinæ concessum.* Quod quidem ferri potest. *Romanæ* amen rectiùs omittitur.

Copiis onerant. Benè MSS. Vatic. 1862. 2964 et 4498. ac Cod. Kapp. Lipsius et recentiores. Malè in veteribus editionibus, *oonerant.*

CAP. 31. *Rarâ et privatâ.* Ita MS. Vatic. 4498. et libri editi. in MS. Vatic. 1518. 2964. et Turic. *rarò.*

Manet squalor. MS. Vatic. 2964. *remanet.*

Jamque canent insignes. Mallet Gronovius, *jamque canent nsignibus his hostibus.* Ernestus, *itaque canent insignes, &c.* Heinsius, *jamque cani, ut insignes, &c.* Quod licèt probaverit Grævius, nihil mutaverim. Si quid mutandum, potiùs legerem, *amque canent, &c.*

Visu nova. Emendat Gronovius, *visu non nova.* Freinshenius, *visu nota.* Berneggerus, *visu torva.* Vulgatam scripturam ion immeritò defendit Conringius. *Nam,* quod mox sequitur, redundare videtur, ut supra Annal. XVI. 18. " Nam illi dies."

Vultu mitiore. MS. Arundel. *cultu.* Mallet Ernestus, *in vultum mitiorem.*

CAP. 32. *Non ut cetera.* MS. Turic. *non ut extat;* quod probat Ernestus. Editiones veteres, *non, ut extera.* Melior vulgata scriptura.

Ferox bello. Melius, *ferox et bello melior*; ut vult Acidalius.

CAP. 33. *Urgentibus imperii fatis.* Ita MSS. Vatic. 1518 et 4498. In MSS. Vatic. 1862 et 2964. *jam urgentibus.* MS. Turic. et veteres editiones, *in urgentibus.* MS. Arundel. *in vergentibus.* Illustr. Huetius mallet, *vigentibus imperii fatis*; quòd hæc scriberet Tacitus, cùm imperium Romanum, Trajano Principe, vigebat. Fortè tamen Tacitus dixit *urgentibus*, quòd mole suâ diuturnioreque fortunâ jam labaret imperium. Sic fermè Livius, v. 36. "Jam urgentibus Romanam urbem fatis."

CAP. 34. *Dulgibini.* MS. Vatic. 2964. *Dulgicubini.*

Chasuari. MS. Vatic. 4498. *Chasuarii.* MS. Vatic. 1518. *Occasuarii.* MSS. Vatic. 1862 et 2964. *Tasuari.*

Utræque nationes. MS. Turic. *jureque nationis.*

Magnificum est. Cod. Kapp. *magnum est.*

Referre consensimus. Ita omnes MSS. Vatic. Frustra Pichena è scripto libro, quem laudat Lipsius, emendavit, *consuevimus.*

Druso Germanico. Mallet Freinshemius, *Druso et Germanico*; quod non probat Ernestus, cùm Germanicus Oceanum, non curiositate, sed victoriæ spe, tentaverit.

Inquiri. Olim scriptum fuisse, *inquirenti*, putat Cl. Ernestus.

Quàm scire. Mirandulanus, *scire velle*; minus rectè, ut benè monuit Cl. Menage.

CAP. 35. *In Occidentem Germaniam novimus.* Illustr. Huetius vel delebat præpositionem, *in*; vel emendabat, *movimus.* Ferri potest vulgata scriptura.

Idque præcipuum. Copula *que* abest à MSS. Vatic. et editionibus veteribus. In MS. Vatic. 1518, *id pretium virtutis ac virium præcipuum argumentum.*

Exercitus: plurimum virorum. MS. Turic. *exercitus plurimus virorum.*

CAP. 36. *Inter impotentes.* MS. Turic. *impetentes.* Melius, *impotentes.* Solita enim Barbarorum vitia, audacia, cupiditas, impotentia, id est, effræna libido.

Nomina superioris. Ita Beroaldus et recentiores. Ac benè quidem, ut patet ex sequentibus. Victores enim Cherusci boni æquique olim dicebantur; at victi nunc inertes ac stulti vocantur. Modestia ergò ac probitas nomina superioris sunt. In MSS. Vatic. Cod. Kapp. et editionibus veteribus, *nomine.* MS. Turic. *nomine superiores.* Frustra emendat Tanaquil Faber, *nomina sequioris.* Heinsius, *nomina superiori sunt,* id est, à potentiore, ut inania nomina, spernuntur.

Tracti ruinâ. Benè Pichena et recentiores. In veteribus editionibus, *tacti;* quod tamen defendit Gruterus.

Et Fosi. MS. Vatic. 1862. *et Fusi.*

CAP. 37. *Eumdem Germaniæ situm.* Ita MSS. Vatic. Arundel. Cod. Kapp. et Ernestus. Placebat quoque Gronovio. Puteolanus, aliique libri editi, *sinum.* At hìc non agitur de sinu, sed de eodem Germaniæ situ; nempe in Septemtrionali parte.

Latè vestigia. Sic quidem Lipsius et recentiores omnes. At in MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *lata vestigia;* quod melius puto.

Magni exercitûs fidem. Se id à conjecturâ reposuisse fatetur Lipsius: cùm anteà in libris fuisset, *magni exitûs. Exitûs* quoque habent MSS. Vatic. Fortè Tacitus *exitum* dixit, ut irruptionem Cimbrorum significaret, de quâ Justinus, XXXVIII. 5. "Simul et à Germaniâ Cimbros immensa millia ferorum atque immitium populorum, more procellæ, inundâsse Italiam." Plutarchus quoque in Mario, p. 411. ait, devicto Jugurthâ, rumores de Teutonis et Cimbris increbuisse. Ac primò quidem incredibilis esse eorum colluvies ferebatur; qui rumores posteà vero minores reperti sunt. Bellatorum enim et armatorum trecenta millia in agmine erant, puerorum autem atque mulierum longè majores catervas dicebantur secum agere. *Μυριάδες μὲν γὰρ αἱ μάχιμοι τριάκοντα σὺν ὅπλοις ἤχουν, ὄχλοι δὲ παίδων καὶ γυναικῶν ἐλέγοντο πολὺ πλείους συμπεφοιτάγεσθαι.*

Non Samnis. MS. Turic. *Samnites.*

Acrior est Germanorum libertas. Egregia dignaque prudentissimo scriptore sententia, nec nobis silenda. In eâ enim recon-

ditum est magnum politicæ artis arcanum, Germanicæque gloriæ, quæ nostra quoque est, fundamentum ac munimentum.

DE GERMANORUM LIBERTATE, ROMANORUM ÆMULA ET VICTRICE.

Non Samnitum artes, non Græcorum ingenia, non Pœnorum commercia, non Hispaniarum fortitudo, non Galliarum impetus, valida fuere adversùs Romanam dominandi scientiam præsidia: cessere, et in partem dominationis venere. Diutiùs restitit Parthorum potentia, terrarum longinquitate et immensarum opum multitudine defensa: sed et ipsa paruit, superbasque cervices jugo Romano supposuit.

Acrior fuit Germanorum libertas. Romana vigebat respublica, cùm victricia Cimbrorum arma, fuso Papirio Carbone consule, primùm audita sunt A. U. C. 641. ante Christum 112. Inde, per quingentos et ampliùs annos, mutuis victoriis, mutuis cladibus certatum. At Germania, cùm vinceretur, semper interrita; cùm vinceret, audacior. Et, dum libertatem suam pervicaciùs propugnat, eò tandem gloriæ venit A. U. C. 1168. J. C. 410. ut Alaricus, Gothorum rex, Romam captam victor intraret, ejusque opes potiretur, longè dissimilis ignavo illi Domitiano, qui pudendo falsoque triumpho Germaniam captam erat gloriatus.

Manebat adhuc Cæsarum dignitas, olim verenda, nunc despicatissima: magis etiam ac magis in dies libidinibus ac dissensionibus fatiscebat, cùm feralis tandem cœpit A. U. C. 1229. J. C. 476. quo Germania non jam armis belloque, sed solo nominis sui terrore victrix, Cæsarum nomen extinxit; eosque Odoacer, Herulorum rex, non tam irâ suâ, quàm miseratione dignos reputans, Augustulum, Cæsarum supremum, in Lucullanum, Campaniæ castellum,

legavit. Sic imperio Romano vel suâ in ruinâ defuit illa clàri-
s, quâ vulgò cadunt imperia; ultimusque ejus Princeps vixit suæ
ignitati suoque imperio superstes.

In hâc fœditate sordebat Italia, cùm tandem melioribus diutur-
ioribusque auspiciis, anno J. C. 800. imperium restituit Germa-
orum sanguis Francorumque decus CAROLVS MAGNVS, PIVS
ELIX AVGVSTVS. Tantæ gloriæ fundamenta posuerat Clodo-
eus Magnus victor fortissimus.

Quibus autem virtutibus, quâ consiliorum vi facta sit tanta rerum
nutatio juvat ex ipsâ victrice gente discere, quæ sine verborum
nociniis suæ gloriæ causas et instrumenta nobiliter explicavit in
ræfatione Legis Salicæ: illam sub ômnium oculis subjici tanto
ratius esse debet, quanto rarius est præstantissimum illud antiqui-
atis monumentum ab ipsis viris historiæ eruditionisve curiosis legi
ut inspici. "Gens Francorum inclyta, auctore Deo condita,
ortis in armis, firma pacis fœdere, profunda in consilio, corpore
obilis et incolumis, candore et formâ egregia, audax, velox et
spera, nuper ad Catholicam fidem conversa, immunis ab hæresi.
Dum adhuc teneretur barbarie, inspirante Deo inquirens scientiæ
lavem, juxta morem suarum qualitatum desiderans justitiam,
ustodiens pietatem, dictaverunt Salicam Legem proceres ipsius
entis, qui tunc temporis apud eamdem erant rectores....At ubi,
Deo favente, Clodoveus comatus et pulcher, et inclytus rex Fran-
orum primus, recepit Catholicum baptismum, quidquid minùs in
Pacto habebatur idoneum, per præcelsos reges Clodoveum, Childe-
ertum et Hlotarium fuit lucidiùs emendatum, et procuratum
Decretum hoc. Vivat, qui Francos diligit Christus, eorum regnum
ustodiat, et rectores de lumine suæ gratiæ repleat, exercitum pro-
egat, fidei monumenta tribuat, pacis gaudia et felicitatem, tempora
ominantium Dominus Christus Jesus pietate conducat. Hæc est
nim gens, quæ fortis dum esset et robore valida, Romanorum
ugum durissimum de suis cervicibus excussit pugnando; atque post
gnitionem baptismi, sanctorum Martyrum corpora, quæ Romani
ne cremaverunt, vel ferro trucidaverunt, truncaverunt, aut bestiis
iceranda projecerunt, sumtuosè auro et lapidibus pretiosis exor-
avit."

Tacitus in aureo libello qui fuerint ætate suâ Germani, quàm formidanda esset eorum libertas prodidit. Quales fuerint post ejus ætatem, quantaque præstiterint ex hâc præfatione brevissimè intelligimus. Crescat duretque in omnibus Germanicæ originis gentibus virtutis ac gloriæ perennitas.

Amisso et ipse Pacoro. Ita MS. Vatic. 4498. et editiones quàm plurimæ. In MSS. Vatic. 1518 et 2964. ut et in Cod. Kapp. et editionibus veteribus, *amisso et ipso et ipse Pacoro.* Rhenanus omisit, *et ipso.* Ernestus fatetur *ipse* elegantissimum esse; edidit tamen *ipso* ob copulam *et.* At plus vis et elegantiæ est, si legeris, *et ipse.*

Objecerit. MS. Vatic. 2964. *objecerunt.* MS. Vatic. 4498. *objecit.* MS. Vatic. 1518. *objicitur.*

Cn. quoque Manlio. Benè Ernestus. Anteà in libris editis, *M. quoque Manlio.* Immò in MSS. Vatic. 1862 et 2964. *Marco quoque Manlio.* Cneii prænomen habent optimæ Ciceronis et Titi Livii editiones. Sic et vetus lapis apud Gruterum, p. 207.

Populo Romano. Malè MSS. Vatic. et Cod. Kapp. *populi Romani.*

CAP. 38. *In aliis gentibus.* Benè veteres et recentiores editiones. Malè Rhenanus, *sic in aliis gentibus.*

Quod sæpe accidit. Sæpe abest à MS. Vatic. 1518.

Retro sequuntur. Ingeniosè emendabat Josephus Scaliger, *retrosecus.* Ferri tamen potest et vulgata scriptura.

In ipso solo vertice religant. MSS. Vatic. 1518 et 4498. ac veteres editiones, *ligant.* Rhenanus et recentiores, *religant.* In MS. Vatic. 2964. *in ipso vertice religatur.* MS. Vatic. 1862. et Cod. Kapp. *in solo vertice religatur.* Unde fortè vel *ipso,* vel *solo,* redundat.

Sed innoxiæ. Benè emendant Muretus et Acidalius, *innoxiis:* proclivi librariorum erratu.

Comti, ut hostium oculis ornantur. Comti omissum vellet Ernestus. Et certè rectè abesset. Pro *ornantur,* in MS. Bam-

berg. *armentur*. MS. Vatic. 1862. et Cod. Kapp. *armantur;* quod immeritò probabat Cl. Menage.

Cap. 39. *Stato tempore.* Benè Rhenanus è Cod. Kapp. Puteolanus, *statuto.*

Augurüs patrum. Versum illum,

"Augurüs patrum et priscâ formidine sacram,"

insititium esse et è margine irrepsisse putat Cl. Ernestus. Fortè tamen id poeticè dictum voluit Tacitus; ut infra in vitâ Agric. cap. 29. "cruda ac viridis senectus." Virgilianâ imitatione.

Ejusdem sanguinis. MSS. Vatic. 1862 et 2964. *ejusdemque sanguinis.*

Horrenda primordia. MS. Vatic. 2964. et Cod. Kapp. *horrentia.*

Prolapsus est. Est omittitur in MS. Turic. et editionibus veteribus.

Adjicit auctoritatem. MS. Turic. et veteres editiones, *adducit.* Malè in iisdem editionibus, *auctorem.*

Centum pagis habitantur. Ita veteres et recentiores editiones. Rhenanus emendaverat, *habitatur.* Emendabat Illustr. Huetius, ut et Ernestus, *habitant.* Fortè scripserat Tacitus, *centum pagi iis habitantur.* Sic dictum supra cap. 16. "Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est."

Magnoque corpore. Benè MSS. Vatic. 1518 et 1862. ac libri editi. In MSS. Vatic. 2964 et 4498. *tempore.*

Cap. 40. *Langobardos.* MSS. Vatic. 1862 et 2964. *Largobardos.* MSS. Vatic. 1518 et 4498. *Longobardos.* Perperam veteres editiones, *Longobardis* vel *Langobardis paucitas nobilitasque plurimis, &c.* Malè Rhenanus, *quòd plurimis.*

Reudigni. Ita MSS. Vatic. 1518 et 4498, ac libri editi. In MS. Vatic. 2964. *Veudigni.* In MS. Vatic. 1862. *Veusdigni.*

Angli. MSS. Vatic. 1518 et 4498. ac veteres editiones, *Anglii.*

Suardones. Nomen illud abest à MS. Vatic. 2964. In MSS. Vatic. 1518. 1862. 4498. ac Cod. Kapp. *Suarines.* Puteolanus et alii, *Suardones.*

Nuithones. MS. Vatic. 1862. *Niuthones.* Frustra Jo. Petrus Anchersen tentat, *Tuithones,* quos Teutonos esse existimat. Nec multo felicior Cl. Elsnerus, qui *Gutthones* conjicit, " Mémoires de l'Académie Royale de Berlin," an. 1748. p. 459.

Herthum. MSS. omnes Vatic. et veteres editiones, *Nerthum.* Rhenanus et recentiores, *Herthum.* Cl. Elsnerus, " Mémoires de l'Académie Royale de Berlin," an. 1747. existimat Tacitum hic scripsisse Germanicum Deæ nomen *Erdamm,* ab *Erd* terra, et *amme* mater. Cui opinioni adversatur Cl. Ernestus, quòd ex linguæ Germanicæ analogiâ *Erdamm* non significaret *terram matrem,* sed *terræ matrem;* quòdque Tacitus *terram matrem* interpretetur more Romano, non verò ex subtilitate Grammaticâ, et etymologiam secutus. Quidquid est, Herthus eadem est ac Ceres, aut Cybele, Græcis dicta Δημήτηρ quasi γῆ μήτηρ, seu *terra mater.*

Castum nemus. *Castum* insititium esse, et è margine irrepsisse putat Ernestus. Alii tentant, *sacrum,* vel *vastum* nemus. Forte Tacitus nemus illud dixit castum, quasi Terræ Deæ sacrum. Castum enim de Cybeles religionibus propriè dicebatur. Sic Tertullianus, " de Jejuniis," cap. 16. " Casto Isidis et Cybeles eas (nostras xerophagias) adæquas." Malè Beroaldus, *castrum nemus.*

Multâ cum veneratione. Præpositio *cum* abest à MS. Turic. et editionibus veteribus.

Quaecumque adventu. Cod. Kapp. *quemcumque.* Pro *adventu* Rhenanus frustra conjicit *advectu.*

Tunc tantùm nota. Ita MS. Vatic. 4498. et libri editi. Tria verò hæc verba absunt à MS. Vatic. 2964. In MS. Vatic. 1518. *nunc tantùm nota, item tantùm amata.* Veteres quoque editiones habent, *item.*

Quid sit id. Benè MS. Turic. Veteres editiones, *quid si id.* In recentioribus, *quid sit illud.*

CAP. 41. *Eoque.* Benè libri omnes editi. In MS. Turic. *eaque.*

Passim et sine custode. Ita MS. Turic. et veteres ac recentiores editiones. In mediis omissa est copula, *et.*

Ostendamus. MS. Turic. *commendemus.*

CAP. 42. *Narisci.* Ptolemæo, II. 11. dicuntur *Οὐαριστοὶ, Varisti.* Dioni, LXXI. p. 810. *Ναρισταὶ.* At à Capitolino, in M. Antonin. cap. 22. memorantur quoque *Marcomanni, Narisci, Hermunduri et Quadi.*

Danubio pergitur. Ita Puteolanus, Pichena et recentiores. In MSS. Bamberg. Turic. Cod. Kapp. et editione Spirensi, *peragitur.* Lipsius emendavit, *prætexitur.*

Tudri genus. Ita MSS. Vatic. 1518 et 4498. In MS. Vatic. 2964. et Cod. Kapp. *Trudi genus.* Quod placebat Rhenano, ob vulgata olim in Germaniâ, *Trutonii, Trutomanni, Adeltrudis, Gertrudis* nomina.

CAP. 43. *Gothini.* Cod. Kapp. *Gotini.* A Dione, LXXI. p. 808. dicuntur *Κοτινοί.* A Claudiano, *Gothunni;* de quibus vide eruditum Spener, " Notitia Germaniæ antiquæ," Vol. v. p. 107.

Burii. Ptolemæo, II. 11. *Βοῦριοι.* Dioni, LXVIII. p. 772. *Βοῦῤῥοι.* Inde fortè Groslotius tentabat, *Buri: ii terga Marcomannorum, &c.* Cod. Kapp. habet quoque, *Burii.*

Vertices montium jugumque. MS. Arundel. *jugaque.* A MS. Turic. abest, *montium.*

Lygiorum. MSS. Vatic. 1862 et 2964. et Puteolanus, *Legiorum.* MS. Vatic. 1518. *Leugiorum.* MS. Vatic. 4498. *Vegiorum.* Dioni, LXVII. p. 761. *Λύγιοι.* Unde Beroaldus, *Lygiorum.* Ptolemæo, II. 11. *Λοῦγοι.*

Arios. MSS. omnes Vatic. *Harios.*

Helveconas. MS. Vatic. 1518. *Eluheconas.* MS. Vatic. 1862. *Helvetonas.* MS. Vatic. 2964. *Helvectonas.* MS. Vatic. 4498. *Helvectoras.* Ptolemæo, II. 11. *Αἰλουαλῶνες.*

Manimos. Ita omnes MSS. Vatic. Iidem videntur, qui Ptolemæo, II. 11. dicuntur *Ὀμανοί.* In Cod. Kapp. *Mammos.*

Elysios. MSS. Vatic. *Helysios;* præter MS. Vatic. 2964. qui habet, *Aliskoskas.*

Naharvalos. Ita MS. Vatic. 2964. In ceteris MSS. Vatic. *Nahanarvalos.* Sed mox in MS. Vatic. 1518. *Nacharvalos.* Sic Cod. Kapp. et Puteolanus habent primùm, *Nahanarvalos*: mox, *Naharvalos.*

Romanâ. Ita MSS. et veteres ac recentiores editiones. Malè Rhenanus, *Romani.*

Gothones regnantur. Ita MS. Vatic. 4498. Rhenanus, et post eum editiones quàm plurimæ. Habent quidem MSS. Vatic. 1518. 1862 et 2964. et Arund. ut et veteres editiones atque Ernestus, *regnant.* At placet magis, *regnantur.* Sic dictum supra Hist. I. 16. "In ceteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, et ceteri servi."

Adductiùs. Benè MSS. et veteres ac recentiores editiones. Rhenanus aliique pauci, *addictiùs.*

CAP. 44. *Ipso in Oceano.* Benè MSS. Vatic. 1518. 4498. Rhenanus et recentiores. In MSS. Vatic. 1862. 2964. Cod. Kapp. *ipsæ in Oceanum.* Puteolanus, *ipsæ in Oceano.*

Hinc vel illinc. Cod. Kapp. *Hinc vel hinc.*

Est apud illos et opibus. Mallet Cl. de la Bleterie, *est et apud illos opibus honor.*

In promiscuo. Benè recentiores. In MS. Turic. et veteribus editionibus, *neque promiscuo.* Muretus delebat, *neque.*

Otiosæ porrò armatorum manus. Malè in veteribus editionibus, *otiosa.*

CAP. 45. *Insuper emergentis.* Ita Rhenanus è Cod. Kapp. A MS. Turic. et editionibus veteribus abest, *emergentis:* unde fortè redundat. Emendabat Lipsius, *se mergentis.* Propiùs ad veterum scripturam, *immergentis:* scribebant enim librarii, *inergentis.* Porrò stridentem Solem passim exhibent poetæ, cùm in Oceanum immergitur, numquam verò cùm inde emergit.

Formasque Deorum. Malè Heinsius emendabat, *formæque deorum*, aut *decorem:* et intellexit præstantiam ac dignitatem speciei, quâ se sol conspiciendum præbeat in ortu. Misc. Obs. VIII. 292. Meliùs, ac probabiliter, Colerus, cui adstipulatur Dureau, *formas-*

que equorum; T. Faber, *formas equorum.* Ni fortè *formas Deorum* de Diis marinis accipias. Sic fermè Juvenalis, Satyr. XIV. 281.

" Grande operæ pretium est ……
Oceani monstra, et juvenes vidisse marinos."

Oceani monstra explicat vetus Scholiastes Juvenalis, *Tritones et Nereides.*

Æstiorum gentes. Ita omnes MSS. Vatic. In veteribus editionibus, *Estuorum.* In recentioribus, *Æstyorum.*

Omnique tutelâ. Benè Ernestus et recentiores è MS. Turic. Sic quoque volebat Lipsius. In veteribus editionibus, *omniumque tutelâ.*

Informe perfertur. MS. Vatic. 2964. *profertur;* ut et volebat Groslotius. At meliùs ceteri MSS. Vatic. *perfertur.*

Implicata humore. Ita omnes MSS. Vatic. et editiones veteres. Perperam in recentioribus emendatum, *implicita.* Plinius aliique sæpe usurpavere, *implicatum.*

Sueviæ finis. Benè Puteolanus et recentiores. In MS. Turic. Cod. Kapp. et editione Spirensi, *fines.*

CAP. 46. *Venedorum.* Malè MSS. et veteres editiones, *Venetorum* aut *Venethorum. Venedos* memorat Plinius, IV. 13. Ptolemæo, III. 5. *Οὐενίδαι* dicti sunt. Jornandes quoque, de rebus Geticis, cap. 17. " Winidarum natio populosa."

Procerum connubiis mixtis. Ernestus, *ceterùm connubiis mixti.* Sic in Gallicâ versione Dureau.

Domos fingunt. Ita veteres et recentiores editiones. Lipsius, *figunt.* At meliùs, *fingunt.* Domos enim, seu tuguria, luto fingebant. Sic apud Plinium, XI. 22. bombyces in Assyriâ, *nidos luto fingunt.*

Pedum usu. In MSS. Vatic. 2964. 4408. et veteribus editionibus, *peditum.* MS. Vatic. 1862. *pecudum.* Rectè Lipsius et recentiores, *pedum:* quod quoque probat Cl. Ernestus, licèt ediderit, *peditum.*

Sed beatiùs arbitrantur. Ita omnes MSS. Vatic. et veteres ac recentiores editiones. Frustra emendavit Rhenanus, *id beatius arbitrantur.* Omitti non debuit, *sed.* Intelligi autem potest, *id.*

Opus esset. Sic omnes MSS. Vatic. veteres editiones et Ernestus. Malè emendavit Rhenanus, *opus sit.*

Oxionas. MSS. Vatic. 2964 et 4498. *Etionas.* MS. Vatic. 1518. *Exionas.*

Corpora atque artus. MSS. Vatic. 1518. 2964. 4498. veteresque editiones, *et corpora atque artus.*

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD VITAM

CN. JULII AGRICOLÆ.

CAP. 1. *Petissem.* MS. Vatic. 4494. *petiissem.*

Ni cursaturus. Ita veteres editiones, Pichena et recentiores. Rhenanus emendaverat, *ni incursaturus.* In MS. Vatic. 3429. *petissem incusaturus.*

CAP. 2. *Legimus.* Mallet Lipsius, *vidimus.*

Monimenta. Ita MS. Vatic. 4498.

Arbitrabantur. Frustra tentat Barclayius, *arbitrabatur.* Id enim non tantùm de Domitiano, sed de ejus scelerum instinctoribus quoque intelligendum.

Et loquendi. Lipsius vellet, *etiam loquendi.* At veteribus scriptoribus sæpe *et* pro *etiam* usurpatum.

CAP. 3. *Felicitatem imperii.* Ita veteres editiones aliæque quàm plurimæ. Nec *facilitatem,* ut ait Cl. Ernestus, sed *felicitatem* habet Puteolanus. *Facilitatem* emendavit Beroaldus; quem

quidam sunt secuti. Utrumque non incommodo sensu. Probabilior tamen, *felicitas.*

Ut corpora. MS. Vatic. 3429. *ut corpora nostra.*

Multi fortuitis. Benè Lipsius. Malè MSS. et veteres editiones, *multis.*

Et, ut ita dixerim. Sic Rhenanus et recentiores. In MSS. Vatic. et veteribus editionibus, *et uti dixerim.*

Prioris servitutis. Benè adhuc Lipsius. Perperam in veteribus editionibus, *senectutis.* Quidam emendabant, *severitatis.*

CAP. 4. *Pater Julius.* In MSS. Vatic. et veteribus editionibus, *pater Julii Julius.*

Iisque virtutibus. MS. Vatic. 3429. *iisque ipsis virtutibus.*

Et, quia, abnuerat. *Et* omissum vellet Acidalius.

Massiliam habuerit. Ita veteres et recentiores editiones. Lipsius, *habuerat.* Mallet Ernestus, *haberet.*

In primâ juventâ. MS. Vatic. 3429. *primâ in juventâ.*

Acriùs, ultra quàm. Lipsius putat emendandum, *ultraque.* Contra Pichena pro *acrius* correxit *ac juris.* Minimè displicet vulgata scriptura.

Excelsæ magnæque. MS. Vatic. 3429. *magnæ excelsæque.*

Ex sapientiâ modum. Conjicit Lipsius, *et sapientiæ modum.* Utrumque benè. Sed per *sapientiam* intellexisse *philosophiam* puto, aut usurpâsse populariter pro quâvis rerum notitiâ et libidine judicandi. Vide Misc. Obs. IX. 350.

CAP. 5. *Contubernio æstimaret.* Tentat Ernestus, *adhiberet.* Eleganter dictum, *æstimaret.*

Appetere jactatione. MS. Vatic. 3429. et Puteolanus, *in jactationem.* Beroaldus, omissâ præpositione, *appetere jactationem.* Emendavit Rhenanus, *ob jactationem.* Minutianus et recentiores, *jactatione.*

Simulque et anxius. Ita MS. Vatic. 3429. et elegantiùs. Libri editi, *simulque anxius.*

Incensæ coloniæ. Mallet Lipsius, *incensa colonia*; quòd una colonia Camalodunum incensa feratur Annal. XIV. 31. At hæc ἰμφατικῶς dicta.

Intersepti exercitus. Ita MS. Vatic. 3429. sic quoque placebat Freinshemio aliisque eruditis viris. Multitudine enim barbarorum circumventi sunt exercitus, ut dictum est supra Annal. XIV. 32. Perperam in libris editis, *intercepti.*

Artem et usum. Mallet Lipsius, *attamen et usum.* Verùm intellige potest, *artem tamen et usum.* Sæpe omittitur, *tamen.* Per *artem* illam intelligit militandi, et quomodò agendum cum hoste, quis capiendus pugnæ locus, quâ formâ disponenda acies, ubi præsidiis opus,—Ab hâc multùm differt artis *usus*; is enim cædes est hostium et victoria, et magnarum regionum occupatio, et fama gloriaque. Vide Ann. II. 21. Misc. Obs. IX. 351.

CAP. 6. *Tanto major laus.* Malè emendant Pichena et Lipsius, quod tamen nonnullis probatum, *tanto minor laus*; quasi in virum caderent, quæ in uxoris laudem evidenter dicta sunt. Sic fermè Seneca de uxore suâ Paullinâ dixit supra Annal. XV. 65. "Sit hujus tam fortis exitûs constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine." Si maritus blandè uxorem observet, si officiis eam studeat demereri, hôc in qualicunque uxore laudem habet; (quia id declarat mariti affectum, quem, quicquid tandem is sit, producere in marito necesse est, sive opes, sive formam, sive aliud, —quod uxori cedit in laudem); at illa laus fit major in uxore bonâ; quia illa non modò amatur ut uxor, sed et colitur ut virtutibus eximiis ornata. Quòd si maritus uxorem sibi anteponit, quæ mala, illud adeò uxori non est laus, ut ideo culpetur. Quoniam illa licèt cùm naturâ tum vitiis marito longè sit inferior, ipsum tamen adigit ad sui cultum, turpissimamque illi notam servitii inurit. Misc. Obs. IX. 352.

Simul et solatium. Sic MS. Vatic. 3429. et placet magis, quàm quod in libris editis, *et solatium simul.*

Quiete et otio transit. Mallet Rhenanus, *transiit.* In MS. Vatic. 4498. *quietis et otio.* Senatus perhibuit Plinio, *in tribunatu quietis, in prætura modestiæ testimonium.* Plin. in Panegyric. cap. 95.

Modo rationis atque abundantiæ. Frustra tentat Lipsius, *moderationis suæ atque abundantiæ*; vel *moderationi satisque*

abundantiæ. Alii aliter et pejùs. In MS. Vatic. 3429. *medio rationis. Ducuntur omnia Dei nutu,* i. e. gubernantur. Plaut. Merc. *ducere modo rationis est,* regere talia eo modo, quem præscribit ratio. De *modo abundantiæ,* in ludorum curâ observavit non modò, quid à se requireret ratio, sed et quid rerum abundantia, ne ai minùs faceret, licèt fortè non adversum esset rationi, tenaciùs tamen et parciùs facere crederetur. Misc. Obs. IX. 353.

CAP. 7. *Dum Intemelios (Liguriæ pars est.)* Pessimè libri editi, *dum in templo.* Vitium primus deprehendit eruditus Surita, et emendavit, *Intemelio.* Meliùs posteà Lipsius, *Intemelios.* Sic enim Strabo, libr. IV. p. 139. *Πόλις εὐμεγέθης Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντεμέλιοι.* "Urbs magna Albium Intemelium, incolæ Intemelii." Ursinus ait se in veteri codice legisse, *dum Intemelium, Liguriæ urbs est.* Benè quidem, si verè. At multis suspectus est codex ab Ursino laudatus. Ejus tamen fidei argumentum videbimus infra cap. 19.

Admodùm juvene. MS. Vatic. 3429. *juvene admodùm.*

CAP. 8. *Præerat tunc Britanniæ.* Seriem Britanniæ præsidum hìc proponi, et cum rebus, narratis superiùs, componi haud erit inutile.

PRÆSIDES BRITANNIÆ

AB A. U. C. 896. *J. C.* 43. *AD A. U. C.* 838. *J. C.* 85.

AVLVS PLAVTIVS, Vit. Agr. XIV. Supplement. Annal. IX. 50 et seq. XI. 3. Dio eum vocat *βουλευτὴν ἐλλογιμώτατον,* non consularem.

OSTORIVS SCAPVLA, Vit. Agr. XIV. Annal. XII. 31. et seq. Supplement. Annal. XI. 3. Proprætorem vocat Tacitus Ann. XII. c. 31 et 40.

AVLVS DIDIVS GALLVS, Vit. Agr. XIV. Annal. XII. 40. XIV. 29.

Q. VERANIVS, Vit. Agr. XIV. Annal. XIV. 29.

SVETONIVS PAVLLINVS, Vit. Agr. XIV. et seq. Annal. XIV. 29 et seq.

PETRONIVS TVRPILIANVS, Vit. Agr. XVI. Annal. XIV. 39.

TREBELLIVS MAXIMVS, Vit. Agr. XVI. Hist. I. 60 et seq.

VETTIVS BOLANVS, Vit. Agr. XVI. Hist. II. 65.

PETILIVS CERIALIS, Vit. Agr. XVII.

IVLIVS FRONTINVS, Vit. Agr. XVII.

CNAEVS IVLIVS AGRICOLA, cujus nomen virtutesque immortalitati scriptis suis tradidit Tacitus.

Vettius Bolanus. Malè veteres editiones, *Voctius,* aut *Vectius Volanus.* De Vettio Bolano jam dictum supra in notis et emendationibus ad Annal. XV. 3. MS. Vatic. 4498. habet quoque, *Vettius.*

Dignum est. Frustra tentat Acidalius, *dignum esset.*

Ne increscerent. Hæc omissa vellet Cl. Ernestus. In iis tamen inest quoque acumen. Nam Agricola ardorem compescuit, ne increscerent, et Bolano melior videretur.

Habuerunt virtutes. Hæc Lipsius ad Cerialem perperam referebat; et emendabat, *habuerunt virtutes spatium et exemplum.* Nec de Ceriali simul et Agricolâ, ut Pichenæ placuit, sed de unius Agricolæ virtutibus sunt intelligenda.

Labores modò. Ita MS. Vatic. 3429. Non ita aptè libri editi, *modò labores.*

Et ducem. MS. Vatic. 3429. *ac ducem.*

CAP. 9. *Inter togatos.* Frustra tentat eruditus Grotius, *quamvis inter sagatos,* vel *quamvis non inter togatos.* Nec satis apposite Illustr. Huetius interpretabatur, *Agricola naturali prudentiâ, quamvis ex usu etiam et arte, ut pote etiam sæpe diuque inter togatos versatus, facilè justéque agebat.*

Nulla ultra potestatis persona. Optimè Rhenanus et recentiores. Perperam in MS. Vatic. 3429. et editionibus veteribus, *nullam ultra potestatis personam.*

Etiam sæpe. MS. Vatic. 3429. *sæpe etiam;* ad aures commodè.

Ostentandâ virtute. Benè adhuc Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *ostentandam virtute.* MS. Vatic. 3429. *ostendendam virtutem.*

Comitante opinione. Eleganter dictum, ut et fatetur Cl. Ernestus, qui tamen conjicit, *constante opinione.*

Et elegit. Ita MSS. Vatic. editiones veteres et recentiores. Malè emendaverat Rhenanus, *eligit.*

CAP. 10. *Maxima, spatio ac cœlo.* Hæc Lipsianâ distinctione, *maxima spatio, ac cœlo in Orientem, &c.* non indigent. Jam dixerat Pomponius Mela, II. 2. "divisas spatio pelagoque terras."

Unde et in universum. Frustra tentat Gronovius, *unde ea in universum.* Mox corruptè veteres editiones, *transgressus.* Et MSS. Vatic. *transgressis.*

Thule. MS. Vatic. 3429. et veteres editiones, *Thyle.* MSS. Vatic. 4498. *Tyle.*

Nix et hyems abdebat. In veteribus editionibus, *appetebat.* Unde Cl. Ernestus mallet, *abdiderat.*

Perinde attolli. Optimè Grotius, Ernestus et recentiores. In veteribus editionibus, *proinde.*

Velut in suo. Malè emendat Pichena, *velut insulis.* Nec necessariò Cl. Ernestus, *velut suo.*

Et jugis etiam ac montibus. Ita MS. Vatic. 3429. Et certè meliùs, quàm libri editi, *etiam jugis atque montibus.*

CAP. 11. *Namque rutilæ.* Ita MS. Vatic. 3429. et veteres editiones. In recentioribus omissum, *que.*

Et torti plerumque. *Et* abest à MS. Vatic. 3429.

Et posita. Ita MSS. Vatic. et veteres ac recentiores editiones. Malè Rhenanus emendaverat, *positu:* Pichena, *positus,* quòd in veteribus libris mox legeretur, *contra Hispaniam.* Rectè monuerat Muretus potiùs emendandum, *Hispania.*

Originis vi. MS. Vatic. 3429. et editiones veteres, *originis usu.*

Procurrentibus in diversa. Malè tentat Boxhornius, *procurrentibus inter se terris.* Nec mox addendum, *eumdem habitum,* ut vult Cl. Ernestus.

Eorum sacra. Frustra conjicit Groslotius, *eadem sacra.*

Vicinum solum. Ita Beroaldus et recentiores. MSS. Vatic. *vicinam insulam.* Puteolanus, *vicinam solum.*

CAP. 12. *Tribusve civitatibus.* Benè Pichena et recentiores. In veteribus editionibus, *tribusque.*

Conventus. Lipsius aliique mallent, *consensus.*

Dum singuli pugnant. *Dum* abest à MS. Vatic. 3429. Nec necessarium est.

Nox clara. Ita MS. Vatic. 3429. Libri editi, *et nox clara.*

Nec occidere. Benè Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *nec concidere.*

Patiens frugum, fœcundum. Schefferus immeritò delet, *fœcundum.* Vide Misc. Obs. IX. 354.

CAP. 13. *Tiberius præceptum.* In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *Tiberius præcipuè.* At Lipsius, quem recentiores sunt secuti, optimè monuit emendandum, *præceptum.*

Mobilis pœnitentiâ. Ita libri omnes editi. In MS. Vatic. 4498. *mobilis pœnitentiæ.* MS. 3429. *mobili pœnitentiæ.*

Et ingentes adversùs Germaniam. Emendat Cl. de la Bleterie, *et ingentes ut adversùs Germaniam, &c.* At suus est et vulgatæ scripturæ sensus.

CAP. 14. *Cogiduno regi.* Sic libri editi. In MS. Vatic. 3429, *Cogidumno.* MS. Vatic. 4498, *Cogidunno.* Anne ille ipse, qui Dioni Τογόδουμνος, "Togodumnus." Vide Misc. Obs. IX. 355.

Ut vires rebellantibus. Ita Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *et vivos.*

CAP. 15. *E quibus legatus .... sæviret.* Mallet Cl. Ernestus, *è quibus legatum .... sævire;* vel *è quibus legatus .... sæviat.*

Æquè concordiam .... æquè discordiam. Haud aliter Horatius, I. Serm. I. 25.

" Id quod
Æquè pauperibus prodest, locupletibus æquè:
Æquè neglectum pueris, senibusque nocebit."

Alterius manus, centuriones alterius. Perperam editiones veteres, *alterius manus centurionis, alterius vim, &c.* Alii aliter, et pessimè emendabant. Egregiè Gronovius, cùm jam emendatum esset, *centuriones,* locum restituit, additâ distinctione post *manus.* Passim autem in scriptoribus ac maximè Historicis occurrit, *manus clientum, manus servorum* pro clientum, servorumve multitudine. Mihi servanda lectio vulgata et consensu librorum stabilita videtur. Nempe τὸ *miscere* non referendum est ad *alterius,* sed *concordiam,* et *concordiam exitiosam,* hoc sensu: sive concordes agant, sive discordes, ad exitium nostrum conspirant. Alter enim vi militari, alter rapinis contumeliisque nos adfligit. Misc. Obs. IX. 355.

Imbellibus eripi. MS. Vatic. 3429. *imbecillibus.*

Quantulum enim militum. Ita MSS. Vatic. Unde omnino fuit emendandum, quod habent libri editi, *quantum enim militum.* Jam tentaverat Boxhornius, *quantillum.*

Modò virtutes. MS. Vatic. 3429. *virtutem.*

Plus impetûs. Acidalius existimat post, *impetus* excidisse *integris,* ut opponatur *miseris,* de quibus mox agitur. At locum integrum puto. Penes miseros plus est impetûs et constantiæ. Impetus ille furore accenditur.

Relegatum. Ita libri omnes editi. Frustra tentat Lipsius, *religatum.*

CAP. 16. *Boudiceâ.* De hujus reginæ nomine dictum satis in not. et emend. ad Annal. XIV. 31. Hìc MS. Vatic. 3429. habet,

Voadicca ; MS. Vatic. 4498. *Voàduca.* Librarii autem scripsere *V* pro *B*, ut sæpe in hoc libro, *Volanus* pro *Bolanus.*

Omisit ira. Benè Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *amisit.*

Cognito provinciæ motu. Ita MS. Vatic. 3429. et Puteolanus. Sic quoque placebat Cl. Ernesto. Non ita benè Beroaldus et recentiores, *eo cognito provinciæ motu.*

Propiùs ex legato. Benè veteres et recentiores editiones. Malè Rhenanus, *proprius.*

Hic cùm egregius. Optimè Puteolanus. Corruptè MSS. Vatic. *nequaquam egregius;* et cum superiore verbo, *agitabat,* conjungunt.

Missus Petronius. Benè Beroaldus et recentiores. MS. Vatic. 3429. et Puteolanus, *missus igitur.*

Et delictis hostium novus. MS. Vatic. 4498. *novis.* Meliùs MS. Vatic. 3429. et libri editi, *novus.* Malè tentat Pichena, *qui delictis.* Meliùs Ernestus, *is delictis.* At nihil mutandum.

Nullis castrorum experimentis. Ita MSS. Vatic. editiones veteres et recentiores. Perperam in Gronoviorum editionibus, *nullus.*

Indecorus atque humilis. MS. Vatic. 3429. *indecoris.* Quod monitum volui, ne quid antiquitatis fugiat. Nam Nonius Marcellus, cap. 8. laudat ex Accio, in Athamante, "cujus sit vita indecoris, mortem fugere turpem convenit." Dixit quoque Virgilius Æneid. XII. 25.

"Nec genus indecores."

CAP. 17. *Brigantum.* MS. Vatic. 3429. *Bregantum.* MS. Vatic. 4498. *Bregantium.*

Amplexus, aut bello. MS. Vatic. 3429. *amplexus est, aut bello.*

Et cùm Cerialis quidem. Cùm abest à MS. Vatic. 3429. Cl. Ernesto displicet, *quidem :* mallet *cujusvis,* aut *cujusque,* nisi *alter successor* diversus à Julio Frontino fuerit. Cf. Tillemont, "Histoire des Empereurs," Vol. II. p. 32. existimat fuisse alterum

Britanniæ præsidem, qui dignitatem obtinuit inter Petilium Cerialem et Julium Frontinum medius. Quod minimè crediderim. At, citra ullum sensûs detrimentum, *quidem* abesse posset.

Cap. 18. *Et quibus bellum.* Benè MS. Vatic. 3429. Malè libri editi, *ut quibus.* Unde emendabat Lipsius, *ut quibusque bellum.*

Transacta ætas. Ita Rhenanus et recentiores. In MS. Vatic. 3429. et editionibus veteribus, *transvecta.*

Provinciam numeri. Malè tentat Ursinus, *innumeri.*

Degredi. Benè Pichena et recentiores. In veteribus editionibus, *digredi.*

Fore universa. Horum loco habet MS. 3429. *ac, prout prima exsissent, terrorem ceteris fore.* Quod quidem elegantissimum est, sed fortè è librarii ingenio.

In dubiis consiliis. Emendat Gronovius, *in subitis.* Pichena, *sed quoniam, ut in dubiis.* Nihil mutandum. Subitarium fuit consilium Monam insulam in potestatem redigendi. Anteà anceps dubiusque Agricola an cœpta prosperè succederent, Monamque peteret.

Cap. 19. *Statuit excidere.* Ita editiones veteres, Cl. Ernestus et recentiores. Lipsius, *exscindere.*

Primam domum suam. Sic libri omnes, præter J. F. Gronovium et Ryckium qui edidere, *primùm.*

Per libertos. Malè MS. Vatic. 3429. *liberos.*

Milites adscire. Mallet Danesius, *adsciscere.* Quod probat Ernestus: tentat quoque, *adcire,* vel *accire.*

Non peccaturos præponere. Ita MSS. Vatic. 3429 et 4498. Sic quoque Ursinus è vetere Codice; unde constat Ursini fides, hactenus suspecta. Cùm à libris omnibus editis absit verbum, *præponere,* alii supplebant, *retinere,* alii, *præficere;* Gronovius pro, *potiùs,* emendabat, *imponere.* Alii ἔλλειψιν esse volebant.

Auctionem. Meliùs fortè, *exactionem;* sic quoque volebant Muretus, Lipsius aliique multi. In MS. Vatic. 3429. *auctionem;*

et in margine, *exactionem.* MS. Vatic. 4498. *exactionem;* et in margine, *auctionem.* In hâc varietate nihil mutavi; maximè cùm, teste Suetonio in Vespas. XVI. Vespasianus "non contentus omissa sub Galbâ vectigalia revocâsse: nova et gravia addidisse: auxisse tributa provinciis, nonnullis et duplicâsse." Hoc vult Tacitus, sustulisse Agricolam omnes fraudulentas rationes, quibus hoc agebant ii, qui tributa colligebant, ut provincialibus omnia essent onerosa, sibi utilia et quæstuosa, et ea tantùm munera voluisse servari, quæ tributo convehendo erant necessaria, et sic æqualia, non plura, non majora postularent. Misc. Obs. IX. 358.

Quæ, in quæstum reperta. Benè recentiores. Malè in veteribus editionibus, *in quæstum reperta, quæ.* Frustra Pichena, *repertis.*

Vendere pretio. MS. Vatic. 3429. *ludere pretio.* Non emendandum, ut placet Gronovio, *vendere parvo.* Hæc frumenta pretio, à publicanis æstimato, vendebantur. Unde iis nomen, *frumentum æstimatum.*

CAP. 20. *Multus in agmine.* Benè MS. Vatic. 3429. Sic quoque conjecerat Cl. de la Bleterie. Perperam veteres editiones, *multum in agmine.* Rhenanus, quem recentiores sunt secuti, *militum in agmine. Multus* est certè et elegantior, et huic loco aptior. Sic supra Annal. XIV. 56. "rarus per Urbem." Et infra Vit. Agr. XXXVII. "frequens ubique Agricola." Ex corruptâ scripturâ ortum errorem crediderim. Vox enim una excidisse videtur; ac legendum puto: *multus in agmine, militum laudare modestiam.*

Inritamenta pacis. Lipsius et Acidalius mallent, *invitamenta.* Nobis quoque placeret, si faverent libri.

Tantâ ratione. MS. Vatic. 3429. *et tantâ ratione.*

Nova pars. Ita libri omnes. Mallet Gronovius, *nota pars:* eum sunt secuti recentiores interpretes Galli et Angli. Ernestus retinet, *nova pars;* sed mox excidisse putat *sic* vel *ita.* Nihil omnino mutabat Illustr. Huetius, et *novam partem* explicabat, *Romanis armis inaccessam.*

Cap. 21. *Bello faciles.* Sic Rhenanus ac deinde ceteri omnes. MSS. Vatic. et editiones veteres, *in bello:* quod fortè non ita spernendum. Tellus enim à Plinio, xxxiii. n. 1. laudatur " minimè parca, facilisque in omnibus quæcumque prosunt." Rhenanus tamen aliique tentant, *in bellum* vel *in bella faciles;* quod eleganter quoque diceretur.

Abnuebant....concupiscerent. Rectè quidem. Nec satis aptè Cl. Ernestus hanc diversitatem in modis verborum arguit, et mutatum vellet, aut *abnuerent....aut concupiscebant.* Agricola principum filios liberalibus artibus erudiendo, ingenia Britannorum ostentando, eaque studiis Gallorum meliora prædicando, effecit ut Britanni, qui modò linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Potuisset quidem Tacitus quoque dicere, *abnuerent.* Abstinuit autem ne pariter desinerent verba. Id enim est orationis vitium.

Paulatimque discessum. Mallet Pichena, *descensum.*

Cap. 22. *Avidus intercepit. Avidus* eleganter dicitur. Nec addendum, *gloriæ,* aut omittendum, *avidus;* ut vult Cl. Ernestus.

Ad Taum. MSS. Vatic. *ad Tanaum.* Sed in margine MS. Vatic. 3429. *Taum.*

Ut erat bonis. Ita MS. Vatic. 3429. et editiones veteres. *Erat* perperam à recentioribus omissum.

Secretum et silentium. MS. Vatic. 3429. *secretum ut silentium.*

Cap. 23. *Percurrerat.* Ita Rhenanus et recentiores. Puteolanus et veteres editiones, *præcurrerat.*

Clota. Ita MSS. Vatic. et editiones veteres. Malè Beroaldus et recentiores, *Glota.* Ptolemæo quoque, ii. 3. memoratur *Clota æstuarium.*

Diversi maris æstibus. MSS. editiones veteres et recentiores, *æstibus.* Malè Rhenanus, *æstus;* Lipsius, *æstu.* In MS. Vatic. 3429. *diversis maris æstibus.*

Revectæ. Ita MSS. Vatic. et veteres ac recentiores editiones. Malè Rhenanus, *revecti,* quod multi posteà retinuere.

CAP. 24. *Nave primâ transgressus.* Ita libri omnes. Emendabat Illustr. Huetius, *navibus tum primùm transgressus.* Tentat quoque Cl. de la Bleterie, *gnavè transgressus.* At non crediderim hanc esse Taciti mentem stylumve. Nec fortè satis certæ Latinitatis, *gnavè.* Aperta mihi videtur Taciti narratio. Agricola, summotis ultra Clotam et Bodotriam, velut in aliam insulam, hostibus, transgressus est Clotam æstuariùm, *the Gulf of Dunbarton*, nave, Romanarum omnium primâ, quæ oras illas scrutata est: eamque Britanniæ partem, quæ Hiberniam aspicit, nempe provincias *Cantire, Carrik, Galloway, Wight, &c.* copiis instruxit. Benè vertit Cl. Gordon, "In the fifth year of the war, Agricola passing the Frith, himself in the first ship that landed, in many and successful encounters subdued nations till that time unknown, and placed forces in that part of Britain which fronts Ireland, more from future views than from any present fear." Murphy quoque, "In the fifth summer Agricola made an expedition by sea. He embarked in the first Roman vessel that ever crossed the æstuary; and, having penetrated into regions till then unknown, he defeated the inhabitants in several engagements, and lined the coast, which lies opposite to Ireland, with a body of troops: not so much from an apprehension of danger, as with a view to future projects."

In spem. Optimè dictum. Frustra tentat Lipsius, *in speciem,* id est, ad ostentandas vires. Vide Misc. Obs. IX. 361.

Differunt: meliùs aditus. Ita Rhenanus et recentiores. Pro *meliùs,* Rhenanus et Danesius mallent *ejus,* nempe insulæ. Emendabat Muretus, *differunt in melius. Aditus.* In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *differt: in melius aditus.* Ac fortè nihil fuit mutandum. Hìc enim eleganter usurpatur, *differt. In melius* dici quoque potuit, eâ potissimùm ætate, quâ præpositio *in* erat familiaris, ut *in tantum, in quantum.* Nec ferè aliter Tacitus, Annal. XIV. 39. "Cuncta tamen ad Imperatorem in mollius relata."

CAP. 25. *Amplexus civitates.* Ita MS. Vatic. 3429. et quidem optimè. Perperam in veteribus et recentioribus editionibus, *amplas civitates.* In mediis, *amplâ civitate....sitâ.* Gronovius emendabat, *amplæ civitatis....sitæ.* Rhenanus, ut vulgata reti-

neret, mox corrigebat, *prius* pro *portus*. Tacitus autem dixit, *amplexus civitates*, ut supra Annal. xv. 59. "amplectitur rempublicam."

Hostili exercitu. MS. Vatic. 3429. et veteres editiones, *hostilis exercitûs*.

Impelleretur. MS. Vatic. 3429. et veteres editiones, *impellitur*. Frustra tentat Cl. Ernestus, *inferretur, impingeretur*.

Auctus Oceanus. Ita, et eleganter, veteres ac recentiores editiones. Pichena aliique, *victus Oceanus*. Sic quoque vertit Cl. Gordon, "Those vanquished Ocean." Murphy quoque, "And the spirit with which he conquered winds and waves." At τὸ *victus* simul ad præcedens *terra* et *hostis* referatur. Vide Misc. Obs. IX. 361.

Oppugnâsse ultro. Frustra tentat Lipsius, *oppugnare ultro, castella adoriri*. Alii emendant, *oppugnavere*. Vide Misc. Obs. IX. 361.

Potiùs, quàm pellerentur. Mallet Gronovius, *priùs, quàm pellerentur*.

Ignavi specie prudentium. Ita MS. Vatic. 3429. In veteribus editionibus, *specie ignavi prudentium*: inde in recentioribus fuerat emendatum, *specie prudentium ignavi*.

Circumiretur. Benè veteres et recentiores editiones. In Lipsianis, *circumirentur*.

CAP. 26. *Pro salute, de gloriâ*. Emendabat Acidalius, *de salute, pro gloriâ*; probatque Cl. Ernestus: atque ita edidit Cl. Lallemand. Nihil mutaverim, refragantibus libris: vulgata non displicent.

Erupere. Optimè MS. Vatic. 3429. sic quoque volebat Acidalius. Perperam libri editi, *irrupere*. Britanni enim irruperant, Romani è castris erupere.

CAP. 27. *Penetrandam*. MS. Vatic. 3429. *et penetrandam*.

Cujus constantiâ. Tentant Lipsius, Pichena et Acidalius, *cujus conscientiâ*. Nihil mutandum existimat Illustr. Huetius, *quòd per summam constantiam exercitus hanc victoriam peperisset*. Mox

infra cap. 36. "Ac primo congressu eminùs certabatur: simul constantiâ, simul arte Britanni, &c." Vide Misc. Obs. IX. 362.

Uni imputantur. Benè Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *cùm imputantur.*

Arte ducis rati. Vel supplendum, *arte ducis se victos rati;* vel, quod potiùs crediderim, emendandum secundùm Boxhornium, *arte ducis superati.* Librarii verò hâc in re tanto faciliùs errare potuere, quòd sæpe in MSS. *super* scribatur unicâ literâ *s*, notâ superpositâ, ut rectè observavit Lipsius. Tentabat Freinshemius, *non virtutem, sed occasionem et artem ducis rati.* Heumannus, *occasione et arte superati;* vel etiam, *casune an arte superati.* Cl. Ernestus conjicit, *arte vicisse,* scilicet Romanos, *rati.* Fortè quis erit, qui existimet Tacitum scripsisse, *arte ducis rati,* intelligendo, *id contigisse.* At id durum videtur. Benè vertit Davanzati, "i Britanni tenendosi vinti non per valore, ma per caso, e astuzia del capitano:" nec fermè aliter ceteri interpretes, licèt non eâdem brevitate. Vide Misc. Obs. IX. 362. 3.

CAP. 28. *Et in Britanniam.* Benè MS. Vatic. 3429. Copula, *et* deest in libris editis.

Immixti manipulis. Benè libri editi. Malè MS. Vatic. *immixtis manipulis.*

Uno remigrante. Ita libri omnes editi, præter Cl. Lallemand, qui edidit, *remigante,* fortè operarum errore: nam in notis minimè monet se quidquam mutâsse. At sive errori, sive conjecturæ, favet MS. liber Vaticanus 3429. qui habet quoque, *remigante.* Si quis tamen ad rerum seriem attenderit, *remigrante* verum ac genuinum esse judicabit. Hinc enim alii duo suspecti et interfecti: hinc nondum vulgato rumore, ut miraculum prævehuntur: hinc amissæ per inscitiam regendi naves. Explicabat quidem Illustr. Huetius, *Cùm unum è gubernatoribus remigrare deprehendissent, hoc est navim eò, unde profecta erat, reducere, alios duos suspectos habuere; propterea interfecere, atque ipsum etiam qui remigrare parabat.* At *verisimilius est,* inquit Pichena, *illum, antequàm ex portu solverent, clam se subduxisse, ac domum versùs remeâsse. Nam duos tantùm occisos apparet.* Sic vertit Cl. Gordon, "and

since one of these forsook them and fled away, they suspected and therefore killed the other two." Murphy quoque, "One of the pilots made his escape, and suspicion falling on the other two, they were both killed on the spot." Eodem sensu ceteri interpretes.

Provehebantur. Ita quidem libri editi. At in MSS. Vatic. *prævehebantur;* et in margine MS. Vatic. 3429. additum, *alius* habet *præbebantur.* Certè minimè inelegans foret verbum, *prævehi.* Britanniam enim prævehebantur. Sic dictum Annal. II. 6. *quà* Rhenus *Germaniam prævehitur.*

Mox hàc atque illà rapti, et cùm. Corruptè MS. Vatic. 3429. et editiones veteres, *mox ad aquam atque ut illà rapti secum.*

Sua defensantium. Pomponius Lætus in margine MS. Vatic. 3429. adscripsit, *ut sua;* quòd sic ipsi placeret.

Circumvecti Britanniam. Ut magnum ac memorabile Usipiorum facinus innotescat, diligentiùs exploranda eorum navigatio.

DE USIPIORUM

COHORTE BRITANNIAM CIRCUMVECTA.

COHORTEM illam Usipiorum ex Occidentali Britanniæ orâ solvisse innuit Tacitus, docet Dio, LXVI. p. 754. Ἐξαναχθέντες, περιέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς (Βρεττανίας). Erat sanè ex iis copiis, quas Agricola instruxerat in eâ Britanniæ parte, quæ Hiberniam respicit, ut dictum est supra cap. 24. Tres liburnicas furtim ascendêre, nullâ navigandi arte, et eâ ætate, quâ vel inter peritos erat exigua. Hàc illàc rapti, ut fluctus ventusque eos ferebat, ἀφ' οὗ τό τε κῦμα, καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε, Dio, ibid. versùs Septemtrionalem Britanniæ partem tendunt. Cùm oram legerent, nec sufficerent commeatus, congressi sunt cum plerisque Britannorum, nempe

cum incolis provinciarum, quas nunc dicimus, *the Counties of Cumberland, Galloway, Cantire, Argyll, Inverness, Strathnavern, &c.* Cùm extremum insulæ sic attigissent, sinum *Pentland Firth* inter Britanniam et Orcadas, *the Orkney isles,* ingressi sunt, et in Orientalem Britanniæ partem flexere. Nova inde prælia cum incolis provinciarum *Caithness, Sutherland, Murray, Buchan, &c.* eaque infeliciora. Imprudentes enim in castra Romanorum, qui ibi tendebant, incidêre, καὶ ἔλαθον ἐκ τοῦ ἐπὶ θάτερα, πρὸς τὰ στρατόπεδα τὰ ταυτῇ ὄντα προσχόντες, Dio, ibid. Novo hoc periculo territi, castrensesque pœnas magis, quàm calamitosam, sed liberam, suam sortem exosi, liburnicas properè repetunt, et in altum provehuntur. Summa brevi fuit rerum omnium inopia: in iis angustiis, primùm infirmissimos suorum, deinde sorte ductos vesci cœpere. Tantis conflictati miseriis, tempestate aut ipso Oceani impetu in mare Suevicum, *the Baltic,* detruduntur. Ibi naves suas, viarum erroribus et regendi inscitiâ quassas, amisere. Neminem eorum sortis misertum est, quòd pro prædonibus haberentur. Igitur dum eluctantur, ut patrias sedes repetant, primùm à Suevis inter Albim et Vistulam, mox à Frisiis inter Amisiam et Rhenum, intercepti sunt. Quosdam eorum per commercia venumdatos, et in Romanam, id est, in sinistram Rheni ripam, (nam dextram tenebant Germani), adductos, indicium tanti casûs illustravit.

Agricola autem, post Grampiensem victoriam, in publicas curas utilitatesque intentus, auditâ illâ Usipiorum fugâ, certusque eos ex Occidentali Britanniæ parte in Orientalem Septemtrionali navigatione fuisse pervectos, classem misit, quæ Tao æstuario, nunc *Firth of Tay,* profecta, littora illa ab Oriente in Occidentem relegeret, et diligentissimè exploraret, Dio, loc. cit. Tunc primùm "hanc oram novissimi maris Romana classis circumvecta est, insulamque esse Britanniam adfirmavit:" tunc Orcades, hactenus famâ tantùm vulgatæ, fuere, eremigato Septemtrione, cognitæ et domitæ: tunc "dispecta est Thule, *the Shetland isles,* quas hactenus nix et hyems abdebat," ut dictum est supra cap. 10. Hinc verò intelligas non ad hanc Thulen, sed ad ipsam Britanniam referenda esse, quæ habet Statius, adulator magis, quàm poeta, in Sylvarum, lib. v. Protreptic. ad Crispinum, Bolani, Britanniæ præsidis, filium II. 54.

"Tu disce patrem, quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis, fessoque Hyperione Thulen
Intrârit mandata gerens."

Verùm, antequàm de Septemtrionali navigatione dicendi finem faciam, alterum proferam exemplum, quod, utinam fusiùs fuisset narratum, magnum naturæ arcanum reseraret. Auctore enim Plinio, II. 67. "*Cornelius* Nepos de Septemtrionali circuitu tradit, Quinto Metello Celeri, L. Afranii in consulatu collegæ (consules fuere A.U.C. 694. A.C. 61.) sed tum Galliæ proconsuli, Indos à rege Suevorum dono datos, qui ex Indiâ commercii causâ navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti." Sic ante viginti annos, cùm Elisabetha Augusta, imperium Russicum regeret, Japonenses, commercii causâ navigantes, tempestatibus abrepti, ad oram imperii Russici, *Kamchatka*, appulere, unde Petropolim, *Petersburg*, missi, ab Elisabethâ humanitate maximâ excepti et habiti sunt. At Indi, longiore errore, non modò Japonenses insulas, *Japan*, oramque imperii Russici, *Kamchatka*, sed et Orientales ac Septemtrionales Siberiæ et Laponiæ oras, *Siberia, Samoieds and Lapland*, circumvecti ad Oceanum, mareque Suevicum, *the Baltic*, flexere; unde à rege Suevorum habiti, dono dati sunt Quinto Metello Celeri, Galliæ proconsuli. Sic casus fecit, quod à Batavis Russisque magnâ cum laude tentatum, nondum tamen præstitum est. Tales autem casus nunc rarissimi ob nauticæ rei scientiam, mutatos armorum usus, et politicas imperiorum leges. Olim, audentioribus barbaris, frequentes erant, et eventorum, quæ hodie incredibilia videntur, feraces. Juvat ergò Usipiorum exemplum recentiore felicioreque Francorum exemplo confirmare. Illud habet Eumenius in Panegyrico Constantii, cap. 18. "Recursabat quippe in animos illa sub divo Probo et paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, et indigna felicitas, qui à Ponto usque correptis navibus, Græciam, Asiamque populati, nec impunè plerisque Libyæ littoribus appulsi, ipsas postremò navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracusas, et immenso itinere pervecti Oceanum, quà terras irrupit, intraverant: atque ita eventu

temeritatis ostenderant nihil esse clausum piraticæ desperationi, quò navigiis pateret accessus." Vide et Zosimum, lib. I. in fin.

Initio æstatis. Fortè scriptum olim, *initio VII.* vel *septimæ æstatis;* et numerus librariorum errore exciderit. Hæc enim æstas non eadem est, quæ memoratur supra cap. 25. Mox enim infra cap. 34. " ii sunt quos proximo anno, unam legionem furto noctis aggressos, clamore debellâstis."

CAP. 29. *Montem Grampium.* MS. Vatic. 3429. *Graupium.*

Hostes insederant. MS. Vatic. 3429. *hostis insederat.*

Nomine Calgacus. Ita MSS. Vatic. 3429 et 4498. nec aliter veteres editiones. Perperam ergò in recentioribus, *Galgacus.* Pomponius Lætus, cùm in suo exemplari primùm scripsisset, *Galgacus,* ipse emendavit, *Calgacus.*

CAP. 30. *Priores pugnæ.* Freinshemio Boxhornioque displicent, *pugnæ:* hanc vocem omitti volunt. Minimè tamen displicet, maximè cùm Cicero, Horatius aliique optimi scriptores sæpissimè dixerint, *pugnatas pugnas, pugnata bella, pugnare pugnam, &c.*

Quia nobilissimi....eòque in ipsis penetralibus siti. Miror Cl. Ernestum pro, *nobilissimi,* tentare, *novissimi;* nec videre cur, *nobilissimi in penetralibus,* habitent. Id tamen patet. Populi, montium incolæ, ut ceteris duriores fortioresque, sic quoque se nobiliores putant. Porrò ut Dii, ita et homines nobilissimi in penetralibus siti. Miraque vis inest in his Calgaci verbis. Cf. Rep. of Lett. for Apr. 1734. p. 248.

Contactu dominationis. Optimè Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *contractu.*

Sinus famæ. Frustra tentat Muretus, *famâ.*

Nunc terminus. In libris scriptis et editis, *nunc terminus Britanniæ patet: atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nulla jam ultra gens, &c.* Muretus delebat, *atque omne ignotum pro magnifico est.* Mutabat Acidalius, et legebat, *sinus famæ (namque omne ignotum pro magnifico est) in hunc diem defendit. Nunc terminus, &c.* Meliùs adhuc aptiùsque cohæreret oratio, si legeretur, *Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus*

famæ in hunc diem defendit; atque omne ignotum pro magnifico est. Sed nunc terminus Britanniæ patet: nulla jam ultra gens: nihil nisi fluctus, &c. Sicque vertêre Gallici interpretes Cll. Brueys, Guerin, de la Bleterie. Vulgatum ordinem retinuit Cl. Gordon, " At present the utmost boundary of Britain is laid open; and to conquer parts unknown, is thought matter of great pomp and boasting. Beyond us no more people are found, nor aught save seas and rocks; and already the Romans have advanced into the heart of our country." Murphy sic vertit, " But we are no longer safe in our obscurity: our retreat is laid open: the enemy rushes on, and, as things unknown are ever magnified, he thinks a mighty conquest lies before him. But this is the end of the habitable world, and rocks and brawling waves filleth the space behind. The Romans are in the heart of the country." Hæc postrema ita vertit, quòd pro, *infestiores Romani*, tunc in Taciti editionibus legeretur, *interiores Romani*.

Infestiores Romani. Optimè MS. Vatic. 3429. Sic quoque volebat Rhenanus vel, *eò manifestiores*. In veteribus editionibus, *inferiores*: unde Lipsius conjiciebat, *iis feriores*. Malè emendatum in multis editionibus, *interiores Romani*; cui convenit τὸ *ultra*.

Defuere terræ. Benè Rhenanus et recentiores. Perperam veteres editiones, *defuere: terram, &c.*

CAP. 31. *Etsi libidinem.* MS. Vatic. 3429. *etiamsi libidinem.*

Bona fortunasque in tributum egerunt: in annonam, frumentum. Ita Rhenanus et recentiores. Corruptè in MS. Vatic. 3429. *bonæ fortunæ quæ in tributum aggerat animus in frumentum, &c.* In editionibus veteribus, *bona fortuna quæ in tributum ageral annus in frumentum.* Unde suspecta vox, *egerunt*; et si quid felicius excogitaretur, reponendum.

Inter verbera. Ita MS. Vatic. 3429. In veteribus editionibus, *verbera emuniendis inter.* Hinc recentiores, *verbera inter ac contumelias.*

Et conservis. MS. Vatic. 3429. *etiam conservis.* Sed *et* pro *etiam* usurpatur.

Trinobantes. Perperam in veteribus editionibus, *Brigantes.* Optimè Camdenus, quem Ernestus aliique sunt secuti, emendavit *Trinobantes,* ut patet ex Annal. XIV. 31. Argutè nimis, qui *Brigantes* defendunt, quòd eorum ac Trinobantum una eademque sit origo.

Et libertatem non in præsentiâ laturi...non ostendamus...seposuerit? Ita quidem, sensim sine sensu mutatâ vetere scripturâ, editum. At in MS. Vatic. 3429. *et in libertatem non in pœnitentiam.* Veteres editiones, *et in libertatem non in præsentiam laturi primo statim congressu unde ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Minucianus primus edidit, *in præsentiâ;* alii posteà omisere præpositionem *in* ante *libertatem:* ac demum pro, *unde ostendamus··seposuerit,* emendatum à Pichenâ, *non ostendemus,* ab aliis, *non ostendamus··seposuerit?* Mihi verò et veteris scripturæ vestigia, et rerum, narratarum Annal. XIV. 33. memoriam repetenti probabile videtur Tacitum scripsisse, *et in libertatem, non in prædam, certaturi, primo statim congressu vividè ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Primò scriptum olim fuisse, *et in libertatem* suadent MSS. et veteres editiones. Deinde, *non in prædam* innuit tum series orationis, tum id quod narrat Tacit. Annal. XIV. 33. " Barbari, omissis castellis præsidiisque militarium, quod uberrimum spolianti, et defendentibus intutum, læti prædâ, et aliorum segnes petebant." Certaturi autem *in libertatem, non in prædam,* Latinè dicitur, ut apud Senecam in Thebaid. Act. I. vers. 298.

" Certant in omne facinus."

Denique quòd nobis emendandum videatur, *vividè ostendamus···· seposuerit,* facit et vetus scriptura, et auctoritas eruditi viri Josephi Scaligeri, qui ita in exemplari suo manu propriâ emendaverat, teste Rutgersio, " Lectiones Venusinæ," cap. 31.

Hujus autem loci, miserè corrupti, innumeræ sunt emendationes ab aliis propositæ, quarum præcipuas memorâsse sit satis. Muretus, *et in libertatem, non in populi Romani servitium nati.* Lip-

ius, *et libertatem non in præsenti ablaturi*, vel *illaturi*. Acidalius, *et minui libertatem non in præsentiâ laturi*. Heumannus, *et libertatem in præsentiâ ulturi, non primâ statim congressione ostendamus*. Cl. Ernestus, *et libertatem in præmium*, seu *in præmio, laturi, non primâ statim congressione ostendamus, &c.* Alii defendunt vulgata, *libertatem non in præsentiâ laturi*, quòd ea antiqua et Corneliana falsò existiment. Vide Misc. Obs. IX. 364. et Rep. of Lett. for Apr. 1734. p. 249.

Cap. 32. *Nostris illi dissensionibus.* Sic volebat Rhenanus. Pichena et recentiores edidere. Veteres editiones, *discessionibus.*

Licèt dominationi alienæ sanguinem commodent. Ita editio princeps; et quidem elegantissimè. Suffragatur MS. Vatic. 3429. *licèt dominationi alienæ sanguinem commendent.* Quòd Beroaldus, operarum sanè vitio, omiserat *licèt*, et ediderat *commodent*, emendatum est, *commodantes.*

Metus et terror est. Ita editio princeps; nec ineleganter. Beroaldus emendavit, *metus et terror sunt infirma vincula, &c.* Mox in MS. Vatic. 3429. *vincla.*

Qui timere desierint. Tentabat quoque Lipsius, *quos timere desierint.*

Conjuges accendunt. Benè editio princeps et recentiores. Malè Beroaldus, *accedunt.*

Paucos numero. Ita MSS. et veteres ac recentiores editiones. In mediis quibusdam *paucos numeros*, id est, cohortes, ut tentabat Lipsius.

Circùm trepidos. Circùm inutile sanè videbitur; et ab oscitantibus librariis è sequenti verbo *circumspectantes* facilè peti potuit: ut jam ab erudito Heumanno fuit observatum.

Dii nobis tradiderunt. Optimè Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *alii nobis tradiderunt.*

Ægra municipia. Benè MSS. Vatic. *ægra.* In veteribus editionibus, *erga.*

In æternum proferre. MS. Vatic. 3429. *perferre.*

Cap. 33. *Et barbari moris.* MS. Vatic. 3429. *ut barbari moris.*

Instruebantur acies. In MSS. Vatic. 3429 et 4498. *instruebatur.* Margini MS. Vatic. 3429. additum, *alius* habet *instituebatur.*

Munimentis coercitum. Sic MS. Vatic. 4498. ita quoque volebat Gronovius. In MS. Vatic. 3429. et libris editis, *monitis.* Adscriptum margini MS. Vatic. 3429. *alius* habet *munimentis.* Patet capite 35. militem castrorum vallo ac munimentis potiùs, quàm monitis, fuisse coercitum. Ursinus locum totum sic se scriptum invenisse ait in antiquo codice: *et vix munimentis coercitum militem, accendendum adhuc ratus.* Vide c. 35. Vult Tacitus vix contineri potuisse castris, quin extemplo procurrerent, et audacissimum quemque illum ex barbaris adsultantem excipierent ferro ante justum congressum. Vide Misc. Obs. IX. 364.

Militem accendendum adhuc ratus. Ita MS. Vatic. 3429. Mendosè libri editi, *militem adhuc ratus.* Unde Lipsius supplebat, *acuendum, incitandum,* aliudve tale. Vocem *accendendum* insertam ab ingenio mallem omitti, et pro *adhuc ratus* conjunctim *adhortatus* scribi. Misc. Obs. IX. 365.

Octavus annus est. Erat quidem æstas tantùm septima, ex quo in Britanniam venerat Agricola, ut vidimus supra cap. 28. At cùm anno antè, quàm veniret, fuisset consul, et statim post consulatum Britanniæ præpositus, supra cap. 9. inde fortè annus hic numeratus est octavus. Nempe consul et Britanniæ præpositus fuit A.U.C. 830. Ad montem Grampium pervenit et pugnavit A.U.C. 837. Fortè tamen erratum in numeris, et scriptum olim, *septimus annus est.* Vide Misc. Obs. IX. 365.

Equidem sæpe in agmine. Ita MS. Vatic. 3429. In libris editis deest, *sæpe.*

Voces audiebam. Benè MS. Vatic. 3429. In editione principe, *voce audiebam.* Beroaldus emendavit *vocem;* quod deinde ceteri retinuere.

E latebris suis extrusi. Ita editiones veteres. Malè mutatum in recentioribus, *à latebris.*

Superâsse tantum itineris. Benè Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *superesse.*

Ita fugientibus. In MS. Vatic. 3429. et editionibus veteribus, *item fugientibus.*

Hodie prosperrima sunt. Mallet Ernestus, *hostibus prosperrima sunt.* Quòd, inquit, aliter non habeas, quò referas, quæ mox sequuntur, *eadem notitia...eadem abundantia.* Nihil tamen mutaverim. Hæc brevitas in oratione placet.

Cap. 34. *Fortissimum quodque animal contra ruere.* Benè MS. Vatic. 3429. In veteribus editionibus, *animal ruere.* Inde in recentioribus emendatum, *robore.* At minimè Cornelianum est, *robore pelluntur.*

Quos quòd tandem invenistis, non restiterunt. Ita MSS. Vatic. et libri editi. Margini MS. Vatic. 3429. adscripserat Pomponius Lætus, *quos quòd tam diu non invenistis, restiterunt. Sic legendum puto.* At potior est vulgata scriptura, ut attendenti cuique videbitur.

Deprehensi sunt novissimi. Benè Rhenanus et recentiores. Corruptè in veteribus editionibus, *novissimè.*

Res et extremo metu corpora. Ita MS. Vatic. 3429. et quidem aptè. Veteres editiones pro *res* habent *id.* Inde Pichena emendavit, *ideo extremo metu corpora.* Sic res et corpora memoravit Livius, cùm Romanorum, captâ à Gallis urbe, angustias describeret: "nec ullius rerum suarum relicti, præter quàm corporum, vindices," Livius, v. 42.

Defixere in his. Editiones veteres, *defixere aciem in his, &c. Aciem* additum puto, quòd ante *defixere* interpungebatur hoc modo, *corpora: defixere aciem in his, &c.* Frustra totum hunc locum mutat Cl. Ernestus, *sed deprehensi sunt ignavissimi, et extremo metu torpidi defixere aciem in his, &c.*

Causas rebellandi. Ita veteres et recentiores editiones. Malè Rhenanus, et qui eum sunt secuti, *debellandi.*

Cap. 35. *Octo millia.* In MS. Vatic. 3429. *octo millium.*

Bellanti. MS. Vatic. 3429. et veteres editiones ante Rhenanum, *bellandi.*

Constiterat. Ita MS. Vatic. 3429. In libris editis, *constiterant.*

Connexi. MS. Vatic. 3429. *convexi.*

Covinarius et eques. Copula *et* abest à MS. Vatic. 3429. et editionibus veteribus.

Promtior in spem. Ernestus mallet, *pronior in spem.*

CAP. 36. *Simul constantiâ.* MS. Vatic. 3429. *simulque constantiâ.*

Tres Batavorum cohortes. Benè MS. Vatic. 3429. et recentiores editiones. In veteribus, *per Batavorum cohortes.*

In arcto pugnam. Libri omnes editi, sed malè, *in aperto pugnam.* Lipsius tentabat, *in opertos,* vel *in operta:* Schelius, *in aperta:* Cl. de la Bleterie, *inoperti.* Felicior ceteris Franciscus Medicis, vir egregius et in multis de Tacito benè meritus, optimè emendabat, *in arcto,* cui Pichenus subscribit et Gruterus, ut postulat ipsa orationis series. Sic quoque de Hispanis, Livius, XXVIII. 33. "in arcto pugna Romano aptior, quàm Hispano militi futura videbatur." Duo in Britannis reprehendit Tacitus, et quòd ferire hostem non possent, et quòd non possent sese tegere; unde statim liquet, *pugnam in aperto,* Tacitum vocare, in corpora Britannorum non tecta propter parva scuta. Misc. Obs. IX. 367.

Et tractis. Ita libri omnes editi. Muretus emendabat, *et fractis.* At cùm in MSS. Vatic. 3429 et 4498. legatur tantùm, *et tratis.* Puteolanus conjecturâ edidit, *et tractis.* Ad rem et veteris scripturæ vestigia aptiùs ac propiùs, *et prostratis.* Hoc verbo sæpe utitur Tacitus in Annalium et Historiarum libris.

In æquo obstiterant. MS. Vatic. 3429. *adstiterant.*

Equitum turmæ fugêre. Tentat Lipsius, *equitum turmæ effudere,* aut potiùs, *effusæ.* Ernestus, *erupere.* Sed inutiliter; si ad ea, quæ in notis observavimus, attendatur.

Hostium agminibus. Romanos Tacitus minimè dixit, *hostes.* Vel ergò, ut volebat Muretus, emendandum *nostrorum:* vel, quod ob veterem scripturam commodius, *cohortium,* ut monet Ernestus. Rectè, ut mihi videtur, Acidalius de agminibus Britannorum exponit, quibus covinarii erant immixti. Vide Misc. Obs. IX. 368.

Cùm ægrè diu stantes. Corruptè veteres editiones, *cùm ægra diu aut stante.* Rhenanus, quem omnes posteà sunt secuti, emen-

davit, *cùm in gradu stantes.* At cùm MS. Vatic. 3429. habeat quoque *ægra diu*, emendandum edendumque, *ægrè diu*, optimo quidem sensu et èx vetere scripturâ. Tentabat Trillerus, *ægrè clivo stantes.* Vide Misc. Obs. IX. 368.

CAP. 37. *Summa collium.* MS. Vatic. 3429. *summam.*

Accurrerant. MS. Vatic. 3429. *accucurrerant.*

Appropinquârunt. MS. Vatic. 3429. *appropinquaverunt.*

Nec alius alium. Emendabat Acidalius, *sed alius alium.*

Trecenti sexaginta. In libris editis, *trecenti quadraginta.* At potior est fides MSS. Vatic. 3429 et 4498. qui *trecenti sexaginta* habent. In numeris X L. pro L X. facilè errare potuit Puteolanus, unde ad ceteros pervulgatus error.

CAP. 38. *Britanni palantes.* MS. Vatic. 3429. *Britannique palantes.*

Dein separare. Benè MS. Vatic. 3429. Sic quoque conjecerat Lipsius. Malè libri editi, *sperare:* unde Grotius tentabat, *desperare;* Ernestus, *spernere.*

Secreti colles. Ernestus mallet, *deserti colles.*

Horestorum. MSS. Vatic. 3429 et 4498. *Borestorum.*

Trutulensem portum. Ita libri editi. In MS. Vatic. 4498. corruptè, *trutulens est.* MS. Vatic. 3429. *trucculensem.*

Omnis redierat. Vulgò, *omni,* sed mendosè, ut jam monuere Lipsius ac Pichena; patetque ex ipsâ Latinitate. Quis enim ferat, *proximo latere Britanniæ lecto omni?* Pro *redierat,* frustra tentat Rhenanus, *exierat.* In MS. Vatic. 3429. *proximo Britanniæ latere.* Totum autem hunc locum ita emendabat Cl. Heumannus: *Et simul classis secundâ tempestate ac famâ Trutulensem portum tenuit, quæ* (subaudi *classis*) *proximè, littore Britanniæ lecto omni, redierat.* Tacitus vult, classem illam in abitu primùm latus Britanniæ lustrâsse, vectam secundâ tempestate ad portum Trutulensem, inde revectam fuisse ac rediisse alio et proximo latere, et sic latus utrumque circumnavigâsse. Vide Misc. Obs. IX. 369.

CAP. 39. *Agricolæ auctum.* Benè Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *actum.*

Ut Domitiano moris erat. Ita MS. Vatic. 3429. et libri omnes editi. In MS. Vatic. 4498. *ut erat Domitianus.* Sic quoque annotatum in margine MS. Vatic. 3429.

Excepit. MS. Vatic. 3429. *excipit.*

At nunc. Benè Rhenanus. In veteribus editionibus, *ac nunc.*

Tot millibus. Ita editio princeps et recentiores. Malè Beroaldus, *tot militibus.*

Alius occuparet. Frustra tentat Lipsius, *altiùs* vel *arctiùs occuparet.* Pichenus huic emendationi suffragatur.

Utcumque faciliùs. Faciliùs omissum vellet Ernestus.

Etiam tum. Mallet Ernestus, *etiamnum.*

CAP. 40. *Addique insuper.* Benè Muretus, *additque.* Retineri tamen potest vulgata scriptura. Vix est dubium, quin Tacitus sic scripserit. Vide Misc. Obs. IX. 370.

Præceptum erat. Ita veteres et recentiores editiones. In mediis quibusdam omissum, *erat.*

CAP. 41. *Pannoniâque.* In MS. Vatic. 3429. *et Pannoniâ.* Durius certè, nec ex Taciti more, *in Mœsiâ, Daciâque, et Germaniâ Pannoniâque.*

Tot militares viri. Malè tentat Lipsius, *militares numeri:* Gronovius, *vici.* Corbulo *vir militaris* dictus est supra Annal. XV. 26.

Cum inertiâ et formidine. Ita MSS. Vatic. Sed in margine MS. Vatic. 3429. notatum, *alius* habet, *inertiæ et formidini.* Mox pro *eorum* Grotius emendabat *ceterorum:* non ita feliciter Ernestus, *cæsorum.*

CAP. 42. *Asiæ et Africæ.* Mallet Lipsius, *Asiæ aut Africæ.* Vulgatam scripturam defendit Mercerus: nec immeritò, nam Asiam et Africam sortiri, ait, idem esse, ac sorte ducere, utram quis regat. Vide Misc. Obs. IX. 371.

Non jam obscuri. Ita Rhenanus et recentiores. In MS. Vatic. 3429. et editionibus veteribus, *non tam obscuri.*

Paratus simulatione. Sic MSS. Vatic. et libri editi. Margini tamen MS. Vatic. 3429. adscriptum, *alius* habet *simulationis.* Mallet Ernestus, *paratâ simulatione.*

Proconsulari. Mallet Cl. de la Bleterie, *proconsulare.*

Quibus moris est. Ita MS. Vatic. 3429. et editio princeps. Malè Beroaldus et recentiores omisere, *est.*

Eò laudis excedere. Mallet Lipsius, *accedere* vel *escendere.* Eleganter utrumque. Etsi ibi fortasse meliùs fuerit vulgatum *excedere* non movere. Nam eo modo non semel loquitur Valerius Maximus, tanquam v. 6. 4. Ruhnken. ad Rutil. Lup. 49.

Nullum reipublicæ usum. Ita Mercerus et recentiores. In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *nullum rei post usum.*

CAP. 43. *Extraneis etiam ignotisque.* Viri eruditi ad Agricolam referunt Græcum Antiphili, Byzantini, epigramma, fortè olim in Agricolæ villâ inscriptum, quod nunc extat in Anthologiâ, libr. I. Tit. 37. [Br. Anth. Gr. T. II. 180. XXXIX.]

Κρηναῖαι λιβάδες, τί πεφεύγατε; ποῦ τόσον ὕδωρ;
Τίς φλὸξ ἀενάους ἔσβεσεν ἀελίου;
Δάκρυσιν Ἀγρικόλαο τετρύμεθα· πᾶν δ' ὅσον ἡμῖν
Ἦν ποτὸν, ἡ κείνου δίψας ἔχει σποδιή.

Eleganter vertit eruditus Grotius in MS. Latinâ suâ Anthologiâ:

"Quò fontis latices, quò copia vestra recessit?
Perpetuas Solis quis calor hausit aquas?
Agricolæ luctu consumimur: illius, antè
Humida, nunc fiunt pulverulenta, siti."

Aliud agens. Benè Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *alius.*

Lætatus est....oblitus est. Alterutrum *est* redundat, ut rectè monuit Muretus.

Nobis nihil comperti. Benè Rhenanus et recentiores. Veteres editiones, *vobis.* Acidalius inter *comperti* et *affirmare* supplebat *quod.* Comperti nobis, i. e. quod nobis compertum sit. Misc. Obs. IX. 371.

Ex more principatûs. Acidalius et Muretus scribunt, *principis.* At Tacitus non loqui de uno principe aut Domitiano videtur, sed de omnibus. Vide Misc. Obs. IX. 372.

Momenta deficientis. Ita libri omnes editi. In MS. Vatic. 3429. *momenta ipsa.*

Nuntiata constabat. In veteribus editionibus ante Rhenanum, *constabant.*

Animo vultuque præ se tulit. Dejectis severisque oculis, vultûs; ἀπαθείᾳ et solitudine, animi dolor fingitur. Verè ergò de Domitiano dictum, *speciem doloris animo vultuque præ se tulit.* Frustra autem tentat Acidalius, *doloris omnino vultu:* Freinshemius, *doloris amictu vultuque:* Gronovius, *doloris mimo vultu:* Ernestus, *doloris habitu vultuque.* Horum quædam absurda, omnia Tacito indigna. Simpliciter et benè vertit Davanzati, " parue nondimeno di volto e d'animo addolorato."

CAP. 44. *Tertiùm consule.* Benè Ursinus, Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *ter consule.*

Nihil metûs in vultu. Ita libri omnes editi. In MS. Vatic. 3429. *nihil impetûs in vultu.* Margini adscriptum, *alius* habet *metûs.* MS. Vatic. 4498. *nihil metûs et impetûs in vultu.*

Speciosæ contigerant. Benè libri omnes editi. Idque postulat ipsa rerum series. Malè MSS. Vatic. 3429 et 4498. *speciosæ non contigerant.* At in margine MS. Vatic. 3429. additum, *alius* habet *speciosæ contigerant.*

Nam sicuti durare in hâc beatissimi seculi luce. Ursinus laudabat è veteri codice, *nam sicuti magnæ cujusdam felicitatis esse, durare in hâc beatissimi seculi luce.* Sed incerta hujus codicis fides, maximè silentibus MSS. Vatic. Meliùs Acidalius et Buchnerus emendabant, *durare in hanc beatissimi seculi lucem.*

Quod augurio. Benè MS. Vatic. 3429. et veteres ac recentiores editiones. Rhenanus *quod* perperam omiserat. Potuit

tamen pro *quod* scripsisse *quasi*, et sic ostendisse judicii sui illa esse verba. Misc. Obs. IX. 373.

CAP. 45. *Clausum armis.* MS. Vatic. 3429. *clusum armis.*

Albanam arcem. Ita MSS. 3429 et 4498. In margine MS. Vatic. 3429. additum, *alius* habet *villam.* Inde in veteribus editionibus, *Albanam arcem villam.* Frustra ergò Pichena tentavit, *Albanam arcem nulla sententia, &c.* Nam Tacitus ab iis delatoribus, qui tum minimè nocuerant, progreditur ad illos, qui maximè. Vide Misc. Obs. IX. 373.

Jam tum reus. Mallet Gronovius, *etiam tum reus.*

Nos Maurici Rusticique visus. Ita MSS. Vatic. et libri omnes editi. At in margine MS. Vatic. 3429. scriptum, *alius* habet, *nos Mauricium Rusticumque divisimus.* Unde, ut supra in notis diximus, emendandum nobis videtur, *nos Mauricum Rusticumque divisimus.* Suffragatur Ursinus, qui ait ita fuisse scriptum in vetere suo codice. Malè tentat Acidalius, *nos Maurici Rusticique vidimus casus.* Vide Misc. Obs. IX. 374.

Subtraxit oculos. MS. Vatic. 3429. *oculos suos.*

Quo se contra pudorem. Benè Lipsius et Ernestus. In veteribus editionibus, *à quo.*

Filiæque. Benè Rhenanus et recentiores. Quare *ejus* deleverint, non video. Est enim sermo de filiâ Agricolæ, Taciti conjuge. In veteribus editionibus, *filioque ejus.* MS. Vatic. 3429. *filiæque ejus.* Pichena pro *ejus* scribit *tua.* At sermo est ad lectorem. Vide Misc. Obs. IX. 374.

Complexu. MS. Vatic. 3429. *complexuque.*

Excepissemus certè. Benè Pichena et recentiores. In veteribus editionibus, *excepissem.*

Optime parentum. Ita editio princeps et recentiores. Beroaldus, *optimâ.*

Compositus es. MSS. Vatic. 3429 et 4498. *comploratus es.* At in margine MS. Vatic. 3429. *compositus es.* Sic quoque habent libri omnes editi.

CAP. 46. *Nosquè, domum tuam.* Benè veteres et recentiores editiones. Copula *que* in mediis quibusdam omissa.

Temporalibus laudibus. Mallet Lipsius, *te immortalibus laudibus.* Sed haud probabiliter. Minimè enim crediderim Tacitum *immortales laudes* hìc sensisse, aut scripsisse. Nec displicet, *temporalibus.*

Suppeditet. Suppeditat, Boxhorn.

Similitudine decoramus. Corruptè MS. Vatic. 3429. et libri omnes editi, *militum decoramus.* MS. Vatic. 4498. *multum decoramus.* Ad veterem scripturam rerumque seriem accommodatè emendavit Grotius, *similitudine decoremus.* Alii tentant, *imitatione, imitando, imitatu:* Heinsius, *æmulatu.* Sed non ita placent. Ursinus è veteri suo codice, in quo scriptum, *admiratione potiùs, quàm æmulatione decoremus,* corrigebat, *admiratione te potiùs, quàm æmulatione, et si natura suppeditet, imitatione virtutum decoremus.* At incerta, ut jam monui, hujus codicis fides.

NOTÆ ET EMENDATIONES

AD DIALOGUM DE ORATORIBUS

C. CORNELII TACITI.

C. Cornelii Taciti dialogus de Oratoribus. Ita MSS. Vatic. 1518. 1862 et 4498. In editione princip, *Cornelii Taciti equitis Romani dialogus de Oratoribus claris.* Puteolanus et Beroaldus, CORNELII TACITI EQUITIS ROMANI DIALOGUS AN SUI SECULI ORATORES ANTIQUIORIBUS ET QUARE CONCEDANT. Deinde plurimi vel Quintiliano, vel M. Apro, vel Curiatio Materno dialogum hunc vindicare voluere: at nullâ nixi auctoritate, ne probabilibus quidem argumentis. Dialogus hic habitus est, Principe Vespasiano, ejusque imperii anno sexto. Tunc scriptor dialogi erat *juvenis admodùm*, ut constat ex primo capite. Quod Quintiliano, Aprove, aut Materno, tum grandævis, minimè convenit. At, inquit Lipsius, nec Tacitus tunc fuit admodùm juvenis, siquidem honores cœpit sub Vespasiano. Miror id objici à viro eruditissimo, qui honores illos fuisse juventutis proprios ipse noverit, sæpeque in suis ad Tacitum notis monuerit. Præterea biennio post habitum hunc dialogum, cùm Tacitus uxorem duceret filiam Cn. Julii Agricolæ, ipse testatur se adhuc esse

juvenem, ut patet ex Vitâ Agric. cap. 9. " Consul egregiæ tum spei filiam juveni mihi despondit, ac post consulatum collocavit." Nec meliùs objiciunt styli diversitatem : diversus esse debet pro diversâ scriptoris ætate : diversus quoque ob argumentorum diversitatem. Nemo sanè eumdem in dialogo, quem in Historiarum Annaliumque libris stylum requiret. Insuper, quæ dialogi laus est, studuisse videtur Tacitus, ut cujusque ingenium redderet, nec rationes modò, sed et numeros referret. Inde ipse, cap. 1. " Ita non ingenio, sed memoriâ ac recordatione opus est, ut quæ à præstantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi ....dum formam sui quisque et animi, et ingenii redderet, iisdem nunc numeris, iisdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis." Verùm licèt aliorum ingenio Tacitus indulserit, non ita tamen sui est oblitus. Nonnunquam emicat ejus vis et eloquentia. Multa quoque occurrunt, quæ ejus stylum redolent, ut in notis sæpe supra fuit observatum. Ergò donec validiora argumenta proferantur, ob auctoritatem veterum librorum, quæ maxima esse debet, dialogum hunc Tacito minimè abjudicaverim. Suffragatur et Pomponius Sabinus, mediæ ætatis grammaticus, qui unum hujus dialogi locum, Tacitumque auctorem laudat. Vide Testimonia Veterum.

Cap. 1. *Et laude eloquentiæ orbata.* Ita MSS. Vatic. In libris omnibus editis, *deserta, et laude orbata.* Undè emendabat Gronovius, *defecta eâ laude, et orbata :* Schurzfleischius, *diserta, at laude orbata.* Malim, *diserta, at laude eloquentiæ orbata.* Sic emendandum patet tum ex hoc capite, *horum autem temporum diserti ;* tum è dialogi fine, cap. 41. " Credite, optimi, et, in quantum opus est, disertissimi viri." Et sic alibi passim.

Appellamus. In MSS. Vatic. *appellemus.*

Malè existimandum sit. Ita Lipsius et recentiores è MS. Farnes. *Sit* abest ab editionibus veteribus ; et rectè omitteretur.

Si mea sententia. In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *si mihi mea sententia.*

Iisdemque rationibus. Perperam veteres editiones, *orationibus.*

CAP. 2. *Curiatius Maternus.* Ita MSS. Vatic. In MS. Farnes. *Curatius.* In libris editis, *accuratiùs.*

In quantum. Benè Rhenanus et Pithœus. Perperam veteres editiones, *in quem.*

Communi eruditione imbutus. In MSS. Vatic. 1862 et 1518. ac veteribus editionibus, *cum eruditione imbutus.* In MS. Vatic. 4498. *omni eruditione.* Benè emendavit Lipsius, *communi.*

Et quem pridie. Copula *et* abest à MS. Vatic. et editionibus veteribus. Eam non malè addidit Lipsius è Cod. Rom.

CAP. 3. *Catonis tui ames.* Benè Lipsius. Malè veteres editiones, *Catonis tui aures.*

Apprehendisti. Ita Rhenanus et recentiores. In veteribus editionibus, *deprehendisti.* Lipsius et Modius mallent, *reprehendisti.*

Leges tu quidem si volueris. In editione principe, *leges tu quidem sibi debueris.* Inde Puteolanus, quem omnes sunt secuti, emendavit, *si volueris.* Aliter tamen, ac fortè meliùs MSS. Vatic. 1862 et 4498. *leges tu quid Maternus sibi debuerit, et agnosces, &c.* Ita quoque MS. Vatic. 1518. sed pro *quid Maternus,* habet *quod Maternus.*

Sequenti recitatione. Ita MSS. Vatic. Sic quoque placebat Lipsio. Perperam in libris editis, *tractatione.*

Editionem festino. Mallet Gronovius, *gestio.*

Causarum studiis. Benè Lipsius et Ernestus. Malè in veteribus editionibus, *curarum.*

Vix sufficeres. MSS. Vatic. *Suffeceris.*

Græcorum fabulis. MSS. Vatic. *Græculorum.*

Aggregares. Mallet eruditus Pithœus, *adgregare.*

CAP. 4. *Desidiam advocationum objicis.* Benè Lipsius è MS. Farnes. Perperam in veteribus editionibus, *desidiam advocamur, quotidianum, &c.*

Defendendæ adversùs te poeticæ. Benè adhuc Lipsius è MS. Farnes. In veteribus editionibus, *defendens adversùs te poeticè.*

Forensium causarum. Ita MSS. Vatic. Sic quoque placebat Schelio et Ernesto. Malè libri editi, *forensium musarum.*

CAP. 5. *Modesti judices.* MS. Vatic. 1862. *moderati judices.*

Se excusent. *Se* abest à libris editis. In editione principe antiquâ manu rectè additum reperi.

Gratiâ prævalere. Ita editiones veteres et recentiores. Malè in Lipsianis libris, *gratiæ.*

Ego enim..arbitrum...inveni..societate plurium. Locum hunc optimè restituit P. Pithœus. Corruptè in veteribus editionibus, *et ego enim .... arbitrium .... inveniri .... solicitè plurimum defendi.* Benè MS. Farnes. *societate plurium.* Antiquâ quoque manu in editione principe emendatum, *inveni.*

Sed et ipsum. Mallet Muretus, *sed ipsum.* Rhenanus, *sed id ipsum.*

Apud vos. Benè Lipsius et Ernestus. In veteribus editionibus, *apud eos.*

Parare simul. MSS. Vatic. *parere.*

Adsciscere nationes. Ita libri omnes editi. In MS. Vatic. 1862. *necessitates.* MSS. Vatic. 1518 et 4498. *necessitudines.*

Factaque nostra. Benè Lipsius et Ernestus è libro Rom. In veteribus editionibus, *facta nostra.* MSS. Vatic. 1518 et 4498, *factaque per nostra.*

Quid erit tutius. Ita Puteolanus et recentiores. In MSS. Vatic. *quid est.* Editio princeps, *quid enim.* Acidalius mallet *utilius.*

Ultro feras. MSS. Vatic. et editiones veteres, *ferat.*

Prosperè fluentibus. Ita MSS. Vatic. Malè veteres editiones, *prope fluentibus.* Posteà emendatum, *probè.*

Aliorum præsidio. MS. Vatic. 1862. *profugio.* MSS. Vatic. 1518 et 4498. *perfugio.*

Periculum increpuit. In veteribus editionibus, *periculum irrepat.* Benè Lipsius è MS. Farnes. *increpuit.* Ut apud Ciceronem in Catilin. 1. 7. *Quidquid increpuerit, Catilinam timeri:* apud Livium, *inde si quid increpet terroris.*

Lorica, aut gladius. Optimè Rhenanus. In MSS. et veteribus editionibus, *loricæ gladius.*

Eloquentia, præsidium. Ita veteres editiones. Sic quoque placebat Acidalio. Frustra Lipsius et recentiores, *eloquentiæ.*

Vel in judicio. Mallet Muretus, *sive in judicio.*

Cui parti. Ita MSS. Vatic. Lipsius et recentiores. Malè editio princeps, *cui partim:* unde Puteolanus et alii, *cui præsertim.*

Cap. 6. *Uno aliquo.* Ita MSS. Vatic. et sic placebat Schurzfleischio. In libris editis, *uno aliove.* Unde tentabat Gronovius, *alterove. Unum aliquem diem* dixit Tullius, IV. in Verrem.

Domum suam. Ita MSS. Vatic. *Suam* abest à libris editis.

Neque officii. MS. Vatic. 1862. *non officii.* Veteres editiones, *neque officiis alicujus administrandis.* Quod probabat Schurzfleischius: sed pro *alicujus* tentabat *alius.*

Sibi ipsi dari. Frustra Gronovius, *tibi ipsi.*

Illos quinimmo. MSS. Vatic. 1862 et 1518. *istos.*

Et potentes. Ita Lipsius è MS. Absunt ab editionibus veteribus.

Homines veteres. Acidalius delebat, *veteres.*

Urbis gratiâ. Sic Pithœus et recentiores. In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *orbis.*

Quod optimum sit. Malè tentat Gronovius, *id quod apud te sit, se non habere.*

Quod gaudium. MSS. Vatic. *quod id gaudium.*

Adsistendique. Mallet Ernestus, *dicendique.*

Circumfundi coram. Acidalius et Schelius mallent, *coronam:* probavit Ernestus, et edidit.

Quemcumque orator induerit. Ita Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *quacumque orator induxerit.* Mallet Schurzfleischius, *quacumque orator respexerit.*

Percenseo. Benè editiones veteres et recentiores. Malè in mediis quibusdam, *parva censeo.*

Adfert orationem. Sic libri omnes editi. In MS. Vatic. 1862. *profert.* MS. Vatic. 4498. *fert.* MS. Vatic. 1518. *proferre.*

Trepidatione animi. Ita Pichena et recentiores omnes. In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *animus.*

Nam in ingenio. Benè Pithœus et Acidalius. Præpositio abest à veteribus editionibus.

Quamquam alia diu. Mallet Ernestus, *quamquam utilia,* vel, *utiliora, quæ serantur.*

CAP. 7. *De me ipse fatear.* Ita editiones veteres et recentiores. In MSS. Vatic. et editionibus mediis, *de me ipso.*

Tum habere quod in se, non in alio, oritur. Sic emendavit Illustr. Huetius: optimè quidem, et aptissimè ad mores hujus seculi, quo Stoica vigebant placita. Eorum enim summa est, hæc tantùm habere bona, quæ in se, non in alio, oriuntur. Malè libri editi, *tum abire quod si non in alio oritur.* Frustra tentabat Pithœus, *tum habere, quod non in alvo oritur;* vel, *quod si non aliunde oritur.* Schelius, *tum habere, quod non in alios congeritur,* vel, *confertur:* Schurzfleischius, *tum in cœlum abire, quod id non ab alio oritur.* Alii aliter, et æquè infeliciter.

Codicillis datur. Ita MSS. Vatic. Libri editi, *in codicillis.* Præpositionem omittebat quoque Pithœus.

Quæ fama et laus cujusvis artis. Ita Lipsius et recentiores omnes. In editionibus veteribus, *quid fama.* Beroaldus emendavit, *cujusvis:* anteà editum, *cujus.*

Non illustres in Urbe solùm. MSS. Vatic. 1862 et 4498. *non illustres et non in Urbe solùm.* MS. Vatic. 1518. *non illustres et non solùm.*

Quibus modò recta et indoles est. Ita MSS. Vatic. et optimè. Sic Tullius, 1. de Divin. 86. Quintilianus "Instit. Orat." VI. 3. ipseque Tacitus infra cap. 10. *modò* pro *quidem* usurpavere. Perperam libri editi, *quibus morum et indoles est.* Lipsius è Romanâ, nescio quâ, editione, laudat, *quibus major indoles.*

CAP. 8. *Non minùs esse.* Videtur excidisse, *notos;* idque jam monuere Muretus et Lipsius. Emendabat Schurzfleischius, *non minoris esse.* Salinerio et Schelio probatur vulgata scriptura: sed immeritò.

Nec hoc illi alterive. Sic optimè emendavit Illustr. Huetius. In libris omnibus editis, *nec hoc illis alterius ter millies.* Unde

tentabat Lipsius, *nec hoc illis, alterius ter millies, alterius bis millies:* Cl. de la Monnoye, *nec hoc illis ulterius.* Rodolphus Agricola, *nec hoc illis utriusque.* In editione Oxoniensi Declamationum Quintiliani, an. 1675. in quarum fine additus hic dialogus, *nec hoc illis alterive.*

Sed ipsa eloquentia. *Sed* abest à veteribus editionibus. Addendum optimè viderunt Lipsius, Freinshemius et recentiores. Anteà malè distinguebatur, *venisse. Ipsa eloquentia, &c.*

Ad quantam. MSS. Vatic. *ad quam.*

Sed hæc, ut supra dixi, proxima. Benè Lipsius è MS. Farnes. In editione princips, *sed habet, ut supra dixi, propriam.* Puteolanus, *propria.*

Spectanda haberemus. Ita editiones veteres et recentiores. In mediis quibusdam, *habemus.*

Angustia rerum. Ita Puteolanus et recentiores omnes. In MSS. Vatic. et editione princips, *angustia ereptum.* Unde tentabat Rodolphus Agricola, *angustia parentum:* Lipsius, *angustiæ rerum.*

Eos circumsteterunt. Id minus Latinè dictum censet Ernestus; ut et mox illud *substantia facultatum.*

Potentissimi civitatis. In veteribus editionibus lacuna est post *potentissimi.* Supplevit Lipsius, *civitatis.* Supplebat Rodolphus Agricola, *in judiciis.*

Patientissimus veri. Veteres editiones, *patientissimus vir.*

Ipsi accumulare. MSS. Vatic. *ipsis.*

Imagines, ac tituli. Benè Lipsius è MS. qui sanè Farnesianus est. Perperam in veteribus editionibus, *imagines Attali.*

Quàm qui fastidiat. Ita MSS. Vatic. et editiones veteres. *Qui* malè omissum in recentioribus.

CAP. 9. *Utilitates alunt.* Barthius, *Adversaria,* p. 2088. mallet, *utilitate se alunt.* Quasi carmina non tantum præmii auctoribus referrent, quantum in iis sumptûs facere necesse sit. At vulgata scriptura retineri potest.

Quæ deinde. MS. Vatic. 1862. *quæ deinceps.*

Cui bono est. Benè Lipsius è MS. Perperam in veteribus editionibus, *crebro est si apud te.*

Denique ipse. Ipse abest ab editione principe. Puteolanus supplevit, *aliquis.*

Auditorium. Malè Beroaldus, *adjutorium.*

Recitationem ejus. Benè Lipsius. In veteribus editionibus, *recitatione.* Ex quo alii emendaverant, *recitationum.*

Illa laus. MS. Vatic. 1862. *ista.*

Seipsum colere, suum ingenium propitiare. Ita MSS. Farnes. et Vatic. 1862 et 1518. Inde Lipsius emendavit et edidit, *suum genium propitiare.* Fortè verius est redundare, *suum ingenium,* vel, *genium, propitiare.* Certè hæc enim absunt à veteribus editionibus. Et in MS. Vatic. 4498. legitur, *seipsum colere, sive ingenium propitiare.* Quod apertè glossema recentemque interpretationem indicat.

CAP. 10. *In totam urbem penetrat? nedum.* Optimè Lipsius è MS. in quo erat, *penetrat medium.* Corruptè editiones veteres, *penetrat metrum.*

Ad id. MSS. Vatic. *ad illud.*

Obnoxium sit offendere. Acidalius mallet, *offensæ.* Schurzfleischius, *offensis.*

Pro Catone offendis. MSS. Vatic. *offendes.*

Hinc ingentes....hinc in auditoriis. Utroque in loco MSS. Vatic. *hìc.*

In quibus expressis. Tentabat Lipsius, *in quibus, expressit si quandò necessitas.* Probabiliùs Cl. de la Monnoye, *expressis* mutabat in *expressius.* Vulgata scriptura retineri potest.

CAP. 11. *Et intento ore.* Frustra tentat Acidalius, *et intentior.*

Paravi. Corruptè MSS. *parant.* Editiones veteres, *parat.*

Aper laudat. MSS. Vatic. *laudaverat.* Meliùs, *laudare,* ut jam dictum est in notis. Sic quoque placebat Lipsio.

Arte quâdam. Acidalius frustra addit, *id arte quâdam.*

Efficere aliquid et eniti. Ita Lipsius et recentiores. In editione principe, *efficere ut niti.* Puteolanus omisit, *efficere ut:* retinuit tantùm, *niti.*

Improbam. Pichena, *improbatam.* Fortè librariorum errore. Nihil enim monet.

Vatinii potentiam. Malè libri omnes editi, *vaticinii.* Emendandum, *Vatinii,* rectè monuere eruditi viri J. Fr. Gronovius et de la Monnoye.

Ingredi famam. MSS. Vatic. *et ingredi.*

Et hodie. Et abest ab editionibus veteribus. Lipsius reposuit è Romano libro.

Me sejungere. MSS. Vatic. et editiones veteres, *dejungere.*

Frequentiam salutationum. Schelius et Schurzfleischius mallent, *salutantium.* Sic infra cap. 13. *fremitus salutantium.*

Et egressus. Mallet Pithœus, *et gressus.*

Statum hucusque. Ita emendabat Lipsius, et benè quidem, et edidit Ernestus. Malè in MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *cujusque.* In mediis editionibus, *hujusque.* Schultingius mallet *quoque.*

Innocentiâ tueor. Non ita benè Pichena, *melius innocentia tuetur, quàm eloquentiâ.*

CAP. 12. *Commoda mortalibus.* Benè Muretus et Schelius emendant, *commendata.* Non ita feliciter Lipsius, *commodata* vel *comta.*

Lucrosæ hujus. Malè quidam conjiciunt, *luctuosæ.*

Vatibus abundabat. Ita MSS. Vatic. et sic rectè conjecerant Muretus et Acidalius. Malè in libris ante Ernestum editis, *abundat.*

Aut gloria major. Benè Lipsius è MS. Farnes. in quo, *gloria more.* MSS. Vatic. *gloria in ore.* Pessimè editiones veteres, *nec aut illud clamore....aut angustiæ honor.* Sic quoque in MSS. Vatic. post *gloria in ore* est duorum triumve verborum lacuna. Unde fortè olim scriptum fuit, *nec ullis aut gloria major umquam contigit, aut augustior honor.*

Illud certè mihi. MS. Vatic. 1862. *istud.*

Quàm qui Virgilii. Ita MSS. Vatic. *Qui* abest à libris editis. Jam supra cap. 8. *qui* omissum vidimus.

Aut Varii Thyestes. Ita libri omnes editi. Cùm moneat Lipsius deesse antiquo illud, *aut Varii*, sanè intelligendum est de MS. Farnes. quo usus est.

CAP. 13. *Et illud felix.* MS. Vatic. 1862. *istud.* Gronovius autem vel hìc lacunam esse, vel emendandum, *et illud secum contubernium*, existimat.

Licèt illos. MS. Vatic. 1862. *istos.*

Et secretum. MSS. Vatic. *et quietum.*

In hâc præsenti fortunâ. Ita libri omnes editi. In MSS. Vatic. *in hâc suâ fortunâ.* Et fortè meliùs.

Quòd timent. Benè MSS. Vatic. Ifi libris editis, *an quod timent?* quod non æquè usurpatur ex Latino usu.

In illa sacra illosque fontes. MS. Vatic. 1862. *ista...istos.*

Meus dies veniet. MSS. Vatic. *veniat.*

CAP. 14. *Cùm Vipstanius.* MSS. Vatic. *tum.* Perperam veteres editiones, *Urbanius* vel *Urbanus.*

Audentior, et poetarum. Malè in veteribus editionibus, *audenter.* In recentibus autem perperam omissa copula *et*, quæ in MSS. Vatic. et veteribus editionibus occurrit.

Disputationes adjungitis. Ita libri editi. In MSS. Vatic. 1862 et 4498. *assumitis.* In MS. Vatic. 1518. *et sumitis.*

Et eruditionis et literarum. In veteribus editionibus, *eruditiones.* Rhenanus emendaverat, *eruditionem.* Meliùs Rodolphus Agricola et Lipsius, *eruditionis.*

Plurium ejusmodi. Ita editiones veteres et recentiores. Malè Beroaldus, *plurimum.* Unde Muretus emendabat, *plurimam.*

CAP. 15. *Atque ideo credo.* In MSS. et veteribus editionibus, *antiquis eo credo.* Unde scribendum fortè, *contenderes parem antiquis*, conjiciebat Lipsius. Quod minimè probabile. Veriùs emendavit, *atque id eò credo;* et recentioribus omnibus probatum. Mox perperam veteres editiones, *quod malignus* vel *maliguiùs his opinionem*, pro *quòd maligni in iis opinionem.* In MS. Vatic. 1518. *malignè in iis.*

Solutio est. In libris editis, *solatio.* Certè emendandum, *solutio,* ut rectè monuere Acidalius et Schurzfleischius.

Contentis scholasticorum. Freinshemius mallet, *continuis.* Veteres editiones, *contentus.*

Sacerdos iste Nicetes. Optimè Lipsius. Pessimè veteres editiones, *Sacerdos iste enitet.*

CAP. 16. *Justiùs explicaverit.* MSS. Vatic. *explicabit.*

Cogitationes meas. Malè Beroaldus, *cognitiones.*

Si illud. MS. Vatic. 1862. *istud.*

Significatione istâ. Ita MSS. Vatic. et Lipsius. In veteribus et recentioribus editionibus, *signatione.*

Mille ferè et trecentis annis. Rectè MSS. Vatic. Malè libri omnes editi, *mille ferè et CC. annis.*

Immensi hujus ævi. Ita MSS. Vatic. Libri editi, *hujus immensi ævi;* quod paulo durius.

Si, ut Cicero. Ita MSS. Vatic. In editione princeps, *sicut.* Puteolanus emendavit, *si sicut.* Quod durum est.

Cùm maximè. Emendabat Muretus, *tum maximè.*

Quos nos vocamus. Benè MSS. Vatic. In veteribus editionibus omissum, *quos:* in recentibus, quibus præivit Rhenanus, *nos.*

Annorum XII M DCCCCLIV. Malè libri omnes editi, *annorum XII M DCCCLIV.* Magnus enim annus, auctore Cicerone in Hortensio, complectebatur annos duodecim millia nongentos quinquaginta quatuor. Rem illustrabit definietque Servius.

DE MAGNO ANNO.

MAGNI anni originem explicat Servius ad hunc Virgilii versum, Æneid. III. 284.

"Interea magnum sol circumvolvitur annum."

Magnum, " ne putaremus lunarem esse, propterea dixit. Antiqui enim tempora sideribus computabant; et dixerunt primò lunarem annum triginta dierum: undè invenitur in aliquibus vita nongentorum annorum, scilicet lunarium. Posteà solstitialis annus repertus est, qui duodecim continet menses. Mox majore curâ magnum annum esse voluerunt, omnibus planetis in eumdem recurrentibus locum, et hoc fit, ut diximus, secundùm Ciceronis Hortensium, post annos duodecim millia nongentos quinquaginta quatuor, solstitiales scilicet. Benè ergò nunc 'magnum' addidit, ne Lunarem intelligeremus. Benè 'Solis' nomen, ne quia dixerat 'magnum,' illum VII. planetarum acciperemus et Platonicum; de quo varia et à Metone, et ab Eudoxo, et à Ptolemæo, et ab ipso Tullio. Nam in libris de Deorum naturâ tria millia annorum dicit magnum annum tenere." In numeró duodecim millium nongentorum quinquaginta quatuor annorum concordat vetustissimus Servii MS. codex, qui fuit olim in bibliothecâ collegii Ludovici Magni. Inde erroris arguas, et facilè emendes alterum Servii locum, in numeris omnino corruptum. Sic enim ibi Servius ad Æneid. I. 273. " Secundùm Tullium magnus" annus, " qui tenet $\overline{\text{XII}}$ DLIV. annos: ut in Hortensio," " Et horum annorum, quos in fastis habemus, magnus $\overline{\text{XII}}$ DLIV. annos amplectitur." Certissimè emendandum $\overline{\text{XII}}$ DCCCCLIV. ut patet tum è Tacito, tum ex ipsis, priore loco allatis, Servii verbis, " hoc fit, ut diximus, secundùm Ciceronis Hortensium, post annos duodecim millia nongentos quinquaginta quatuor." Idem suadet Solinus, cap. 33. Sic enim ibi de phœnice. " Cum hujus vitâ magni anni fieri conversionem, rata fides est inter auctores: licèt plurimi eorum magnum annum non quingentis et quadraginta, sed duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis constare dicant."

Rudi autem adhuc Astronomiâ, varia fuere juxta varios scriptores magni anni spatia, quæ vide apud Riccioli, Almagest. III. 13. Vol. I. p. 130. et apud Marshamum, Canon. Ægypt. p. 9. In hâc majore Astronomiæ luce nondum consentiunt Astronomi. Magnum enim annum Riccioli definit annis 25920. Tycho Brahe annis 25816. Cassini annis 24800.

Huic magnæ annorum conversioni, Platonicorum commentis celebratissimæ, famam addidit inquies mortalium animus, dum præterita laudat tempora, præsentia fastidit, futura optat speratque semper meliora. De magno anno plura non addiderim, maximè cùm hanc materiam eruditè tractaverit Cl. de la Nauze, " Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions," Vol. XXII. p. 82 et seq. Id unum memoraverim, quod non ita compertum. Magnum quoque annum habent Sinenses, cùm conjunguntur planetæ. Recens inventum, nec usurpatum ante Dynastiam Principum *Han*, quæ imperare cœpit anno 205. ante Jesum Christum. Nec constantem apud eos esse magni illius anni durationem, hoc seculo certissimè compertum habuimus. Nempe, utì accepimus ex literis MSS. Patris Gaubil Soc. Jesu ab urbe *Peking*, die 25. Octobris, anno 1725. ad Patrem Souciet scriptis, cùm Jupiter, Mars, Venus, Mercurius mense Martio, anno 1725. proximâssent, Sinenses Mathematici statim confinxere quamdam Saturni appropinquationem, eorumque cum Sole Lunâque conjunctionem. Mox Imperatori *Yong-tching* libellos obtulere, et hanc renovationem seculorum ei gratulati sunt. Hâc de re publicas quoque magnatum gratulationes excepit Imperator. Ipse illam conjunctionem suis in edictis sæpissimè publicavit; et tribunal Mathematicum in memorialibus suis historiarum libris scripsit: " Anno tertio Imperatoris *Yong-tching*, secundâ Lunâ, fuit septem planetarum conjunctio." Pater Kegler, Societatis Jesu Mathematicus, pro virili parte enixus est, ut id commentitium et falsum esse Imperatori persuaderet. Prævaluit Sinensis adulatio. Inde manifestum est, quàm levissimè adversùs sacros Hebraicæ Scripturæ libros à nonnullis objiciatur similis conjunctio, quæ fertur contigisse sub Principe *Tchouen-Hiu*. Hujus Imperatoris initia ad annum 2510. mortem ad annum 2433. ante Jesum Christum referunt. Mense autem Martio Lunam secundam numerant Sinenses, quòd ab ingressu Solis in Pisces, non verò, ut nos, ab ingressu in Taurum, annum incipiunt. Inde quoque, cùm Judæi Sinenses Scenopegiam, seu festum Tabernaculorum, septimâ Lunâ celebrarent, ut diximus supra Vol. III. p. 695. eadem more Sinico Luna octava numerabatur, ut habet epistola Patris Domenge.

Non solùm eodem anno. Benè MSS. Vatic. et editiones veteres. Posteà omissum, *eodem.* Unde malè conjiciebat Pithœus emendandum, *non solùm quo nos, sed ferè eodem die.*

Cap. 17. *Septimo Idús Decembris.* A MSS. et veteribus editionibus abèrat, *Decembris.* Benè et ex historiâ supplevit Lipsius.

Sex et quinquaginta annos. Benè Muretus. Malè MSS. Vatic. *novem et quinquaginta annos.* Editiones veteres, *VIII et L. annos.*

Vitellii unum annum. Muretus delebat, *unum.*

Centum et viginti anni. Benè MS. Vatic. 1518. Ita et Puteolanus. Perperam MSS. Vatic. 1862 et 4498. ut et editio princeps, *centum et decem anni.*

Ei pugnæ. Benè Pithœus, Muretus, et editio Oxoniensis supra laudata. Perperam in omnibus Taciti editionibus, *et pugnæ.*

Proximo quidem congiario. Nemo miretur priscam rerum memoriam ad congiaria referri, cùm vix quidquam in imperio Romano iis fuerit illustrius. Hìc ergò, ubi se dat occasio et opportunitas, argumentum, in historiâ præcipuum, fermè tamen intentatum, tractare operæ pretium est.

DE CONGIARIIS ROMANIS.

Cum adhuc tenuissima foret res Romana, congiis frumenti, vini, olei, aliarumque id genus rerum, quæ populo dividebantur, publicam gratiam reges quæsiere, nomenque fecere congiariis. Ancus Marcius rex instituto saluberrimo usus est, ut tributis auctoritatem conciliaret: atque, cùm salinas institueret, "salis modios sex mille in congiario dedit populo," Plin. xxxi. 7.

Publicæ lætitiæ pars maxima semper fuere congiaria. L. Lucullus, "cùm rediit ex Asiâ millia cadûm" vini Græci, "in congiarium divisit ampliùs centum," Plin. xiv. 14. Veterem morem secutus Julius Cæsar, dictator, triumphi sui cœnâ singulas

Falerni amphoras, singulos Chii cados, in singula convivia distribuit. Chium adhuc et Falernum in Hispaniensi triumpho dedit, Plin. ibid. Quanta tunc lætitia, cùm populus Romanus, per convivia divisus, inter patriæ triumphantiumque laudes, suam ipse fortunam felicitatemque celebrabat! At plerumque perfida donorum natura. Et Julius Cæsar, qui vitia virtutesque in dominandi artes verterat, congiariis quoque usus est. Nec jam gulæ deliciis, sed, quibus vis acrior, auro argentoque publicam libertatem fregit. Eamdem viam iniit felicior Augustus. Ne eam quidem aspernatus est Tiberius, parcior tamen, quia aliis regnandi artibus validior. Ceteri deinde Principes hâc viâ iere; alii liberalitate, alii consuetudine et prodigalitate; alii avaritiâ, cùm darent, ut audaciùs auferrent; alii necessitate: plebs enim largitionibus inescata, insolescebat, avida semper, semper egens.

Quanta autem impendia in congiariis Romani Imperatores fecerint explicaturus, præmonuerim congiaria data fuisse plebi Romanæ, ejusque pueris ab undecimo ætatis anno, sæpe etiam minoribus: Augusto Principe, congiaria pervenisse ad civium millia numquam minùs quinquaginta et ducenta. Immo ipse anno tribunitiæ suæ potestatis duodevicesimo, consul XII. trecentis et viginti millibus plebei Urbanæ dedit. Porrò cùm, ab Augusti principatu, novi cives in tribus semper adlegerentur, semper ampliatus sit civium numerus, nullum erit amplificationis periculum, si à Julio Cæsare ad Trajanum congiaria ducentis et quinquaginta hominum millibus, à Trajano ad M. Aurelium Antoninum, cùm Roma fuit frequentissima et magna Principum liberalitas, trecentis millibus pervenisse computaveris. Posteà vel imminuta Urbis frequentia, vel adstricta Principum liberalitas, ut mox in Septimio Severo videbimus. At certè tum etiam congiaria centum quinquaginta millibus hominum pervenere. Immo his rationibus plurimùm minuentur congiariorum impensæ. Verùm minuere potiùs, quàm augere expedit. Immensa adhuc exsurget pecuniarum summa in congiariis expensa. Adde, ut Imperatoriarum largitionum vim intelligas, quemadmodùm populo congiaria, sic militibus donativa fuisse proposita, ac majores plerumque in donativis, quàm in congiariis impensas fuisse. His præmonitis, scriptores veteres, nummos,

Inscriptiones, ac maximè MS. Codicem Cæsareæ Bibliothecæ Vindobonensis[1] secutus, Imperatorum congiaria exponam.

C. JULIUS CÆSAR *congiarium dedit denarios centenos*, *Angl.* 3*l.* 6*s.* 8*d.* MS. Vindobon. De pecuniæ summâ consentit Suetonius: at frumentum oleumque data insuper docet. "Populo præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim divisit: et hoc amplius, centenos pro morâ." Sueton. in Jul. XXXVIII.

AUGUSTUS *congiarium dedit ter* A CCCLXII S. At hìc latet librariorum erratum. Fortè scriptum fuit olim X CCCLXII S. id est, *denarios trecenos sexagenos binos cum semisse*, *Angl.* 11*l.* 15*s.* Ut ut est, aliunde comperta nobis Augusti congiaria. Nam, præterquàm quòd Augustus, post mortem Julii Cæsaris, ex ejus testamento plebi Romanæ viritim numeravit sestertios trecenos, *Angl.* 12*l.* 1*s.* 4*d.* ipse Consul V. A.U.C. 700. nomine suo congiarium dedit sestertios quadringenos, *Angl.* 3*l.* 6*s.* 8*d.* Deinde consul X. altero congiario itidem sestertios quadringenos ex patrimonio suo pernumeravit. Tertium congiarium quadringenos adhuc nummos dedit anno tribunitiæ suæ potestatis duodecimo. Singula hæc

[1] Codex ille MS. est inter Historicos Latinos codices Cæsareæ Bibliothecæ Vindobonensis, numero 548. Illum, à Patre Conrado Janningo, Soc. Jesu, olim descriptum, ex ejus apographo hìc referam, quòd, præter congiaria, plurima adhuc Romanæ antiquitatis, vel in suâ ruditate barbarieque, atque etiam suos inter errores erudito cuique facilè obvios, contineat.

IMPERIA CÆSARUM.

C. JULIUS Cæsar imperavit annos III. menses VII. dies VI. Congiarium dedit XC. Occisus Curiâ Pompeiâ.

DIVUS OCTAVIANUS Augustus Imp. ann. LVI. m. IIII. d. VIIII. Cong. ded. ter A CCCLXII S. Hoc imp. navis Alexandrina prima in pòrtum Romanum introìvit nomine Acatus, quæ attulit frumenti modios CCCC. vectores MCC. piper, linteamen, carta, vitria, et opoliscum cum suâ sibi base, qui est in Circo maximo, altum pedes LXXXVII S. Excessit Nolâ.

congiaria pervenerunt ad civium millia numquam minùs quinquaginta et ducenta. Singula ergò fuere millies sestertiûm, seu *Angl.* 833,333*l.* 3*s.* 8*d.* Hisce congiariis alias largitiones addidit Augustus. Consul XII. anno tribunitiæ suæ potestatis duodevicesimo, sexagenos denarios, *Angl.* 2*l.* trecentis viginti millibus plebei Urbanæ dedit. Tantus autem fuit, ut opinor, plebis Urbanæ numerus, quòd " ne minores quidem pueros præteriit, quamvis nonnisi ab undecimo ætatis anno accipere consuêssent," Sueton. in Aug. XLI. Consul XIII. sexagenos adhuc denarios dedit plebi, quæ frumentum publicum accipiebat. Ea tunc erant millia hominum paulo plura, quàm ducenta. Hactenus Marmor Ancyranum, quod vide supra in not. et emend. ad Annal. I. 11. Prætered Augustus testamento legavit populo et plebi quadringenties tricies quinquies nummûm, *Angl.* 362,500*l.* ut dictum est supra Annal. I. 8.

TIBERIUS, Augusto Principe, cùm Germanicum triumphum ageret, A. U. C. 765. " prandium populo mille mensis, et congiarium trecenos nummos, *Angl.* 2*l.* 10*s.* viritim dedit," Sueton. in Tiber. XX. Deinde ipse Princeps congiarium dedit, cùm Neronem et Drusum patribus commendaret, Sueton. in Tiber. LIV. et Tacit. Annal. III. 29. Idem sanè est de quo MS. Vindobon. *congiarium dedit denarios LXXII.* *Angl.* 2*l.* 8*s.* Moriens Tiberius legavit populo *quadringenties quinquagies sestertiûm*, *Angl.* 375,000*l.* Dio, LIX. p. 640.

CAIUS CALIGULA *congiarium populo bis dedit trecenos sestertios*, *Angl.* 2*l.* 10*s.* Sueton. in Caio, XVII. Legendum in MS. Vindobonensi *congiaria dedit denarios septuagenos binos cum*

TIBERIUS Cæsar Imp. ann. XXII. m. VII. d. XXVIII. Cong. dedit XLXXIIS. Hoc Imp. in civitate Fidenis populo spectante amphitheater ruit et oppressit homines IIII CCV. Excessit Miseno.

C. CALLICULA Imp. ann. III. m. VIII. d. XII. Cong. dedit XLXXII S; et de basilicâ Juliâ sparsit aureos et argenteos: in quâ rapinâ perierunt homines $\overline{\text{XXXII}}$ CCXLVII. Et spado occisus palatio.

semisse, Angl. 2*l.* 8*s.* Prætereà de basilicâ Juliâ sparsit Caligula aureos et argenteos; in quâ rapinâ perierunt homines $\overline{\text{XXXII}}$ CCXLVII. At, ut puto, numeros turbârunt librarii. Emendandum mihi videtur: sparsit aureos et argenteos $\overline{\text{XXXII}}$. id est, aureorum et argenteorum triginta duo millia, in quâ rapinâ perierunt homines CCXLVII.

CLAUDIUS, A. U. C. 798. *congiarium dedit denarios quinos et septuagenos, Angl.* 2*l.* 10*s.* MS. Vindobon. Ita quoque Dio, LX. p. 682. qui addit in hâc largitione fuisse, qui plus acciperent, nonnullis etiam datos mille ducentos quinquaginta nummos, *Angl.* 10*l.* 8*s.* 4*d.* Posteà A. U. C. 804. cùm Nero *princeps Juventutis* appellaretur, additum est nomine ejus congiarium, Tacit. Annal. XII. 41.

NERO, Augusti magnificentiam æmulatus, *congiarium dedit quadringenos nummos, Angl.* 3*l.* 6*s.* 8*d.* MS. Vindobon. et Tacit. Annal. XIII. 31. Hæc Principis liberalitas nummis celebrari cœpit. NERO CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. capite laureato. Ex adversâ nummi parte, CONGIAR. DAT. POP. id est, *congiarium datum populo,* Nero togatus dat congiarium. In aliis duobus ejus nummis, CONGIAR. II. et CONGIAR. III. id est, *congiarium secundum, congiarium tertium.* Unde manifestum est plura fuisse ejus congiaria. Utrùm iis annumeretur congiarium ejus nomine

TIBERIUS CLAUDIUS Imp. ann. XIII. m. VIII. d. XXVII. Cong. dedit XLXXV. Hoc Imp. primùm venerarii et malefici comprehensi sunt; homines XLV. mulieres LXXXV. ad supplicium ducti sunt. Hic metas in Circo maximo deauravit. Excessit palatio.

NERO Imperator ann. XIIII. m. V. d. XXVIII. Cong. dedit XC. Hoc Imp. fuit polyfagus, natione Alexandrinus, nomine Arpocras, qui manducavit pauca, aprum coctum, gallinam vivam cum suas sibi pinnas, ova C. pineas C. clavos galligares, vitrea fracta, thallos de scopâ palmeâ, mappas IIII. porcellum lactantem, maniculum fœni, et adhuc esuriens esse videbatur. Nero occisus viâ patinariâ.

à Claudio datum haud dixerim. Nummos vide apud Hardouinum, "Selecta opera," p. 721 et 722. Vide et Cl. Vaillant, "Histoire de l'Académie Royale des Inscriptions," Vol. I. p. 245.

GALBA, senili avaritiâ, congiarium promisit, non dedit.

OTHO VITELLIUSque nec spatium, nec facultatem dandi congiarium habuere, præcipitibus fatis, bellisque civilibus publicas fortunas haurientibus.

VESPASIANUS, pacato terrarum orbe, *congiarium dedit denarios quinos et septuagenos, Angl. 2l.* 10*s.* MS. Vindobon. Et, cùm filios suos sibi in omnibus æquaret, ut populus Romanus regnatrici domui assuesceret, à Tito Domitianoque congiaria dari curavit. Ex nummis, Titus, consul secundùm, A. U. C. 825. congiarium primum dedit: T. CAES. VESPASIAN. IMP. PONT. TR. POT. COS. II. capite laureato. In aversâ parte CONGIAR. PRIMVM. P. R. DAT. Secundum congiarium dedit anno sequenti Domitianus consul quoque secundùm. Sic enim in ejus nummo, CONG. II. COS. II. Tertium eodem anno dedit Titus, atque quidem impensis maximis, quòd natu major, triumphator, et imperii heres. Ejus nummi pars prior, ut supra. In alterâ parte, CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. SC. id est, "congiarium tertium populo Romano impensis maximis datum; senatusconsulto." Hoc memorat Tacitus, Dialog. de Orat. cap. 17. Nummos verò

GALBA Imp. m. VIII. d. XII. Cong. promisit, sed non dedit. Hic domum suam deposuit, et horrea Galbæ instituit: decolatus foro Romano jacuit.

OTHO Imp. dies XC. Ipse se Brixellis interfecit.

BITELLUS Imp. m. VIII. d. XI. Occisus palatio.

DIVUS VESPASIANUS Imp. ann. XI. m. VIII. d. XXVIII. Cong. dedit XLXXV. Hic prior tribus gradibus amphitheatrum dedicavit. Excessit Curis Sabinis.

vide apud Mediobarbum, p. 121. Harduinum, loc. cit. p. 733. Vide et Cl. Vaillant, loc. cit.

TITUS, deliciæ generis humani, principatum adeptus, at præproperâ morte raptus, *congiarium promisit, et non dedit.* MS. Vindobon. Habetur quidem inter Arschotanos nummos, Tab. XXIX. n. 20. nummus unus Titi, jam Principis, et consulis octavùm, IMP. T. CAESAR. VESP. AVG. P.M.TR. P.P.P. COS. VIII. In aversâ parte CONGIAR. TER. P. R. IMP. DAT. Verùm nummus iste suspectæ est fidei, et, ut videtur, ad exemplum nummi supra laudati expressus.

DOMITIANUS *congiarium ter dedit denarios quinos et septuagenos, Angl.* 2*l.* 10*s.* MS. Vindobon. Idem habet Sueton. in Domit. IV. In ejus nummis memorantur congiaria data sub ejus consulatu II. de quo modò dictum est, et sub ejus consulatu XI. Tertium congiarium in ejus nummis nondum repertum. Nec congiariorum numerus in his nummis signatur. Vide Cl. Vaillant, loc. cit.

NERVA *congiarium* quoque *dedit denarios quinos et septuagenos,* MS. Vindobon. Alia daturus, si diutiùs vixisset. Fidem

DIVUS TITUS Imp. ann. VIII. d. XII. Cong. promisit, sed non dedit. Hic amphitheatrum à tribus gradibus patris sui duos adjecit. Excessit Curis Sabinis, cubiculo patris.

DOMITIANUS Imp. ann. XVII. m. V. d. V. Cong. dedit ter XLXXV. Hoc Imp. multæ operæ publicæ fabricatæ sunt: atria VII. horrea piperataria, ubi modò est Basilica Constiniana, et forum Vespasiani, templum castrorum et Minervæ, portam Capenæ, gentem Flaviam Divorum, Iseum et Serapeum, Minervam Calcidicam, Synodum Minuciam, veterem stadium, et Termas Titianas et Trajanas, amphitheatrum usque ad clypea, templum Vespasiani et Titi, capitolium, senatum, ludos IIII. palatium, metam sudantem, et Panteum. Occisus palatio.

NERVA Imp. ann. V. m. IIII. d. unum. Cong. dedit XLXXV. et funeraticum plebi Urbanæ instituit XLXII s. Excessit hortis Sallustianis.

facit ejus nummus, IMP. NERVA CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. II. P. P. In aversâ parte, CONGIARIVM PR. SC. id est, *congiarium primum, senatusconsulto.* Vel moriens, egregiam voluntatem testatus est; *et funeraticum plebi Urbanæ instituit denarios sexagenos binos cum semisse, Angl.* 2*l.* 1*s.* 4*d.* cum assibus aliquot. Hæc autem in ejus funere fuisse data, non verò singulis annis emortuali die solvenda, crediderim.

TRAJANUS, ex Hispaniâ oriundus, primus exterorum, imperio Romano potitus est. Ne Romanorum Principum maneret desiderium, priores dominos vicit donorum magnitudine; *congiariaque dedit nummos sexagenos quinquagenos, Angl.* 5*l.* 8*s.* 4*d.* MS. Vindobon. Noli tamen existimare hæc data fuisse unico congiario. Nimia foret summa. Præterea in ejus nummis tria memorantur congiaria. Primum, primo ejus imperii A. U. C. 851. datum: IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. P. M. TR. P. capite laureato. In posticâ parte, COS. II. P. P. CONG. PR. id est, *consul secundùm, pater patriæ, congiairum primum.* Infra SC. id est, *senatusconsulto.* Istud est congiarium, quod maximis laudibus extulit Plinius in Panegyric. cap. 25. 26. 27 et 28. hâc de re omnino legendus, ut et congiariorum ratio cognoscatur, et intelligatur quantùm caverit Princeps optimus, ne quis liberalitatis suæ expers fieret. Posteà, cùm consul fuisset quintùm, duo alia dedit congiaria. In ejus nummis, COS. V. CONGIARIVM SECVND. et COS. V. CONGIARIVM TERTIVM. Ne tamen existimes eodem anno data. Nam inter quintum et sextum Trajani consulatum novem anni intercessere. Nummos vide apud Harduinum, ibid. p. 747 et seq. Ad primum Trajani congiarium pertinere mihi videtur elegantissima Inscriptio, quæ adservatur Romæ in Museo Collegii Romani, quamque Philippus Bonanni exhibet in "Museo Kircheriano," p. 103.

TRAJANUS Imp. ann. XIX. m. IIII. d. XXVII. Cong. dedit XDCL. Hoc Imp. mulieres in Termis Trajanis laverunt VII. Idus Julias. Excessit Silenuntı.

D. M.
EVTYCHETI FILIO
QVI VIXIT ANN. VI
DIEBVS VI. INCISVS
INGENVVSQVE ACCEPIT
CONGIARIVM XC.
FECIT PATER BE
NE MERENTI.

Nempe Eutyches, ingenuus quidem, sed infans parvulus, in liberalitatis tesseras incisus est, et Congiarium accepit denarios centum *Angl.* 3*l.* 6*s.* 8*d.*

HADRIANUS, in quo magis fuere virtutum imagines, quàm ipsæ virtutes, Trajani liberalitatem æmulatus est. Nondum in Urbem venerat, jam ternos aureos, *Angl.* 2*l.* 12*s.* 6*d.* populo viritim dari absens curaverat. Deinde in Urbe duplex congiarium præsens dedit: et, ut maximam liberalitatis famam pararet, "infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, privatis debitoribus in Urbe atque in Italiâ, in provinciis verò etiam ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro divi Trajani, quò magis securitas omnibus roboraretur, incensis," Spartian. in Hadrian. cap. 7. Quæ debebantur à sedecim annis, nempe ab A. U. C. 855. ad annum 871. fuisse remissa docet Dio, LXIX. p. 791. Summa autem reliquorum, quæ remissa sunt, fuit novies millies sestertiûm, *Angl.* 7,500,000*l.* teste præstantissimo Hadriani nummo, cujus in anticâ parte: IMP. CAESAR TRAIANVS HADRIANVS AVG. P. M. TR. P. COS. II. capite laureato: in posticâ, RELIQVA VETERA HS NOVIES MIL. ABOLITA. SC. Hadrianus stans facem tenet et syngraphas incendit. Juvat quoque ex MSS. schedis Sirmondi adtexere

ADRIANUS Imp. ann. XX. m. X. d. XIIII. Congiarium dedit XII. Hoc Imp. templum Romæ et Veneris fabricatum est. Excessit Baiis veteribus.

Inscriptionem, quæ fuit in columnâ Trajani, teste Joanne de Marchâ novâ.

S. P. Q. R.

IMP. CAES. DIVI TRAIANI PARTHICI F.
DIVI NERVAE NEPOTI TRAIANO HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II.
QVI VNVS OMNIVM PRINCIPVM ET SOLVS
REMITTENDO SESTERTIVM NOVIES MILLIES
CENTENA MILLIA $\overline{N}$. DEBITVM FISCIS NON
PRAESENTES TANTVM CIVES SVOS SED
ET POSTEROS EORVM PRAESTITIT
HAC LIBERALITATE SECVROS.

Ob tantas autem largitiones dictus est Hadrianus LOCVPLETATOR ORBIS TERRARVM. Toto principatu septem congiaria dedit. Tunc primùm obsolescere cœpit congiarii nomen, liberalitatis usurpatum. Inde in Hadriani nummis LIBERALITAS AVG. LIBERALITAS AVG. III. LIBERALITAS AVG. IIII. id est, *liberalitas Augusti, tertia, quarta.* Nummos vide apud Harduinum loc. cit. p. 756 et seq. Vide et Cl. Vaillant, loc. cit. p. 246. Congiarii secundi, CONG. II. nummum habet Occo p. 224. His autem congiariis, liberalitatibusve, ab Hadriano datos fuisse denarios millenos, *Angl.* 33*l.* 6*s.* 8*d.* docet MS. Vindobon.

ANTONINUS PIUS, quo principe prosperrima fuit res Romana, benevolentiam populi Romani fovit continuis liberalitatibus. Novem numerantur in ejus nummis, quarum ultima æquè inscribitur LIBERALITAS AVG. VIIII. COS. IIII. et

ANTONINUS PIUS Imp. ann. XXII. m. VIII. d. XXVIII. Cong. dedit X DCCC. Hoc Imp. Circensibus Apollinaribus parte iterum columna ruit et oppressit homines MCXI. Excessit Lorio.

CONG. AVG. VIIII. COS. IIII. id est, *congiarium Augusti nonum, consulis quartùm.* In his congiariis dati denarii octingeni, *Angl.* 26*l.* 13*s.* 4*d.* MS. Vindobon.

LUCIUS VERUS, quem M. Aurelius Antoninus, egregio magis, quàm laudabili exemplo, imperii socium fecerat, congiaria dedit denarios quadringenos, *Angl.* 13*l.* 6*s.* 8*d.* MS. Vindobon. In nummis quatuor congiaria à Lucio Vero data memorantur. Lucium verò ea dedisse cum M. Aurelio Antonino testantur utriusque Imperatoris nummi. In nummo enim Lucii Veri, cuso A. U. C. 914. LIB. AVGVSTORVM. id est, *liberalitas Augustorum.* Numamus quoque M. Aurelii Antonini cusus est A. U. C. 921. CONG. AVG. IIII. in cujus posticâ parte duo Imperatores è suggesto congiarium dant populo. Vide Cl. Vaillant, loc. cit. p. 246. et Harduinum, ibid. p. 777 et 781.

M. AURELIUS ANTONINUS, ut omnes Principes sapientiâ, sic liberalitate vicit. Hanc egregio dono testatus est A. U. C. 917. tribunitiæ suæ potestatis octavodecimo; sic enim explicandus mihi videtur Eusebius in Chronic. ad annum XVIII. "Imperatores multis multa largiti sunt, et pecuniam, quæ fisco debebatur, provinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ urbis foro incendi fecerunt." Tunc M. Antoninus omnia, quæ ab annis quadraginta sex, nempe ab A. U. C. 871. fisco et ærario debebantur, remisit, L. Vero imperii et liberalitatis socio. Quod perperam Dio, LXXI. p. 814. ad annum 929. retulit, cùm solus imperaret Antoninus. Quanta autem pecuniæ vis tunc remissa fuerit, æstimari potest ex iis, quæ supra in Hadriano retulimus. Prætereà Antoninus *congiaria dedit denarios octingenos quinqua-*

DIVUS VERUS Imp. ann. VII. m. VIII. d. XII. Cong. dedit XCCCC. Hoc Imp. scrofa porcellum peperit infigiem elephanti. Excessit Altino.

MARCUS ANTONINUS Imp. ann. XVIII. m. XI. d. XIIII. Cong. dedit X DCCCL. Hoc Imp. instrumenta debitorum fisci in foro Romano arserunt per dies XXX. Excessit Pannoniâ superiore.

genos, Angl. 28*l.* 6*s.* 8*d.* MS. Vindobon.. Hæc data septem liberalitatibus, in quarum ultimâ largitus est octonos aureos, *Angl.* 8*l.* Numquam anteà tantâ liberalitate donatus fuerat populus Romanus, teste Dione, loc. cit. Quâ ejus observatione demonstratur, quod antè monuimus, numeros codicis MS. Vindobonensis de multis congiariis, non de unico, esse accipiendos. Septimæ autem hujus liberalitatis memoria extat in nummo Mediceo apud Eminentissimum Noris, " Epist. Consular." p. 119. M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXIX. capite laureato. In aversâ parte LIBERALITAS AVG. VII. Posteà cùm M. Antonimus filium suum L. Aurelium Commodum imperii consortem fecisset, novam addidit liberalitatem, sed filii sui nomine, ut ejus favor cresceret. Inde in nummo Commodi COS. II. TR. P. V. LIB. AVG. id est, " liberalitas Augusti."

M. AURELIUS COMMODUS *congiaria dedit populo denarios octingenos quinquagenos, Angl.* 28*l.* 6*s.* 8*d.* MS. Vindobon. Octo ejus liberalitates in nummis memorantur: quarum multæ fuere *denariorum centenorum quadragenorum Angl.* 3*l.* 13*s.* 4*d.* Dio, LXXII. p. 825. Inde explices emendesque Lampridium in Commodo, cap. 16. " Congiarium dedit populo, singulis denarios septingenos vicenos quinos," *Angl.* 24*l.* 3*s.* 4*d.* Congiarium generatim universimque dicitur, nec unicum est intelligendum, quod non advertit eruditus Reimarus in Notis ad Dionem. Præterea cùm octo liberalitates dederit Commodus, earumque multas denariorum CXL. numeros codicis MS. Vindobonensis, quàm Lampridii, probabiliores crediderim. Illarum autem octo liberalitatum nummos vide apud Harduinum, ibid. p. 793. Septem tantùm liberalitates numerabat Cl. Vaillant, loc. cit. p. 246.

P. HELVIUS PERTINAX *congiaria dedit denarios centenos*

COMMODUS Imp. ann. XVI. m. VIII. d. XII. Cong. dedit X DCCCL. Hoc Imp. termæ Commodianæ dedicatæ sunt. Excessit domo Victilianâ.

PERTINAX Imp. dies LXXV. Cong. dedit X CL. Excessit palatio.

quinquagenos. Angl. 5l. MS. Vindobon. Aliter quidem Dio, LXXIII. p. 892. et Capitolinus, in Pertinace, cap. 15. "congiarium dedit populo denarios centenos." Non ita tamen à MS. Vindobonensi dissentiunt, si attenderis Capitolinum priùs dixisse, cap. 7. "donativa et congiaria, quæ Commodus promiserat, solvit." Nempe Pertinax congiarium dedit denarios centenos. Extat hæc liberalitas in nummo Pertinacis LIB. AVG. TR. P. COS. II. Quinquageni autem ceteri denarii in solvendis congiariorum à Commodo promissorum reliquiis expensi.

SALVIUS JULIANUS brevitate imperii congiarium non dedit: ne promissum quidem militibus donativum repræsentavit; ideoque interfectus.

SEPTIMIUS SEVERUS *congiaria dedit denarios millenos centenos, Angl.* 36*l.* 13*s.* 4*d.* MS. Vindobon. Octo Septimii Severi liberalitates in nummis memorantur, teste Cl. Vaillant, loc. cit. p. 246. Insignis maximè tertia, cùm imperii decennalia celebraret A. U. C. 955. Plebi enim, quæ frumentum publicum accipiebat, et prætorianis, denos aureos, *Angl.* 10*l.* divisit. Sic datum bis millies sestertiûm, *Angl.* 1,666,666*l.* 13*s.* 4*d.* Numquam anteà tantum populus viritim acceperat. Dio, LXXVI. p. 859. Inde autem patet, quod observatu dignum, numerum plebis, quæ frumentum publicum accipiebat, imminutum esse ab Augusti temporibus. Tunc enim fuere, ut supra diximus ex marmore Ancyrano, paulo plura, quàm hominum ducenta millia. Nunc fuere tantùm paulo plura, quàm centum nonaginta millia.

SEPTIMIUS GETA, cùm Princeps fuit, congiarium non dedit, à fratre suo Antonino Caracallâ brevi interemtus. Dederat

JULIANUS Imp. dies LXV. Occisus palatio.

DIVUS SEVERUS Imp. ann. XVII. m. XI. d. XXVII. Cong. dedit X MC. Hoc Imp. Septisonium et termæ Severianæ dedicatæ sunt. Excessit Britanniæ.

GETA Imp. menses X. d. XI. Occisus palatio.

antè, vivo patre Septimio Severo, à quo cum fratre suo in imperii societatem adsumtus fuerat. Testes sunt nummi tum Getæ, tum Caracallæ, inscripti LIBERALITAS AVGG. VI ET V. id est, " liberalitas Augustorum sexta et quinta:" sexta Caracallæ, ut ex alio ejus nummo constat, quinta Getæ. Nummos vide apud Harduinum, ibid. p. 807 et seq. et Cl. de Boze, qui supplevit Dissertationem Cl. Vaillant, loc. cit. p. 247.

ANTONINUS CARACALLA *congiaria dedit denarios quadringenos, Angl.* 13*l.* 6*s.* 8*d.* MS. Vindobon. In nummis nona Caracallæ liberalitas memoratur, teste Cl. de Boze, loc. cit. p. 247. Non quòd novem liberalitates dederit Princeps Caracalla, sed quòd nona sit à primâ, quam dederat pater ejus Septimius Severus A. U. C. 948. Sic enim explicandi mihi videntur nummi tum Severi, tum filiorum ejus Caracallæ et Getæ, quos vide apud Harduinum, loc. cit.

MACRINUS *congiarium dedit denarios centenos quinquagenos, Angl.* 5*l.* MS. Vindobon. et Dio, LXXVIII. p. 902. Congiarium illud habent quoque nummi, teste Cl. de Boze, loc. cit. p. 247.

ANTONINUS ELAGABALUS *congiaria dedit denarios ducenos quinquagenos, Angl.* 8*l.* 6*s.* 8*d.* MS. Vindobon. In nummis tres celebrantur ejus liberalitates. Vide nummos apud Harduinum, ibid. p. 814. et Cl. de Boze, loc. cit. p. 247.

ANTONINUS MAGNUS Imp. ann. VI. m. II. d. XV. Cong. dedit X CCCC. Hoc Imp. januas Circi ampliatæ sunt, et termæ Antonianæ dedicatæ sunt. Hic suam matrem habuit. Excessit inter Edissam et Carras.

MACRINUS Imp. anno uno, m. IIII. d. II. Cong. dedit X CL. Hoc Imp. amphitheater arsit. Occisus Archelaidi.

ANTONINUS ELAGABALUS Imp. ann. VI. m. VIII. d. XVIII. Cong. dedit X CCL. Eliogabalion dedicatum est. Occisus Romæ.

SEVERUS ALEXANDER *congiaria dedit denarios sexcenos, Angl.* 20*l.* MS. Vindobon. Quinque ejus liberalitates numerantur in nummis, quos vide apud Harduinum, ibid. p. 819 et seq. et Cl. de Bòze, loc. cit. p. 247.

MAXIMINUS *congiarium dedit denarios centenos quinquagenos, Angl.* 5*l.* MS. Vindobon. Extat quoque in nummis illud congiarium, teste Cl. de Boze, loc. cit. p. 247.

GORDIANI duo, nempe Gordianus senior ejusque filius, in quâdam principatûs imagine extincti sunt, Herodian. VII. 9.

PUPIENUS et BALBINUS *congiarium dederunt denarios ducenos quinquagenos, Angl.* 8*l.* 6*s.* 8*d.* MS. Vindobon. Inde in nummis tum Pupieni, tum Balbini, LIBERALITAS AVGVSTORVM. Vide et Cl. de Boze, loc. cit. p. 247. Immo cùm Gordianus, de quo mox dicetur, fuisset quoque appellatus Augustus, in uno è Pupieni nummis non modò legitur LIBERALITAS AVGVSTORVM SC. sed ibi quoque tres sedent Augusti, Pupienus scilicet, Balbinus et Gordianus.

ALEXANDER Imp. ann. XIII. m. VIII. d. IX. Cong. dedit X DC. Hoc Imp. fuit polyfagus, natione Italus, qui manducavit pauca, cistam, lactucas, vascellum Sardinarium, Sardas X. melopepones LXX. tallos de scopâ palmeâ, mappas IIII. panes castrenses IIII. cistam, cardos cum suas sibi spinas et ebibit vinum Græcanicum plenius, et venit ad templum Saturæ et ebibit labrum plenum, et adhuc esuriens esse videbatur. Et termæ Alexandrinæ dedicatæ sunt. Alexander occisus Moguntiaco.

MAXIMINUS Imp. ann. III. m. III. d. duos. Cong. dedit X CL. Hoc Imp. magna pugna fuit cum Romanis et Prætorianis. Occisus Aquileiâ.

DUO GORDIANI Imp. dies XX. Excesserunt Africæ.

PUPIENUS et BALBINUS Imp. dies XCIX. Cong. dederunt X CCS. Occisi Romæ.

GORDIANUS, Gordiani nepos, *congiaria dedit denarios trecenos quinquagenos, Angl.* 11*l.* 13*s.* 4*d.* MS. Vindobon. In ejus nummis liberalitates quinque reperit Cl. de Boze, loc. cit. p. 247. Prima sanè fuit, de quâ supra dictum est sub Pupieno. Patet ex MS. Vindobonensi has Gordiani largitiones historicis non fuisse ignotas, ut existimavit Harduinus, loc. cit. p. 829.

PHILIPPI duo, Philippus pater et filius, *congiaria dederunt denarios trecenos quinquagenos, Angl.* 11*l.* 13*s.* 4*d.* MS. Vindobon. Tres sunt in eorum nummis liberalitates.

TRAJANUS DECIUS *congiarium dedit denarios ducenos quinquagenos, Angl.* 8*l.* 6*s.* 8*d.* MS. Vindobon. Cujus liberalitatis extat nummus.

TREBONIANUS GALLUS et VOLUSIANUS *congiarium dederunt denarios ducenos quinquagenos,* MS. Vindobon. In utriusque nummis habetur hæc liberalitas AVGG. id est, "Augustorum."

ÆMILIANUS *obscurissimè natus, obscuriùs imperavit: ac tertio mense extinctus est,* Eutrop.

GORDIANUS Imp. ann. v. m. v. d. v. Cong. dedit x CCCL. Hoc Imp. mula homines comedit. Agonem Minervæ instituit. Excessit finibus Parthiæ.

DUO PHILIPPI Impp. ann. v. m. v. d. XXIX. Cong. dederunt x CCCL. Hi seculares viros in Circo maximo ediderunt. Occisus senior Veronâ, junior Romæ in castris Prætoriis.

DECIUS Imp. ann. unum, m. XI. d. XVIII. Cong. dedit x CCL. Hoc Imp. termæ Commodianæ dedicatæ sunt. Occisus prætorio abrupto.

GALLUS et VOLUSIANUS Imp. ann. II. m. IIII. d. IX. Cong. dederunt x CCL. His Impp. magna mortalitas fuit. Occisi in foro Flaminii.

ÆMILIANUS Imp. dies LXXXVIII. Occisus Ponte sanguinario.

VALERIANUS et GALLIENUS. Gallienus *congiaria dedit denarios millenos ducenos et quinquagenos, Angl.* 41*l.* 13*s.* 4*d.* *et binionem aureum,* id est, et viritim divisit nummum duos aureos valentem, seu *Angl.* 2*l.* Ex his verò congiariis tria dedit Gallienus cum Valeriano, ut constat ex multis tum Gallieni tum Valeriani nummis, in quibus CONCORDIA AVGVSTOR. Capita adversa Valeriani et Gallieni. Ex aversâ parte, LIBERALITAS AVGG. In aliis LIBERALITAS AVGG. III. id est, "liberalitas Augustorum tertia." Quartam addidit solus Gallienus, cujus nummus extat apud Cl. Banduri, "Numismata Imperatorum Romanorum," Vol. I. p. 133. LIBERALITAS AVG. IIII.

POSTUMUS, qui purpuram ceteraque Imperatorum Romanorum sumsit, congiarium quoque dedit, ut patet ex ejus nummis POSTVMVS PIVS AVG. In aversâ parte, LIBERALITAS AVG.

CLAUDIUS GOTHICUS *congiarium dedit denarios ducenos quinquagenos, Angl.* 8*l.* 6*s.* 8*d.* MS. Vindobon. In ejus nummis IMP. C. CLAVDIUS AVG. Ex aversâ parte, LIBERALITAS AVG.

QUINTILLUS *congiarium promisit, sed non dedit,* MS. Vindobon. Inde fortè suspectus videbitur nummus, cujus meminit Cl. Banduri, ibid. Vol. II. p. 361. IMP. C. M. AVR. CL.

GALLIENUS cum VALERIANO Imp. ann. XIIII. m. IIII. d. XXVIII. Valerianus occisus in Syriâ. Gallienus Cong. dedit X MCCL. et binionem aureum. Occisus Mediolano.

CLAUDIUS Imp. ann. unum, m. IIII. dies XIIII. Cong. dedit X CCL. Excessit Sirmi.

QUINTILLUS Imp. dies LXXVII. Cong. promisit, sed non dedit. Occisus Aquilegiâ.

QVINTILLVS AVG. In aversâ parte LIBERALITAS AVG. Adde nummum illum esse incerti moduli, et in cujus cimelio reperiatur ignorari. Illum tamen nummum memorat quoque Cl. de Boze, loc. cit. p. 248. At erravit vir in re nummariâ peritissimus, cùm existimavit aut nulla ab Imperatoribus Romanis posteà data fuisse congiaria, aut eorum nummos non extare.

AURELIANUS *congiarium dedit denarios quingenos, Angl.* 16*l.* 13*s.* 4*d.* MS. Vindobon. Nulla extat in nummis memoria.

TACITUS, FLORIANUS, PROBUS, CARUS, congiaria non dedere, MS. Vindobon. Multi tamen extant nummi Imperatoris Cari cum inscriptione ABVNDANTIA AVG. Sed fortè nec viritim, nec plebi has largitiones divisit.

CARINUS et NUMERIANUS *congiaria dederunt nummos quingenos, Angl.* 16*l.* 4*s.* 2*d.* Tunc congiaria dici cœpere *abun-*

AURELIANUS Imp. ann. v. m. IIII. d. XX. Cong. dedit X D. Muro Urbem cinxit. Templum Solis et castra in camp. Agrippæ dedicavit: Genium populi Romani aureum in Rostra posuit. Porticus termarum Antoniniarum arserunt, et fabricatum est. Panem, oleum et salem populo jussit dari gratuitè. Agonem Solis instituit. Occisus Rheno fluvio.

TACITUS Imp. m. VIII. d. XII. Occisus Ponto.

FLORIANUS Imp. dies LXXXVIII. Occisus Tarso.

PROBUS Imp. ann. VI. m. II. d. XII. Hoc Imp. senatores agitaverunt in Circo maximo missus quatuordecim. Occisus Sirmii.

CARUS Imp. m. X. d. V. Excessit Seleuciâ Babilonis.

CARINUS et NUMERIANUS Imp. ann. II. m. XI. d. II. Cong. dederunt X D. His Impp. fames magna fuit; et operæ publicæ arserunt, senatum, forum Cæsaris primo im- (*eruditus Eccardus edidit* forum, Cæsaris patrimonium) basilicam Juliam, et Græcostadium. Occisus campo Margense.

dantia: Inde in nummis tum Carini, tum Numeriani, ABVNDANTIA AVGG. Abundantia è cornu copiæ effundit nummos.

DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS HERCULIUS *congiarium dederunt nummos millenos quingenos quinquagenos, Angl. 50l. 5s.* præterea *sparserunt in Circo aureos et argenteos,* MS. Vindobon. Apud Cl. Banduri, ibid. Vol. II. p. 25 et 67. exhibentur eorum nummi inscripti ABVNDANTIA AVGG. A. B. T. id est, ut videtur, " abundantia Augustorum prima, secunda, tertia."

CONSTANTIUS et GALERIUS MAXIMIANUS Diocletiani et Maximiani Herculii liberalitatem æmulati sunt. Datum bis congiarium *nummos millenos quingenos, Angl.* 48*l.* 12*s.* 6*d.*

DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS Impp. ann. XXI. m. XI. d. XII. Cong. dederunt X MDL. His Impp. multæ operæ publicæ fabricatæ sunt. Senatum, forum Cæsaris, basilica Julia, scena Pompeii, porticos II. nympea III. templa II. Iseon et Serapeon, arcum novum, termas Diocletianas. Sparserunt in Circo aureos et argenteos. Parte itorum (*Cl. Eccardus edidit* Ponte Idorum) podium ruit, et oppressit homines XIII. Et mater nomine Irene peperit pueros tres et puellam. Regem Persarum cum omnibus gentibus et tunicas eorum ex margaritis numero XXXII. circa templa Domini posuerunt. Elephantes XIII. agitatores VI. equos CC. in Urbem adduxerunt. Excessit Diocletianus Salonas. Maximianus in Galliâ.

CONSTANTIUS et MAXIMIANUS Imp. ann. XVI. m. VIII. d. XII. Cong. dedit bis X MD. Constantius excessit in Galliâ. Maximianus in Dardaniâ.

SEVERUS Imp. ann. III. m. IIII. d. XV. Ipse se interfecit viâ Latinâ, miliario III.

MAXENTIUS Imp. ann. VI. Hoc Imp. templum Romæ arsit et fabricatum; et termas in palatio fecit, et Circum in Catacumbas. Fames magna fuit. Romani traxerunt militem Mœsiacum et occisi sunt Romani à militibus homines VI. Romanis omnibus aureum indixit et dederunt. Fossatum ferunt, sed non perfecit. Occisus ad pontem Mulvium in Tiberim.

testatur MS. Vindobon. Ad has liberalitates fortè pertinet rarissimus Maximiani Herculii nummus, quem memorat Harduinus, "Selecta Opera," p. 450. MAXIMIANVS P. F. AVG. capite radiato. In posticâ parte, ABVNDANTIA AVGG. ET CAESS. NN. Dea effundit pecuniam, excipiente eam ante pedes homine supplice. Post Constantium et Maximianum nulla memorantur congiaria. Nusquam in nummis apparent nomina, CONGIARIVM, LIBERALITAS, ABVNDANTIA. Divisum enim imperium nihil fermè veteris magnificentiæ retinuit.

Nec dividatis. Mallet Acidalius, *ne dividatis.* At nihil peccat vetus scriptura.

CAP. 18. *Antiquos meritò vocaremus.* Meliùs in MSS. Vatic. *quosque alios merito antiquos vocaverimus.*

Impoliti. Corbinelli emendabat, *incompositi.*

MAXIMIANUS Imp. ann. IX. m. VIII. d. VI. Occisus Tarso.

LICINIUS Imp. ann. XV. m. IIII. d. XVI. Occisus Thessalonicâ.

Hactenus MS. codicem Vindobonensem cum suis erroribus repræsentavi, ne insititiis emendationibus hiaret magis, quàm illustraretur. Nunc verò, ubi nullum est obscuritatis periculum, quædam in exemplum corrigam, aut explicabo; pluribus immorari longius foret et supervacaneum.

In Augusto, *vitria et opoliscum* pro *vitrea et obeliscum.*

In Claudio, *venerarii* pro *venenarii.*

In Nerone, *clavos galligares* pro *clavos caligares,* qui militum caligis substernebantur.

In Vero, *infigiem* pro *in effigiem.*

In Alexandro, *cistam, lactucas* intelligo *cistam lactucis plenam. Cistam, cardos cum suos sibi spinas,* id est, cistam plenam cardnis cum eorum spinis.

In Carino et Numeriano, *prime* in mendosè scriptum videtur pro *scena Pompeii,* ut conjicere est ex iis quæ sequuntur in Diocletiano.

In Diocletiano, *parte iterum* scriptum videtur pro *parte iterum.*

Utinam nullâ parte imitatus esset. Ita MSS. Vatic. Malè veteres editiones, *utinam imitatus esset.* Lipsius et recentiores emendaverant, *imitatus non esset.*

Mutari cum temporibus. Ita veteres editiones et recentiores. In mediis quibusdam, *mutare:* quod quidem Latinum est. Sic enim Livius, XXXIX. 51. "Mores quidem populi Romani quantùm mutaverint, vel hic dies argumento erit."

Formas quoque. Ita MSS. Vatic. A libris editis abest, *quoque.* Mox cap. seq. *formam quoque ac speciem.*

Sic Catoni. Ita MSS. Vatic. In veteribus editionibus, *sicuti Catoni.* In recentioribus, *sicut.*

Pro Catone. Groslotius mallet, *præ Catone.* Ita quoque Schurzfleischius, vel, *magis,* omittendum censet.

Sed supra modum. Ita MSS. Vatic. *Sed* abest à libris editis.

Ne Ciceroni quidem. Veteres editiones, *nec Ciceroni quidem.* Emendandum *ne* rectè monuit Gronovius.

Parùm Atticus. In veteribus editionibus et MSS. Vatic. *parùm antiquus.* Sed perperam, ut patet ex cap. 22. *priores ejus orationes non carent vitiis antiquitatis.* Lipsius optimè emendavit, *Atticus.* Malè tentat Schurzfleischius, *parùm nativus.*

Legistis utique. Sic MSS. Vatic. ac benè quidem; ut cap. sup. *dividatis seculum....vocetis oratores.* Malè libri editi, *legisti.*

Nunc mihi. Benè Lipsius et recentiores. Perperam veteres editiones, *nec mihi.*

CAP. 19. *Quatenus antiquorum.* Frustra tentat Schurzfleischius, *hactenus antiquorum. Quatenus* jam usurpatum vidimus supra Annal. III. 16.

Ad Cassium Severum. Puto emendandum, ut in notis dixi, *hunc velut terminum antiquitatis constituere solent usque ad Cassium Severum, quem reum faciunt, quemque primùm adfirmant, &c.* Vulgata enim scriptura, *quem usque ad Cassium, &c.* est Puteolani. In editione principe, *constituere solent: qui usque ad Cassium quem reum faciunt: quem primum, &c.* In MSS. Vatic. *ad Cassium Severum quem reum faciunt, quem primum affirmant, &c,* Unde, *quem reum* videtur esse veteris scripturæ.

Sed si retinetur, emendandum, *quemque primum*, ne aures offendantur. In ipsâ vulgatâ scripturâ displicet, *quem usque····quem primum.*

Directâ dicendi viâ. Benè MSS. Vatic. Sic quoque placebat Mureto. Durè in libris editis, *dicendi viâ directâ.*

Et intellectu. Frustra tentat Gronovius, *et delectu.* Ex hujus ætatis more usurpatur *intellectu*, ut apud Plinium, VI. Ep. 27. "intelligens Principis nostri;" et VIII. Ep. 23. "legatum tribunus ita et intellexit, et cepit." Mox ipse Tacitus, cap. 21. "intellexisse," et cap. 31. "intellectum."

Ad id dicendi genus. MSS. Vatic. *ad illud.*

Esse mutandam. Malè veteres editiones, *remutandam.* Emendabat Corbinelli, *ire mutandam.*

Imperitissimarum. Mallet Muretus, *impeditissimarum.*

Id ipsum laudi dabatur. In veteribus editionibus et MSS. Vatic. 1862 et 1518. *id ipsum laudabat.*

Ita verò. MSS. Vatic. *Jam verò.*

Argumentorum gradus. Sic Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *argumentorum genera.*

Quòd si quis. Benè MSS. Vatic. In libris hactenus editis, *et si quis.* Quod omnino vitiosum, ut attendenti patet.

Paucissimi præcepta. Optimè Rhenanus. In veteribus editionibus, *paucissima.*

Qui elementis. Meliùs, *quin elementis.* Sic quoque placebat Schurzfleischio. Vel legendum cum Pichenâ, *at certè non imbutus sit.*

Vi aut potestate. In MSS. Vatic. 1518 et 4498. *vi et potestate.* Quod minimè displicet.

CAP. 20. *Quis nunc feret.* Ita MSS. Vatic. et editiones veteres ante Beroaldum, qui emendavit, *feret*; quòd Puteolanus emendaverat, *expectaverit.*

Expectabit. Ita MSS. Vatic. In editione principe, *expectavit*: unde Puteolanus perperam emendavit, *expectaverit.*

Nec magis perfert. Benè Rhenanus. Editio princeps, *prefert.* Puteolanus, *præfert.*

Aut Turpionis. Benè Lipsius. Malè veteres editiones, *aut Turpionis, aut Ambivii.*

Et in ipsâ. Præpositio *in* abest à veteribus editionibus. Schurzfleischius *et* omittendum putat.

Sive in suis. Malè tentat Schurzfleischius, *sive insciis aliquis.* Meliùs Muretus, Acidalius et Freinshemius, *sive sensus aliquis.* Sic fermè infra cap. 23. " pauci sensus aptè et cum quodam lumine terminantur."

Exigitur enim. Malè veteres editiones, *exercetur.*

CAP. 21. *Nec unum de populo Canuti.* Locus miserè corruptus. In MSS. Vatic. *Canuti aut Atti de Furnio et Coranio.* Libri editi, *Canuti aut Aride Furnio et Toranio.* Tentabat Lipsius, *nec unius de populo Arii de Furnio, &c.* Gronovius, *vix somnum tenere. Nec unum de populo Canutium, aut Arrium Furniumve nominabo, quosque alios in eodem valetudinario hæc ossa et hæc macies probant.* Schurzfleischius, *Nec unum de populo Canuti aut Arri, vel Furnii aut Toranii, quique alii sunt in eodem valetudinario hæc ossa et hanc maciem probare.* Alii aliter, et pejùs.

Oratiunculâ satisfacit. Ita MSS. Vatic. et editiones veteres. Ernestus, *satisfecit.* Alii, *satisfecerit.*

In Asilium. Mallet Lipsius, *in Asinium.* Schurzfleischius, *in Fuscinium.* Nam, Charisio teste, lib. 2. " Licinius Calvus in Fuscinium ambitûs reum scripsit." Totus verò hic locus fortè ita refingendus. *Quotus enim quisque accusationes Calvi in Asitium* (aut *in Fuscinium*) *aut in Drusum legit? at herculè in hominum studiosorum manibus versantur, quæ in Vatinium inscribuntur, ac præcipuè secunda ex his oratio.*

In Vatinium inscribuntur. Ita Lipsius et recentiores. In MSS. Vatic. et veteribus editionibus, *conscribuntur.* Unde mallet Schurzfleischius, *conscriptæ sunt.*

Nec voluntatem quin. MSS. Vatic. *ne voluntatem ei quo sublimiùs, &c.*

Si non universæ, at partes earum. MSS. Vatic. *Si universâ parte serum in quibus, &c.* Editiones veteres, *si in universâ*

pate fectum. Beroaldus et alii, *factum.* Emendabat Modius, *si non universæ, per partes attamen.* Meliùs Acidalius, *si non universæ, at partes earum;* quod jam recepit Editor Oxoniensis.

Sordes autem verborum. MS. Vatic. 4498. *sordes autem illæ verborum.* In editione principe, *sordes autem et verborum.*

Magnitudinem cogitationum. In veteribus editionibus, *magnitudinem cognitionis.* In recentioribus rectè emendatum, *cogitationum.* Sic Vell. Paterc. II. 41. "Hic, *Julius Cæsar,* animo super humanam et naturam et fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi....magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo, simillimus."

In eloquentiâ effecerit. Ita MSS. Vatic. et editiones veteres. Beroaldus omisit præpositionem. Unde Illustr. Huetius tentabat, *eloquentiâ effulserit,* vel, *eloquentiæ suffecerit.*

Lentitudinis ac teporis. Benè Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *temporis.* Unde Schelius conjiciebat, *torporis;* quod receptum in editione Oxon. Plinius, XVII. 24. de erucis dixit: "Nascitur hoc malum tepore humido et lento."

Ipsosque nervos. Ita MSS. Vatic. Sic etiam placebat Schurzfleischio. In libris editis, *ipsos quoque nervos.*

Rubor tegit. Benè MSS. Vatic. et editiones recentiores. In veteribus, *robur.* Unde quidam emendârunt, *rubore.*

Decor commendat. MS. Vatic. 1518. *decorum.* Non malè editiones veteres et recentiores, *decor.* In mediis quibusdam, *decorè.*

Viderimus, inquam. Editiones veteres, *viderimus inquam judicio ejus vis aut animi aut ingenii sufficeret.* In recentioribus, *suffecerit.* Emendabat Pithœus, *viderimus num judicio ejus vis aut animi aut ingenii suffecerit.* Editor Oxoniensis, *videmus in quanta judicium ejus et vis tum animi tum ingenii suffecerit.* Benè vertit Davanzati, "Di Corvino non mi dolgo, per che da lui non restò di arrivare à questo lieto candore de tempi nostri, se le forze dell' animo, è dell' ingegno rispondeano al giudicio."

CAP. 22. *Locos quoque lætiores.* Benè MSS. Vatic. In libris editis, *locosque.* Editiones veteres, *latiores.* Unde Muretus

emendavit, *lætiores*. Malè Rhenanus, *altiores*. In MS. Vatic. 4498. *lectiores*.

Dicendi genus est. Schurzfleischius omittit, *est*. Ursinus emendat, *discendi*.

Pauci sensus aptè. Benè Acidalius, Freinshemius et Schurzfleischius. Sic sæpe Tullius. In veteribus editionibus, *sensus opt. et cum*. MS. Vatic. 4498. *optet*. MS. Vatic. 1518. *opti*. Unde Davanzati videtur emendâsse, *optimè*. Ita enim vertit, " pochi concetti termina ottimamente, e con certo splendore."

Nihil excerpere. Optimè Lipsius è MS. Perperam veteres editiones, *nihil ex tempore referre*.

Ac laudatum. Putat Lipsius omnino emendandum, *ac lautum*. Et quidem probabilissimè.

Fugiat fœdam. MSS. Vatic. 1862 et 4498. *fugitet*. MS. Vatic. 1518. *fugiet*.

Terminet. MSS. Vatic. et editiones veteres, *determinet*.

CAP. 23. *In omnibus orationibus*. Benè MSS. Vatic. et editiones veteres. Perperam in aliis omissum, *orationibus*, ut rectè vidit Muretus.

Hoc invitus retuli. Benè Puteolanus et deinde alii omnes. In MSS. Vatic. et editione principe, *invitatus*. *Hæc* quoque mallet Acidalius.

Oratores vocant. MSS. Vatic. et editiones veteres, *vocabant*. Benè Lipsius, *vocant*. Et sic passim in hoc dialogo. Schurzfleischius, *vocitant*.

Signâsse. Ita libri omnes editi. In MSS. Vatic. *significâsse*.

Ante oculos, qui. MSS. Vatic. *ante oculos isti, qui*.

Non firmitate, sed jejunio. Benè Schelius. In MSS. Vatic. 1862 et 4498. *infirmitate sed jejunio consequentur*. Editio princeps, *infirmitatem*. Puteolanus, *sanitatem sed jejunio consequuntur*; quod immeritò probat Schurzfleischius. Lipsius, *infirmitate et jejunio*. Rodolphus, *non infirmitate, sed jejunio*.

Anxietate contingit. Ita MSS. Vatic. Absurdè editiones veteres, *anxietati confixit*. In recentioribus emendatum fuerat, *anxietate contingat*.

Prope abest. Malè veteres editiones, *propriè abest.*

Gravitati sensuum nitorem. In veteribus editionibus, *gravitati.* Ernestus, *gravitate.* MSS. Vatic. *sensuum nitorem,* ut optimè divinaverat Acidalius. Perperam libri omnes editi, *summum nitorem.*

Ea sententiarum planitas est. Ita MSS. Vatic. 1862 et 4498. *Ea* quoque reperitur in veteribus editionibus: abest immeritò à recentioribus. *Est* in omnibus omissum. MS. Vatic. 1518. pro *planitas* habet *plenitas.*

CAP. 24. *Immutâsse non debes.* MSS. Vatic. 1862 et 4498. *non debet.* Perperam veteres editiones, *ita mutâsse.*

Et à vestris philosophis. Ita MSS. Vatic. 1518 et 4498. In MS. Vatic. 1862. *et à nostris philosophis.* Libri editi, *et aliis vestris.* Unde Lipsius conjiciebat, *et aliàs à vestris.*

Exprome nobis. Benè MSS. Vatic. Sic quoque placebat Acidalio. Corruptè editio princeps, *exprimo.* Puteolanus emendaverat, *exprime.*

Satis enim illos. MS. Vatic. 1862. *satis etiam istos.*

Cur in tantum. MS. Vatic. 1862. *cur tantum.*

Ratio temporum collegerit. Eruditi viri Huetius et Schultingius mallent, *ratione.* Hos enim centum et viginti annos ratione temporum collegit Aper, ut vidimus supra cap. 17.

CAP. 25. *Nominis controversiam movit.* Benè Lipsius è MS. In veteribus editionibus, *non movit.* Et hiatus est inter *non* et *movit.*

Si quominùs fatetur. Tentabat Pithœus, *si communiùs fatetur.* Meliùs Acidalius, *quin omnes fatemur.* Eodem sensu Huetius, ut dictum est in notis. Alii aliter, sed minimè probabiliter.

Suo jure. Benè Lipsius et recentiores. In MSS. *sic vere.* Veteres editiones, *sic jure.*

Adstrictior Calvus. Optimè Acidalius. In editione principe, *aut strictior Calvus.* Puteolanus, *at strictior.*

Scias, quamvis. Benè Lipsius è MS. in quo erat, *sciam.* In veteribus editionibus verbum planè deest.

Voluntatis similitudinem et cognationem. Benè Beroaldus, *cognationem.* In veteribus editionibus, *cogitationem.* Recentiores quoque emendavere, *voluntatis.* Anteà legebatur, *voluminis.*

Et sunt aliqua. Ita MSS. Vatic. In editione principe, *et super aliqua.* Unde Puteolanus emendaverat, *et supersunt aliquâ.*

An invideret Ciceroni. MSS. Vatic. 1862 et 4498. *an ille Ciceroni invideret.* MS. Vatic. 1518. *invidere.*

Non desistit. Benè Beroaldus. Sic quoque emendabat Illustr. Huetius. In veteribus et recentioribus editionibus, *destitit.*

CAP. 26. *Adeò meliùs est.* Ita MSS. Vatic. In editione principe, *adeò meliùs in.* Puteolanus, *adeò meliùs.* Pichena emendaverat, *adeò malim.*

Temporum nostrorum actores. Benè Lipsius è MS. *temporum nostrorum.* Malè veteres editiones, *ipsorum nostrorum.* Præterea in MSS. Vatic. *auctores* pro *actores.*

Fas esse debeat. Mallet Muretus, *debebat.*

Tenerè dicere. Optimè Lipsius. In veteribus editionibus, *temerè.*

Plus vis. Frustra tentat Gronovius, *plus iræ.* Ridiculè Schurzfleischius, *plus puris.*

Contemto ordine. Malè veteres editiones, *contento.*

Quibus utitur. Benè Rhenanus. In veteribus editionibus, *utimur.*

Plerumque detectus. Optimè Lipsius è MS. In veteribus editionibus, *dejectus.*

Aliud novum agmen. Lipsius è MS. *aliud nobis agmen.* Quod probavit et edidit Pichena.

Se ante Ciceronem. Frustra tentat Schurzfleischius, *si ante Ciceronem non numeret se.* Nempe isti scholastici, qui vetera spernebant, præsentia laudabant, se anteponebant Ciceroni, Gabiniano postponebant.

CAP. 27. *Miratus.* MSS. Vatic. *iratus.* In veteribus editionibus, *miratus: iratus antequàm, &c.* Lipsius è quodam libro laudat, *paulo antè dixisti, planè mitiore, &c.* nec loco sanitatem

fecit. Inde emendandum conjicerem, *causas exquirimus, quas te solitum tractare, paulo antè dixisti, planè mitiore eloquentiâ, et temporum nostrorum, iratus antequàm te Aper, &c.* Aliter tentabat Acidalius, *solitum tractare paulo antè dixisti, sanè mitiore eloquentiâ, et temporum nostrorum,* intellige *eloquentiam, miratus, antequàm, &c.* Schelius, *planè maior et eloquentiæ temporum nostrorum non iratus, antequàm, &c.* Schultingius, *quas te solitum tractare publicè, antiquo planè more, et eloquentiâ non temporum nostrorum, sum miratus, antequàm te Aper offenderet, majores istos incessendo.* Audacior adhuc Schurzfleischius, *causas exquirimus, quas ais te solitum tractare. Paulum enim te anteponere nitorem eloquentiæ temporum nostrorum sum ratus, antequàm, &c.*

Aprinâ disputatione. Benè Lipsius. In MSS. Vatic. et editionibus veteribus, *à primâ.* Mallet Gronovius, *Apri nostri.*

Perstringet. Editiones veteres, *perstringit.*

Et cùm de antiquis. Benè Lipsius è MS. A veteribus editionibus absunt, *et cùm.*

A quâ. In MSS. Vatic. et editionibus veteribus deest præpositio.

CAP. 28. *Etiamsi mihi.* Ita Lipsius è MS. in quo, *etenim jam si mihi.* Veteres editiones, *et jam mihi.*

Ab istâ vetere. Muretus mallet, *ab illâ vetere.*

Quamquam nostra. Sic Segrais satis feliciter mutat et distinguit: *Quoniam nostra nobis notiora sunt, ego de urbe, &c.*

Nostra nobis. Veteres editiones, *vestra vobis.* In MSS. Vatic. et Beroaldus, *nostra vobis.* Recentiores, *nostra nobis.*

Et his propriis. Mallet Illustr. Huetius, *et huic propriis.* Mox enim cap. seq. *propria et peculiaria hujus Urbis vitia.*

Ejusdem familiæ. Benè MSS. Vatic. Perperam in veteribus editionibus, *cujusdam.* Unde in recentioribus emendatum, *cujuspiam.*

Non studia modò curasque. Benè MSS. et editiones veteres et recentiores. Beroaldus, *morasque.* Alii, *moresque.*

CAP. 29. *Quandò etiam.* Ita libri omnes editi. In MSS. Vatic. *quin etiam.*

Lasciviæ et libertati. Rectè libri omnes editi. Lipsius è nescio quo vetere libro, *et bibacitati.*

Sui alienique contemtus. Corruptè veteres editiones, *sui contentus;* et inter utramque vocem lacuna est.

Ne præceptores quidem. Benè Gronovius. MSS. et libri editi, *nec.* Hâc in re sæpissimè peccârunt librarii.

Sed expetuntur. Benè Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *expectantur.*

Quorum professio. Editiones veteres, *ut quorum.*

Auctoritatem habuerit. Malè libri editi, *habuit;* ut jam monuit Gronovius.

Statim domuero. Ita Rodolphus Agricola, et recentiores. Corruptè in veteribus editionibus, *statim decuriis.* Pithœus, *statim audictis.* Mallet Gronovius, *statim dicturus, referam, &c.*

CAP. 30. *In omni genere studiorum exercitationes.* Ita Puteolanus et ceteri omnes. In editione principe, *exercitationis.* MSS. Vatic. *in omni genere assiduæ exercitationes.*

Notus est nobis. Ita MSS. Vatic. et editiones veteres. In recentioribus frustra emendatum, *nobis.*

Omnes philosophiæ partes. Ita MSS. Vatic. In libris editis, *omnis.*

Rerum motus causasque. Sensu pleniore Segrais legit: *siderum motus causasque rerum.*

Ex pluribus artibus. Ita Rhenanus. Veteres editiones, *partibus.*

CAP. 31. *Persuadebant.* MSS. Vatic. *persuaserant.*

Ad hæc efficienda. MSS. Vatic. 1862 et 4498, *ad hoc efficiendum.*

Ut rhetorum. MSS. Vatic. *in rhetorum.* Fortè scriptum olim, *ut in rhetorum.*

Dicimus. MSS. Vatic. *disserimus.* Hunc autem locum emendabat Muretus, *nam in judiciis ferè de æquitate, in deliberationibus de utilitate, in laudationibus de honestate dicimus.*

Quid ira. Malè editiones veteres, *quid iræ promtius, et miserationem impellat.*

Qui scit quid sit misericordia. Sit durissimum est, et videtur redundare.

Habenas animorum. Ita Puteolanus et cæteri omnes. In MSS. Vatic. et editione principe, *venas animorum;* et fortè non ab aurigis, sed à medicis ducta comparatio.

Mutuabimur à Peripateticis. Locum hunc restituimus ex MSS. Vatic. Perperam in editione principe, *mutuabimus aliquid Peripateticis: aptos, &c.* Puteolanus emendaverat, *mutuabimus aliquid à Peripateticis: hi aptos et in omnem disputationem paratos jam locos dabunt: Academici, &c.* Melius MSS. Vatic. 1862 et 1518. *mutuabimus à Peripateticis aptos et in omnem disputationem paratos jam locos. Dabunt, &c.* Licèt dici possit Latinè, *mutuabimus,* cùm mox cap. seq. et sæpe supra verbum *mutuari* usurpetur, nihil mutavi.

Res poscet. Libri omnes editi, *poscit.* Omnino emendandum, *poscet.* Idque jam monuerat Illustr. Huetius.

Artes audire. Lipsius malebat, *adire,* vel *haurire:* et statim *liberales* pro *liberaliter.* Verùm non displicet, *liberaliter.*

Cap. 32. *Respondeat sufficere.* Benè Pithœus. In editione principe, *sufficeret.* Emendaverat Puteolanus, *sufficit.*

Et uniforme. Ita editio princeps, et recentiores. Puteolanus ac Beroaldus, *et informe.*

Mutuetur. Pithœus mallet, *mutuemur.*

Fex quoque. In MSS. Vatic. et editione principe, *vis quoque.* Puteolanus, *vix.* Rectè à recentioribus emendatum, *fex.*

Ego hanc primam. Ita MS. Vatic. 1862. Id quoque volebat Pithœus. Libri editi, *ergò.*

Refert verbis. Ita MSS. Vatic. *Refert* deest in libris editis. Inde Muretus pro *id se* emendabat, *ait se.*

Non rhetorum. Vellet Acidalius, *non in rhetorum.*

A vobis aperiri. MSS. Vatic. *vobis* sine præpositione.

Cap. 33. *Illi scirent.* Mallet Schurzfleischius, *scierint.*

Forum ingressi. MS. Vatic. 1862. *ingressuri;* nec malè, ut patet ex cap. 34.

Aper quoque. Ita MSS. Vatic. *Quoque* abest à libris editis.

Exercitationes eorum. Ita MSS. Vatic. Libri editi, *exercitationem.*

Propriæ circa oratoriam. Editio princeps, *circa oratorium.* Puteolanus et ceteri omnes, *circa oratoriam.* Mallet Lipsius, *circo oratorio.* Schelius, *circo,* vel *curæ oratorum.* Fortè redundat, *circa;* et olim scriptum, *propriæ oratorum videntur.*

CAP. 34. *Principem in civitate locum obtinebat.* Ita MSS. Vatic. Libri editi, *principem locum in civitate tenebat.*

Dictionibus interesse, sive in judiciis. Benè Lipsius è MS. Farnes. restituit multa in veteribus editionibus omissa; ubi tantùm, *dictionibus interesse, utque sic dixerim, &c.*

Jurgiis interesse. Vix crediderim à diligentissimo et accuratissimo scriptore dictum fuisse, *dictionibus interesse . . . . jurgiis interesse.* Existimaverim potiùs olim scriptum fuisse, *jurgiis immisceri,* et librariorum vitio, *interesse* à superioribus repetitum.

Populi diversissimarum aurium. Mallet Rodolphus Agricola, *populi et diversissimarum aurium.* Lipsius, *populi, id est, diversissimarum aurium.* Retineri potest vulgata scriptura.

Facilè deprehenderent. Ita MSS. Vatic. In editione principe, *deprehendentur.* Unde Puteolanus emendaverat, *deprehendebatur.*

Non rudibus. Benè Lipsius. Hæc enim à gladiatoribus sumta. In MSS. et veteribus editionibus, *sudibus.*

Ejusmodi præceptoribus. Ita MSS. Vatic. Sic quoque volebat Gronovius. Libri editi, *præceptionibus.*

Cuicumque causæ. Ita Lipsius è MS. In veteribus editionibus, *unicuique causæ.*

Non multò. Ita libri omnes editi. In MSS. Vatic. *multum.*

Hodieque. Omissa in veteribus editionibus copula. In MS. Vatic. 1862. *hodie quoque.*

CAP. 35. *In scenas.* Malè editiones veteres, *in scenâ.* Scenas autem scholasticorum appellat, loca in quibus, velut per lusum, fucata et personata eloquentia exercebatur. Quod rectè annotavit Lipsius.

L. Crasso. Perperam libri editi, *Marco Crasso.* Error ex scioli alicujus, qui Crassum censorem eumdem fuisse ac Marcum Crassum, Romanorum ditissimum, de quo mox dicetur cap. 37. credidit. Fortè olim scriptum, *Crasso et Domitio censoribus,* non addito prænomine.

Deducuntur in scholas. Ita MSS. Vatic. Non ita benè libri editi, *deducimur.*

Sed in quem. *Sed* omissum vellet Ernestus.

Æquè imperitus. Ita MSS. Vatic. In libris editis, perturbato ordine, *imperitus æquè.*

Et dicant. Benè MSS. Vatic. Copula abest à libris editis.

Declamatio quoque adhibeatur. Pithœus, *declamatio quoque similis adhibeatur.*

Ad veros judices ventum est. Post hæc verba, temporum iniquitate multa periisse jam monuimus. Idem testantur MSS. Vatic. qui hoc in loco magnam habent lacunam. Margini MS. Vatic. 1518. adscriptum, *Hìc desunt sex pagellæ.* In MS. Vatic. 4498. notatum : *Hìc multùm deficit.* Infeliciter tentabat Schultingius, *cùm ad veros judices ventum est, nec rem cogitare possint, qui nihil humile, nihil alienum eloqui poterant. Commoveri ad hæc Aper. At Maternus. Ita est, inquit, magna eloquentia, &c.* Pessimè Schurzfleischius, *ingentibus verbis persequantur, cùm, ubi ad veros judices ventum est, nihil humile, nihil abjectum eloqui oporteat.*

Cap. 36. *Tribui fas erat.* Malè veteres editiones, *imbui fas erat.*

Istâ perturbatione. MSS. Vatic. *illâ.*

Plura sibi adsequi. Malè veteres editiones, *pleraque.*

Et populare nomen. Benè MSS. et editiones veteres. In Lipsianis aliisque malè omissa copula.

Conciones magistratuum. Benè Lipsius è MS. In veteribus editionibus, *migrantium.*

Apud plebem parabat. Meritò Lipsius è conjecturâ. Veteres editiones, *probabat.*

Hos reversi. In editionibus veteribus ante Lipsium, *hos reversuri colebant: hi et præturæ et consulatui vacare ultro videbantur.*

Et commoda. Emendabat Schelius, *et non modò disertum haberi, &c.* Acidalius, *et quomodò disertum haberi, sic contra mutum, &c.* Alii, duce Mureto, hæc loco suo mota putant, et legunt, *ad summa eloquentiæ præmia et commoda magna accedebat necessitas.*

Præmiis stimulabantur. Benè Rhenanus. Malè editiones veteres, *stipulabantur.*

Clientelarum loco. Veteres editiones, *clientularum.* In recentibus, *clientulorum:* at Latinam esse hanc vocem nullius scriptoris testimonio comprobatur. Emendandum ergò, *clientelarum.* Sic enim infra cap. 39. " clientelæ quoque et tribus."

Ad alios transirent. Perperam in MSS. et veteribus editionibus, *transiissent.*

CAP. 37. *Manus vestras.* Malè editiones veteres, *manus nostras.*

Quæ et in antiquorum. Ita MS. Vatic. 1862. In MS. Vatic. 1518. *quæ in antiquorum.* Libri omnes editi, *quæ et antiquorum.*

Et cùm maximè. Benè editio princeps et Ernestus. Puteolanus et alii, *et nunc maximè.*

Splendor rerum. Benè libri omnes editi. In MSS. Vatic. *reorum.*

Quo nihil tale. Ita libri omnes editi. In MSS. Vatic. 1862 et 4498. *in quo.*

Temporibus extitit. Mallet Lipsius, *existit.*

Eò acrior. In MS. Vatic. 1862. *et acrior.* Lipsius è MS. Farnes. in quo, *acrior per pugnas.* Frustra tentat, *major adversarius et acrior, quò plures pugnas sibi asperas desumserit, tanto altior et excelsior, illis nobilitatus discriminibus. Discriminibus* pro *criminibus* legendum non immeritò monuere Lipsius et Latinus Latinius.

In ore hominum. Benè Lipsius. Malè editiones veteres, *more hominum.*

Secura velint. Ita MSS. Vatic. et editiones veteres. In recentibus malè emendatum, *nolint.* Rodolphus Agricola supplebat, *ut dubia laudent, secura nolint:* quòd ignoraret olim scriptum fuisse, *secura velint,* eodem omnino sensu. Secura enim sunt cum discrimine, tuta sine discrimine.

Cap. 38. *Aptior est veritati, eloquentiam tamen.* In editione principe, *quæ etsi nunc aptior est: ita erit eloquentia: tantum illud forum.* Pro *tantum,* Puteolanus emendavit, *tanto;* et sic deinde ceteri omnes. Tentabat Latinus Latinius, *quæ uti nunc arctior est, ita erit eloquentia. Anteà illud forum magis exercebant.* Meliùs Rodolphus Agricola, *aptior est veritati, eloquentiam tamen, &c.* Favent MSS. Vatic. in quibus scriptum neque *tantùm,* neque *tanto,* sed *tamen.* Certè nova judiciorum forma aptior erat veritati, cui sæpe plurimùm nocet eloquentia, maximè cùm liberiùs et licentiùs expatiatur.

Omnia legibus. Benè MSS. Vatic. Perperam libri editi, *omnia in legibus.*

Primus hujusmodi spatia tertio consulatu. Veteres editiones, *primus hujus....cons.* Rhenanus, deinde ceteri omnes, *primus tertio consulatu.* Supplebat tamen Rodolphus Agricola, *primus hujus rei spatia tertio consulatu.* Lipsius, *hujusce spatia.* Ad rerum seriem sensumque aptius mihi videtur, *hujusmodi spatia.* Sic supra cap. 14. " ejusmodi."

Solita sint. Perperam in libris editis, *solita sunt,* ut jam monuere Latinus Latinius et Illustr. Huetius.

Heredibus Urbiniæ. Benè Lipsius. Perperam in MS. Farnes. *Uriniæ.* In veteribus editionibus, *Ironiæ.*

Cap. 39. *Fortasse videbitur.* Malè libri editi, *videtur:* ut jam monuere Ursinus, Muretus, et Acidaliùs; resque ipsa suadet.

Diligentis styli. Ita MSS. Vatic. In editione principe, *diligens.* Unde Puteolanus emendavit, *diligentem.*

Municipiorum etiam. Benè MSS. Vatic. In libris editis, *et municipiorum.*

Ac pars Italiæ....adsisteret. Benè adhuc MSS. Vatic. Corruptè editio princeps, *ac partis Italiæ....assisceret.* Inde Puteolanus emendaverat, *ac partes Italiæ....assisteret.* Alii, *assisterent.*

CAP. 40. *Datum jus.* Ita MSS. Vatic. et rectè quidem. Malè libri editi, *datum jus quoque.* Frustra tentabat Gronovius, *cuique.*

Abstinerent. Optimè MSS. Vatic. Sic quoque volebat Acidalius. Malè veteres editiones, *abstinuerunt:* recentes, *abstinuerint.*

Populi etiam. In MSS. Vatic. et editione principe, *populi et,* facili librariorum errore, qui *et* pro *etiam* sæpe scribebant. Puteolanus emendavit, *populi quoque,* eodem sensu.

Magna illa. Benè MSS. Vatic. In libris editis, *ista.*

Ne Macedonum quidem. Rectè Ernestus. Malè anteà *nec.*

Aut ullius. Optimè MSS. Vatic. Sic quoque volebat Ernestus. In libris editis, *ac ullius.*

Plurimi Athenienses. Melius MSS. Vatic. In libris editis, *Athenienses plurimi.*

Nulla in senatu concordia, nulla in judiciis moderatio. Hæc Lipsius è MS. addidit.

Nec tanti reipublicæ. In MSS. Vatic. *nec tuta.* Veteres editiones, *nec tuta resp.*

Nec bonæ formam eloquentiæ. Ita libri omnes editi. Muretus mallet, *famam. Formam* probo propter vim et elegantiam. Potiùs emendaverim, *benè* pro *bonæ.* Favet MS. Vatic. 1862. in quo quidem scriptum, *bonæ,* sed supra scriptum, *benè.*

Tali exitu. Frustra Ernestus tentat, *pari exitu.*

CAP. 41. *Quod superest ex antiquis oratoribus.* Libri editi, *quod superest antiquis oratoribus.* Emendabat Gronovius, *antiqui.* Sed in sensu ac verbis nescio quid duri inest, si legeris, *quod superest antiqui oratoribus forum.* Multo probabilius est excidisse præpositionem, *ex.*

Non emendatæ. Benè Lipsius. Perperam in vetetibus editionibus, *emendare.*

Quis enim nos. Optimè MS. Farnes. ut rectè vidit Lipsius. Pessimè libri editi, *argumentum quidem est: quod nemo nos.*

In civitatem nostram. Pithœus, *in clientelam nostram.*

Non queri. Mallet Muretus, *non fieri. Queri,* non displicet.

Vindicari. Ita Lipsius et recentiores. In veteribus editionibus, *judicari.*

Minor oratorum. MSS. Vatic. *oratorum horum.*

Cùm optimi. Frustra tentat Lipsius, *cûm optimis.* Rodolphus Agricola, *cùm optima citò censeantur.*

Bono seculi sui. Ita MSS. Vatic. Corruptè in veteribus editionibus, *hujus seculi sui.* Inde postea emendatum, *bonis seculi sui.*

CAP. 42. *Antiquariis.* MSS. Vatic. *cum antiquariis.*

FINIS QUARTI VOLUMINIS.

DEC 8 1937